
natura communis reper
minus accipitur pro sign
primario supponit simpliciter sicut ly homo, in hac, homo est species, quia accipitur homo pro natura humana, ut concepta conceptu communi, & abstracta ab individuis, appellaturque suppositio simplex, quia terminus accipitur præcise pro tali significato, sub quo non licet descendere ad individua, & ita non valet, homo est species: Ergò iste, vel ille homo est species.

Terminus etiam singularis duplex habet significatum, aliud primarium, videlicet naturam communem individui, & quando pro illo accipitur, supponit simpliciter, ut in hac Petrus est ind iud habet signific tum secunda videlicet singular non ut est in i d ut existit in re, quando pro i personaliter supp nit, ut in ha it: undè.



Suppositio t *acceptio termini* indiviauis, e in hac, homo currit, & in hac homo est animal, in qua ly homo etiam accipitur pro personis, & sub illo fieri potest descensus, ad individua, ut in his; hic homo est animal, & ille homo est animal.

Contra ...nitur. In hac propositione, homo est animal rationale, homo supponit pro sig-

1.451

Observandum tamen, aliud esse verificari propositionem, & aliud terminum verificari; quia verificari propositionem, est illam conformari suo objecto, & enuntiare rem, sicut est; sed terminum verificari est, rem significatam per terminum existere juxta exigentiam copulæ, vèl in tempore significato per copulam, ita ut de re significata per terminum vere copula affirmetur, ut si dicas: Petrus currit. Verificatio termini sit ad sensum, vel intellectum, dicendo, hoc est Petrus, & in hac. Adam fuit doctus, verificatio sit per ordinem ad intellectum, dicendo, hoc fuit Adam.

Ex hoc habes, verificationem propositionis posse dari, quamvis terminus non supponat, sicut in hac: Anti Christus non est bonus, verificatur propositio per non existentiam Anti-Christi de præsenti, & verificationem termini posse dari, quim vera sit propositio, ut in hac: Petrus currit, si modo Petrus existat, & non currat, verificatur terminus, & propositio vera non est. Habes tandem, propositionem affirmativam exigere, quod extrema supponant pro eodem negativam vero id non requirere, imo nec quod extrema supponant.

Contra deffinitionem tamen arguitur. Quod in hac propositione, chymera est repugnans, subjectum verè supponit, cum sit propositio

Es de esta Celda año de 1756. fr. Isidro Lopez

LOGICA
RATIONALIS,

PER QUÆSTIONES, ET ARTICULOS DIVISA, iuxta mentem Div. Thom.

AUTHORE

R. A. P. M. Fr. Froylano Diaz, Legionenſi, filio Conventus Sancti Pauli Vallif-Oletani, quondam in Inſigni D. Gregorij Regente, & modo Primarium Cathedram D. Thom Moderante, in Univerſitate Complutenſi, & in Collegio S Thomæ eiuſdem Urbis Regente.



Año de 1757.

CUM PRIVILEGIO.

Impreſſa en Valladolid: En la Imprenta de Alonſo del Riego, Impreſſor de la Real Univerſidad.

FIRMISSIMO

DOCTRINÆ SANCTORUM MURO, AQUINATIS CLYPEO AUREO, PALLADIS, & Minervæ lucifero: Sapientiæ floridiſsimo Campo, virtutis, & obſervantiæ ſpeculo, meritorum fama, & hominun gloria Prælatum, Illmo. ac Rmo. Domino

D. Fr. ANTONIO DE SANJURXO,

EPISCOPO ASTURICENSI, LÆTITIA IN enarrabili publicato, & acclamatione publica præelecto:

QUo quidem terra *lætabitur deſerta, & in via, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium.* O felix Patria præſule condecorata maiori *dilata locum tentorij tui, & Pelles tabernaculorum tuorum extende:* Antiſtitem namque pacis Principem *videbis, & affluos, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum nec enim quidquam muta- it fortunæ amplitudo:* O quam libenter Patris tui Dotes altiſsimas tibi canerem, ſi pręceptum ſilendi nõ haberem. Sed quid inde? Quando quidem *non poteſt veſp. Civitas abſcondi ſupra montem poſita:* & lux altiſsima fati occultum nihil eſſe ſinit, latebraſque per omnes intrat, & obſtruſos implorat fama receſſus: ſatis aptè Poeta. *Iſaię* 35. *Iſaiæ* 45. *Iſaiæ* 60. *Plin. in Pagneg.*

Quis genus Æneadum, Troyæ quis neſciat urbem?

Adhuc tamen lachrymę ſunt me ſcribẽte profuſſæ, & humida fletu littera facta meo, dũ reticere cogor. *Æneid. 1.*

Ad pedes veſtræ Illuſtriſsimę, ac Reverendiſsimæ dominationis.

Fr. Froylanus Diaz.

LICENCIA DE N. M. R. P. PROVINCIAL.

EL Mro. Fr. Domingo Perez, Cathedratico de Prima de la Universidad de Salamanca, y Provincial de la Provincia de España, Orden de Predicadores, haviendo remitido à Personas Doctas, y Graves de esta nuestra Provincia, un Libro, cuyo titulo es: *Logica rationalis per quæstiones, & articulos divisa*, que ha compuesto el R. P. M. Fr. Froylan Diaz, Cathedratico de Prima, de la Universidad de Alcalà, y Regente de nuestro Colegio de Santo Thomàs: Por la presente, y athoridad de nuestro Oficio, damos licencia à dicho R. Padre Maestro para que le pueda imprimir, conformandose en todo con los Estatutos Pontificios, y Regios, que se deben guardar en la impresion de los Libros. En fee de lo qual lo firmè, y mandè sellàr con el Sello menor de nuestro Oficio, y refrendàr de nuestro Compañero, Secretario. Dada en nuestro Convento de San Estevan de Salamanca, en 31. de Diciembre de 1692.

Fr. Domingo Perez.
Prior Provincial.

Por mandado de su P. M. R.
Fr. Francisco Garcia Olivares.
Compañero, y Secretario.

APRO-

APROBATIO RR. PP. Fr. EMMANUELIS RON, *Insignis Collegij S. Thomæ Rectoris, & R. admodum P. Mag. Fr. Dominici Perez, Vespertinæ Cathedræ præclari Moderatoris, & ejusdem Collegij Regentis, & Regij Concionatoris.*

LIbenter obtemperantes mandato R. A. P. N. Mag. Fr. Dominici Perez, Primariæ Cathedræ in Universitate Salmantina dignissimi Moderatoris, & Provinciæ Hispaniæ Ordinis Prædicatorum Provincialis. Præclara commentaria in Aristotelis Logicam, quæ Angelico præeunte Doctore Sapientissimus ac RR. Pater Mag. Fr. Froylanus Diaz in hac Complutensi Academia Primarius, & hujus Collegij Div. Thomæ Regens complevit fœliciter, non semel legimus; nam ex prima ejus lectione orta jucunditas in sui iterum mediationem suaviter compulit dum vehementer atraxit. Quid in tanto viro minimum, si ens rationis, seu non ens, per ejus doctrinam accrescit in maximum? De tenebris, de umbra scilicet entis realis, facit lucem splendescere, qua scientia scientiarum Cahos abyssum exuat, induat byssum: & teneris etiam se permittat aspectibus, quæ nec aquillinis cedebat obtutibus. Mirabamur in luce promptitudinem, quâ facta est, vix innuente Domino quod fieret; at hoc viso opere, & si non cesset admiratio, prælia, quibus tantus Magister adest semper invictus, requiem inveniunt, qua ad hçc ima Logicalia descendens ima possit conjungere summis. Vix videbatur Logicam posse intendere, cum ecce lumen, sed quæ non illico splendescet materia, ubi lux imperium, & imperium lucem ministrat? Vidimus lucem quod esset bona, & quam omnes apperent, statim ac videant: nam ex his quæ ipsi debentur, nec deest apex, nec jota supereſt: Si enim, teste Div. Thoma lucis actus est tenebras illuminare, vias dirigire, latibula manifestare, & differentias rerum ostendere; in hoc opere Sapientia nitet, quę dum in procemialibus vias dirigit, & in prædicamentis rerum differentias ostendit, latibula secundarum

intentionum in universalibus, & prædicabilibus manifestat; ut tota entis rationis tenebrositate illustrata, in posterioribus exhibeat ad oculum, ut ajunt, demostratum, quod hucusque jacebat sine luce confusum. Nec propterea hanc lucem existimes solum licet, enim ex sole prodeat, & illum, ut ab ungue leonem, demonstret, brevis tamen reputanda est scyntilla, quæ à rutila decidit sui Authoris sphæra. Plura diceremus, si satis essent plurima, sed dum tanti Magistri gloria cedit in nostram, ad injunctam nobis per R. A. P. N. Magistrum Fr. Dominicum Perez, in Universitate Salmantina Primarium, & hujus nostræ Provinciæ Hispaniæ Ordinis Predicatorum Provincialem Dignissimum properamus obedientiam: Judicantes hoc præclarum opus nil continere fidei adversum, moribus dissonum, aut nostri, & Ecclesiæ Doctoris Div. Thomæ menti non aptum: Quapropter in ipsius Angelici Præceptoris laudem, & comunem Thomisticæ Scholæ utilitatem posse, & debere prælo mandari. Sic censemus, salvo, &c. in hoc Div. Thomæ Complutenti Collegio.

Fr. Emmanuel Ron.
Præs. & Rector.

Fr. Dominicus Perez.
Mag. & Regens.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Doctor Don Juan Caldera, Proto-Notario Apostolico, Oficial Toledano, y Vicario General en la Audiencia, y Corte Arzobispal de esta Ciudad de Alcalá de Henares, y en todo el Arzobispado de Toledo, &c. Por la presente, y por lo que à Nos toca, dàmos licencia para que se pueda imprimir, é imprima un Libro manuscrito, compuesto por el Reverendissimo P. Maestro Fr. Froylan Diaz, Cathedratico de Prima de Santo Thomàs en su Colegio de la Universidad de esta dicha Ciudad, que se intitula, *Logica rationalis per quæst. & artic. divisa.* Atento à que por nuestro mandado ha sido visto, y examinado por el Padre Rector, y Colegio del Carmen Descalzo de esta dicha Ciudad, y nos consta no aver en èl cosa contra nuestra Santa Fè Catholica, y loables costumbres. Dada en Alcalâ a tres dias del mes de Julio de 1693.

Doctor Caldera.

HEMEROTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL PALENCIA

Por su mandado
Custodio Valentin.
Notario.

CEN-

CENSURA ILLUSTRISSIMI COLLEGII, *toto Orbe celeberrimi, & numquam satis laudati Carmelitarum Discalceatorum Civitatis Complutensis.*

DE comissione, & mandato D. Doctoris Don Joannis Caldera, Archiepiscopatus Toletani in Urbe Complutensi Generalis Vicarij. Præclaros hos in Aristotelem commentarios à Reverendissimo, & Sapientissimo P. M. Fr. Froylano Diaz, quondam in Insigni Collegio D. Gregorij Vallis-Oletani Regente, & nunc in hac Universitate Complutensi Primariæ Cathedræ D. Thomæ moderatore summo studio, ac cura elaboratos; acuratissima diligentia perlegimus, & attenta mentis indagatione lustravimus; ac tandem post quam diligenter, & sedulo omnia rerum, & verborum pondera, quibus mirum in modum decorantur, examinassemus, nihil in eis invenire potuimus, quo quomodo fidei Catholicæ dogmatibus, bonis moribus, ac Religioni, Christianæ candori, veritati, sinceritatique doctrinæ contrarium, aut devium: immo potius opus insigne expendimus insignique doctrina judicamus ad studiosos ne dicamus Tyrones, sed etiam valde provectos erudiendos aptissimum doctrinam, in omnibus, solidam sapit, quæ solum sua eget commendatione, ut mens capiatur, si quæ tantus Magister exhibet, Lector ebibat, & magna cum aviditate deglutet.

Statim namque, ut volumen istud rerum Logicalium ad nostras prevenit manus, auribus etiam hoavit illud Ezechielis: *Comede volumen istud.* Qui d ingentē aviditatem commedentis præfefert à radice *Acal* he-braici fontis, ubi legitur, *achol*, & *hamegilech hazoht.* Eo genio quo ignis; qui tam avide omnia depascitur, ut frequentèr in Scriptura explicetur: *Flammæ ignis devoranti.* Ex quo deducimus, quod qui vulumen istud terit, & mentis ore versat, ac deglutit, magna aviditate traicit, ingenti ardore, ac cupiditate relambit; non

Ezech. 2. *Isaiæ.* 26.

secus

secus ac ignis obvia quæque despicitur: *Tum ecclesiæ illius qui ab ignis exaruisset.* Eccli. 9.

Quid igitur tot inter prunas dicemus, si non effundimus plene, quod capimus alte ab eruditate sermonis ad affectum transfermus cordis: *Sed neque enim sapientia facit* (ut cum Gilberto loquamur) *vel sermo effectus, vel affectus fidei; sed nec fides sufficit quæ non plene reficit; capaciores nos faciat nostra cupiditas sit enim quod fides persuadet prævolavit affectus.* Dicamus enim, quod omnia, fœlici quadam recorditæ eruditionis amœnitate, disposuit Sapientissimus Magister supericri sapienti a: *ergo in mensura, & numero, & pondere.* Consequentia probatur hoc suo dialectico volumine, non quia scientia tanti Magistri sit ex genere eorum quæ mensurantur, numerantur, ponderantur; quia neque mensuram, neque numerum, neque pondus (ut in alijs concipiuntur rebus) habet; sed quia inter horrentes dumos, Palantes glebas acerrime pungentis, dialecticæ disciplinæ, adeo terminant formant, & ordinat omnia Theoremata Logicalia cum mensura sine mensura, et numero sine numero, & cum sine pondere pondere, ut qui inter spinosos disciplinæ saltus, ac vepres spirabant; inter vernantes veluti illius silvas, ac viridaria Pommonæ non in elegantiæ flore, qua parte picta habitantes respirarent. Gil. Abb. Disser. 2. de Contēp. Sap. 11.

Sic enim ea dispossuit, *ut mensuram, numerum, & pondus haberent* (hoc est) *modum speciem, & ordinem*: Ita tradidit Magnus Parens Aug. quod explicans Magister noster Angelus Aquinas: inquit: *Modum* esse comensurationem ad causam habentis limitem ab illa: *Speciem*, *ipsam* Formam, sive causam formalem effectus; *Ordinem* perfectionem accidentalem, quatenus hæc ordine quodam ex forma sequitur. Nunc igitur videsis obsecramus limitem subtilitatum Dialecticarum in hoc volumine ad metam usque per suas proprias causas pertingentium; nam si animum advertas, si lustres hoc, mente, volumen, si oculos in illud intendas sine nulla dubitatione intuebis Oceanum in verbis, & rationibus, flammam in sensibus, pondera in argumentis, in tota denique ædificij constructione, & fabrica N. Ang. 4. de Gen. ad lit. cap. 3. & lib. de Natur. Boni cap. 3. D. Thomæ 1. p. q. 3. art. 5.

fir-

firmitatem, ac robur, acris demum ingenij aciem acutam oculis usurpabis manifeste: *Ecce modum, ecce mensuram sine mensura.*

Videbis illico formam, seu pulcritudinem magna cum gravitate dispositam: Philosophorum Antiquorum, testimonijs, Sanctorum Patrum: authoritatibus sacræ denique scripturę locis gravitèr delucide, ac profunde examinatis, nec non firmissimis de novo excogitatis argumentorum ponderibus, solide, ac nervose discussis difficultatibus, veluti præciosissimis gemmis, atque lapilis adamante rubino saphiro ad miraculum exornatam à Fabrę cœlatam, ac variegatam; ita ut liceat canere.

Virgil. Æneid. 3.

Quęcumque in foliis descripsit
Digerit in numerum, atque antra seclusæ relinquit.
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt,
Ecce speciem ipsam, ecce numerum sine numero.

Videbis tandem perfectionem accidentalem, in qua mirum est quantum emineat claritatis ac dispositionis methodus, quantum indefessa veritatis indagandæ diligentia splendeat, quantum in disputando acri ingenij subtilitas refulgeat: & in eligendis opinionibus maturitatis mentis inveniatur splendor, nec non in rationum momentis, totiusque structuræ operis firmitate mirabilis quædam, ac secura fortitudo, ita ut

Dominus Bonav. in laudem eiusdem Filosoph.

Ultimus ecce licet, primus caput elevat intèr,
Intèr, & antiquos tollet ad alta caput
Ædipus hic Logices simul, ac sophismata pandit,
Pandit, & ambiguos detegit arte Logas.

Ecce ordinem, ecce sine pondere pondus: vel in compositione partium, vèl in concinitate vocum, vel in brevitate cum summa comprensione omnium, quæ præmanibus versat: & comperies illico totum spiritum Præceptoris Angelici in hoc parvo ebulire volumine, ut merito quod olim Poeta magna cum voce proclames.

Major in exiguo regnat in corpore virtus.

Nec ab hac voluminis parvitate renuas præciositatem; nam illi ipsi antiqui quę latissime se profudêrunt in scriptis, in non magno fere volumine gloriâ re-

tulerunt: Magnus Auguſtinus, ſed in libello de retractionibus ſe ipſo maior: Magnus Tertullianus, in pallio tamen, & apologetico ſe ipſum ſuperat; Origines magnus, ſed in pauciſsimis quibuſdam victor ſuctit: quaſi negatum eſſet in magnis magnum eſſe, aut nefas ſuperiorem in multis ſtitiſſe Magnus quidem Magiſter noſter Froylanus virtute, Religione, Doctrina, & Magiſterio, & neſcio, an non unus in omnibus magnus, ſed in his Metaphiſicis ſpeculationibus ſe ipſum vincit, & omnes, quaſi ſi hoc parvo volumine plus eius luxurietur gloria, denſeturque fortius puſilo in corpore honor, quam in late, difuſſoque labor.

Quomodo igitur non approbavimus (parum diximus) venerabimur Dialecticam, ſeu Philoſoficam doctrinam, quam multis ab hinc ſæculis ab illa Cherubica Doctrice, ab illa inquimus (ut ipſa ſale, gratiaque multoties jucundiſsime ajebat) Dominica in Paſſione Sanctiſsima Parente noſtra Thereſia, cujus, & nos paſsio Dominicæ ſummus, approbatam, ore quaſi prophetico agnovimus: dum igitur cuidam frati ſuo conſilia de educatione filiorum preberet Doctrix Cherubica inquit: *Leen Filoſofia, y Theologia en Santo Thomàs* (ſcilicet Patres Dominicani in Conventu Divi Thomæ Civitatis Abulenſis, ubi Jubenes Philoſophiam, & Theologiam docent: *Que no ay que ſalir de alli para Virtud, y eſtudio.* Ubi ut vides Sanctiſsimæ Religioni Dominicæ aſtruit, nedum rudimenta virtutis, verum, & culmina virtutis, & veritatis; nec dum in moralibus, verum, & in Philoſophicis, itaque ait *No ay que ſalir de alli para Virtud, y Eſtudios*: Scilicet ab hac Sanctiſsima Dominicana Familia, ex qua velut è monte elevate, & excelſo omnia lex, & vera Doctrina. *S. Thereſ. in tom. Epiſt. epiſt. 30.*

Celebris in Sacris annalibus mons Moris, in quo adumbratam invenis hujus familiæ Doctrinam: nam mollium nomine Sanctiſsimæ Religionis plumantur, inquit Gregorius, & de Monte Moris Hyeronim. *quod illuminãs interpretatur, & lucens: atteſtor*: in vertice illius Magiſter Froylanus aſtruitur, *ut non abſcondatur Civitas ſupra montem poſita*: ergo dum Froylanus: lucerna parens, & lucens, in hoc monte apparet, mos Domi-

nis-

nicanus valet transcribi: pulchre quidem: sed pulcherius de hoc bene gentis afferunt; quod interpretatur *Doctrina, seu doctrix.* Sumpsum à radice *Irach*, *quod est discendere, ob id ait* (Orientes) *quod ex ea mons discensura, & proditura esset doctrina, & lex*; unde tanti Magistri pulcrum accipite Panegyricum: ex Dominicano monte, in quo fodinæ sapientiæ ditissimæ; Thesauros reconditos: qui nesciunt, dignoscunt, Froylanus descendit ut lux, ut illuminet sol, & quasi ex ungue, leonem; hujus montis sapientia aprime dignoscatur ex soliis.

Bene ad hoc arridet hyacinti fabella, qui Phœbi prosequutus amore redditum redamando solvebat: amorem nostris, casum meministris, displicemus mysterium dum in florem sui nominis immutatus à Poeta concinitur.

Ovid. 1. metamorph.

Talia dum vero memorantur Appollinis ore,
Ecce cruor, qui fusus humi signaverat herbas,
Desiit esse cruor; Tyrioque nitentior astro.
Flos oritur, formamque capit, quam Lylia si non,
Purpureus color his argenteus esset in illis.

Et quid inde? Quod ab ipsa sui nominis flore quasi honore laureatus in æternum perdurat: Fatur Poeuthes.

Non satis hoc fœbo est (is enim fuit author honoris)
Ipse suam gemmitus foliis inscribit, & hya.
Flos habet inscriptum, funestaque littera ducta est.

Mirabilis utique flos, quæ plena litteris, & vocem parturiens sibi ipsi venatur honorem. Unde pro Magistro Froylano flore Dominicana adumbratio subsistit, nam omne Philosophicæ flores pro suo vociferantur honore, dum ab ipso nova plumantur pulcritudine.

Maximis laudibus, & encomijs arbitramur mactandis: ideoque non solum judicamus dignas esse, quę typis mandari debeant, imo utilis, quæ merito legantur posteritas alat, & ipsa æternitas intueatur, ne studiosorum utilitas, Philosophiæ Magistrorum commoditas, incredibilis Authoris labor propria sibi jure opti-

timo debita mercede: tàn insigni opere silentij tenebris involuto privetur. Ita iudicamus salvo, &c. In hoc nostro Collegio Divi Cyrili Complutensi Carmelitarum Discalceatorum, tertio idus Maij, anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio.

Fr. Franciscus à S. Thoma, Rector.

Fr. Petrus à Conceptione, Lect. Primarius Theolog.

Fr. Ildefonsus à S. Antonio, Vesperting Cathed. Moderator.

Fr. Ildefonsus à Martiribus, Theologię Myst. & Scrip. Lect.

SUMA DEL PRIVILEGIO.

TIENE Privilegio el Padre Maestro Fr. Froylan Diaz, Cathedratico de Prima, en su Colegio de Santo Thomàs de la Universidad de Alcalà, por tiempo de diez años, para que pueda imprimir este Libro, intitulado: *Logica rationalis per quæstiones, & articulos divisa*; como consta del dicho Privilegio. Dado en Madrid à 17. de Junio de 1693. años.

AI PAULINA DEL SEñOR NUNCIO DE SU Santidad, para que ninguna persona pueda imprimir, ni hazer imprimir esta Logica sin licencia del Convento de San Pablo de Valladolid. Dada en Madrid à 22. de Junio de 1693.

APRO-

APPROBATIO R. A. P. M. Fr. MATHÆI CARO, & Montenegro, quondam Difinitoris Provinciæ, & Conventus S. Mariæ Regalis de Atocha, ſimul atque iterum Prioris Virtute, & Sapitientia approbatiſsimi viri.

IUcunde legi veſtræ celſitudinis juſſu in lucem editam Logicæ Ariſtotelicæ lucem, vias ſequente, ſoliſque Aquinatis currente veſtigia, à SS. P. M. Fr. Froylano Diaz, Univerſitatis Almæ Complutenſis lumine Primo, & Angelici Div. Thomæ Muſæi ſtudiorum Regente: Cujus etſi ingenij acumen ad ſydera tollat tanti Magiſtri opus quodvis, ſophiamque proclamet, univerſumque mundum riget claritate ſuprema, & ſcientiam ſicut cinerem per totum orbem ſpargat, ut ſuam legenti Phyſicam perſpicue parebit; teſté quippé Philone: *Nullum ſapientiæ opus eſt exiguum*: Præſens de demonſtratione labor hoc clarè demonſtrat. In illo quidem non obſtanti ipſius nocte, veterique nigrore, perſuadendi nerbum proponendi oſculatur chryſtallum, & reſolvendi profunditas ſucintum commitatur probare: quin ſub his floribus præſumptionis anguis lateſcat nec aliquis ſit erga ſententias contemptus rejectas, ſed potius modeſtia lyram reſonat ſonoram, & humilitatis ſminagdus doctrinā uſque ad ſuperos venit, ſequens in hoc Author lucis Angelicæ vias, ut ipſam plene exhauritam eſſe demonſtret à diſcipulo, doctrinam, & Mores Magiſtri docente cunctos, eoſque his perfectionis pollis rectū finem firmante; fatens ſe, ne vellit erroris apud omnes haberi Magiſtèr, veritatis Diſcipulum, qui in omnibus orbis Magiſtèr in opere apparet: amplectens jugitèr alterius fulgentiſsimi ſolis Eccleſiæ Hyeronimi documentum, *ut docerem*, ſcribentis, *quod didiceram non à me ipſo id eſt à præſumptione peſsimo Præceptore, ſed ad Illuſtribus viris preſtiti*. Quapropter ad hoc attendens, operiſque reſpiciens tyronibus utilitatem, & augmentum profectis, quod ex hoc tamquam ex pulcherrimo viridario Minervæ quilibet, & ſi doctus metet fragrantiſsimos flores ideò poſſe prælio mandari affirmo, imo, & deberi, aureis characteribus opus tám præcioſum gravari literiſque marmoreis in eribus ſempiternis ſculpi; ut in perpetuum ſcienciā roret claritarē reſpiret, & dulci lacte proce-

res

res Aquinateos, ſit que gloria totius ſeculi noſtri. Sic judico, ſic ſalvo meliori, cenſeo. Et ſic Matriti ſubſcripto, in hoc regali Conventu Beatiſsimæ Virginis ſub cognomento de Atocha. Die 13. menſis Junij. Anno Domini 1693.

Fr. Matheus Caro Montenegro,
Magiſt. & Prior dicti Conventus.

TASSA.

DON Joſeph Antonio de Yarza, Secretario del Rey Nueſtro Señor, ſu Eſcrivano de Camara mas antiguo, y de Govierno del Conſejo: Certifico, que haviendoſe viſto por los Señores de èl el Libro intitulado: *Logica rationalis per quæſtiones, & articulos diviſa, iuxta mentem Div. Thom.* ſu Autor el Mro. Fr. Froylan Diaz, del Orden de Predicadores, que con licencia de dichos Señores, concedida al Prior, y Religioſos del Convento de San Pablo de Valladolid de la miſma Religion, ha ſido reimpreſſo, taſſaron à cinco maravedis cada pliego, y dicho Libro parece tiene ochenta y uno, ſin principios, ni tablas, que à eſte reſpecto importa quatrocientos y cinco maravedis; y al dicho precio, y no mas, mandaron ſe venda; y que eſta certificacion ſe ponga al principio de cada libro para que ſe ſepa el â que ſe ha de vendèr; y para que conſte lo firmè en Madrid à 11. de Mayo de 1757.

Don Joſeph Antonio de Yarza.

ERRATA SIC CORRIGE.

L. P. Paginam. C. Columnam. L. Signat Liniam.

PAG. 15. c. 1. l. 3. miliatur lege videatur. pag. 17. c. 1. l. 1. collectiva lege collativa. pag. 30. c. 1. l. 22. quim lege quid. pag. 39. c. 2. l. 22. nna lege una pag. 49. c. 2. l. 34. contemplationem lege contemplativam. pag. 57. c. 1. l. 8. lege *dicimus enim ; vide quomodo.* pag. 124. c. 2. l. 4. alibs lege alicui. pag. 144. c. 2. l. 6. dediſcunt lege deducunt. pag. 157. c. 2. l. 8. entis lege entis. pag. 241. c. 2. l. 14. lege non afferunt. pag. 261. c. 2. l. 8. formalem lege formam. pag. 278. c. 2. l. 8. rationis lege reali. & l. 12. lege *relationis rationis.* pag. 289. c. 2. l. 23. ib lege lib. pag. 314. c. 1. l. 9. paſſe lege debere. pag. 115. c. 2. l. 23. ut lege eſt. pag. 406. c. 2. l. 28. olor lege color. pag. 426. c. 2. l. 6. eſt lege ex. pag. 448. c. 2. l. 13. ens lege eſt. pag. 453. c. 2. l. 34. malis lege modis. pag. 492. c. 2. l. 32. principium. lege ut principium. pag. 501. c. 2. l. 6. curiſti lege Chriſti. pag. 548. c. 2. l. 31. illis lege illo. pag. 552. c. 1. l. 21. accidens lege accidentis. pag. 562. c. 2. l. 4. illa lege alia. pag. 600. c. 1. l. 3. elective lege elicitive. pag. 612. c. 2. l. 15. ha lege has. pag. 630. c. 1. l. 7. ad octavis lege ad tertium. pag. 637. c. 1. l. 32. perfuſus lege perfectus. pag. 638. c. 1. l. 20. accidens lege evidens. pag. 642. c. 1. l. 14. inveniri lege inniti. pag. 647. c. 2. l. 3. docter lege dictat. & l. 14. idea lege ideo. & l. 39. nltet lege altero. pag. 648. c. 1. l. 1. baptiſmata lege baptizatos. pag. 649. c. 2. l. 10. lege ſic : hæc ait D. Aug. *oportet ad hoc, quod aliquis ſciat, quod principia ex quibus ſcit per aliquem modum ſint credita, & cognita, etiam magis quam concluſiones, quæ ſciuntur : alioquin non per ſe, ſed per accidens habebit ſcientiam*

PROOEMIUM.



Uxiliante Domino, qui rerum principium est, dux, semita, terminus idem, qui rector est Poli, & Cœlorum influxus, opere dispensat Olympi; dedimus jam Philosophiam naturalem, quę canit errantem lunam, soliſque labores, mobilium genus, pecudes, undè imber, & ignes: modo autem in ardorem belli transimus, dum Logicam offerre paramus. Illa namquè versuta dolis, arguto calida sensu, laboriosa parvulis, castris gratissima nostris, vires humanas urget, difficilior existit, vivit clandestina, discurrit inquieta, lucem insinuat, nebulam rorat, & faber est intentionum secundarum, quibus induitur series longissima rerum, & rursùs ad alias scientias animum vocat; operosa tamen limina parat, quoniã vestita figmentis, & suis aspera signis, vias non habet planas, & congerit umbras; ideoque sola ipsa potest exercere viros, quæ sola magnos gravat, parvosque fatigat, sæpèque prævalet ar-

armis, fallacibus habitata ſophiſmis. Inter hæc tamen nectar, & ambroſiam ſpirat, & cuncta decorat, nam modum ſciendi præſtat, inſtrumenta miniſtrat, notat omnes laqueos, & retia parantes, & oſtendit inſidias illorum arte latentes, & ſi ſemel, & iterum nubibus involvitur altis, ſtatim ſurgit roſeis aurora quadrigis, reguliſque bonis dirigit occulta, & eſt janua ſemper aperta, & tandem dulcis ſonat, & ſonora cantat, quando aſtuta nimis, artificioſa ſatis, intellectus vella, ſinuſque regit, ingenijque premit citharam, lyramque ſonoram.

Verum quia clamat Auguſtinus, quod *ſicut cæcus ſine ductore, ſic homo ſine Doctore viam rectam vix graditur.* Et de ſe ipſo olim ajebat Bernardus: *Tunc ſecurè, & ſine metu diſcurrere, quando Ambroſium, vel Auguſtinum habebat doctrinæ ſuæ, & mentis ducem, ac commitem.* Propterea, ut in opere noſtro ædificemus feliciter, & procedamus veraciter, adjuvent Doctores noſtri Paradiſi flumina ſimul magnus Logicus Auguſtinus, & Logicus Angelicus Thomas, qui ſicut Tygris, & Euphrates miſcentur dulcibus aquis, & uno ſe fonte reſolvunt. Singulari tamē protectione aſſiſtat nobis mundi lucidiſsimus Pharo, Phebus Aquinatis Apollo, qui ſolis imperio rigat tenebras, fugat turbas, & totius orbis cunctas illuſtrat Eccleſias. De cuius doctrina ſit.

LIBER

LIBER PRIMUS,

ET IN EO ÆTHEREOGENEA QUÆSTIO prima Proœmialis de appetitu ad Logicam, & illius neceſsitate.

ARTICULUS I.

UTRUM IN HOMINE DETUR APPETITUS naturalis ad Logicam.

§. I.

LOGICAM eſſe facultatem intellectualem lumini naturali ſuperadditam, docentem diffinire, dividere, & argumentare in quacumque materia, & modum firmum indagandi veritatem, artificioſeque diſponentem inſtrumenta ſciendi, & propterea directivam intellectus, ut in operibus ſuis facilitèt, ordinate, & ſinè errore procedat 1. Poſt. lect. 1. docuit Ang. Doct.

Prædictæ facultatis originem multi tradidere, ab Adamo, & alijs teſtamenti veteris per Græciæ ſapientes uſque ad Ariſtotelem diſcurren-

rendo, longumque texendo sermonem, sed hæc doctrina in præsentiarum nimis utilis non est, & ideò ad difficilia oportet transire, & ipsius Logicæ speciem investigare, in limine tamèn quæstionem præambulam tripartitam ponimus; & qualitèr Logica ad alias scientias necessaria sit articulo sequenti examinabimus; in præsenti veró qualitèr intellectus illam appetat, inquirimus. Pro quo

Primó notandum est, qnod in præsenti unum supponimus; & aliud inquirimus: supponimus quidem Logicam non esse homini necessariam per modum propriæ passionis, quia propria passio reperitur in omnibus habentibus eandem naturam; sed Logica non in omnibus hominibus reperitur: ergò homini necessaria non est tanquàm propria illius passio inquirimus autem utrum illi necessaria sit tanquam terminus naturalis inclinationis, vel an in homine sit appetitus, & inclinatio naturalis ad Logicam consequendam.

Secundò, ut appetitum naturæ ad scientiam exponere possimus; præmittere oportet distinctionem appetituum. In communi nomine *appetitus* solam intelligimus propensionem, seu inclinationem in aliquid conveniens appetenti, ut docet Præcept. Ang. 1. p. q. 80. art. 1. Et quia inclinationes formas consequuntur, iuxtà genera formarum diversificantur inclinationes, seu appetitus. Et ità duplex est appetitus *naturalis*, & *animalis*, seu (quod idem valet) *innatus*, & *elicitus*. Appetitus *innatus* est propensio, & inclinatio naturæ in propriam perfectionem ipsius, quæ antecedit omnem cognitionem perfectionis, ad quam terminatur appetitus, & propterea talis inclinatio dicitur innata, id est, in ipsa natura nata, vel cum ipsa congenita, & tam rebus animatis, quam inanimatis communis est: undè lapis ex propria natura inclinatur ab locum deorsum, & ignis ad locum sursum.

Appetitus elicitus illæ est, qui sequitur formam apprehensam, actus scilicet secundus distinctus à potentia appetente, & ab ea procedens: ideoqué supponit cognitionem perfectionis, ad quam tendit, & elicitus appellatur. Et de utroque appetitu præsens procedit quæstitum, in quo hæc erit.

)(o)(

§. 2.

§. II.

Prima Concluſio.

In homine datur appetitus innatus ad Logicam.

CONcluſionem iſtam probamus, primò ex Philoſ. in principio Metaph. aſſerente, quod *omnes homines natura ſcire deſiderant.* In cuius textus expoſitione inquit Doct. Ang. quod *naturaliter unuſquiſque deſiderat ſcientiam, ſicut materia formam.* Et ex hoc infert, quod *quærere ſcientiam non eſt vanum, cum naturale deſiderium vanum eſſe non poſsit, & quod ipſum videre præ omnibus alijs eligimus. Et cauſa eſt, quod hic maximè ſenſuum nos cognoſcere facit, & multas differentias demonſtrat.* Sed Logica eſt verè ſcientia : ergó in homine datur appetitus innatus, & inclinatio naturalis ad Logicam.

Reſpondebis : conſequentiam in ratione noſtra contentam non eſſe bonam, quia procedit à ſuperiori ad inferius affirmativè, videlicet à ſcire ut ſic ad ſcire particulare, vel ad ſcientiam Logicæ, qui modus arguendi non tenet, ut inquit commune Dialecticorum proverbium.

Sed contrà eſt : quia in ratione noſtra non arguitur à ſuperiori ad inferius affirmativè, ſed potiùs à ſubalternante ad ſubalternatam, quę quidem ſemper eſt bona conſequentia. Propoſitio namquè Ariſtotelis eſt doctrinalis, & idem ac ſi diceret : omnes homines naturaliter deſiderare omnes ſcientias. Et idcircò ex propoſitione illa deduxit Ariſtoteles hominem naturaliter ad Metaphiſicam inclinari, ut cuicumque eius textum, & primam ſuper illum lectionem D. Thomæ legenti conſtabit ; ſed arguere ex appetitu ad omnem ſcientiam appetitum ad Logicam, eſt procedere à ſubalternante ad ſubalternatam : ergò ità procedimus in ratione præcedenti, & non à ſuperiori ad inferius affirmativè.

Inſtabis : ex appetitu naturali innato ad ſcire non benè infertur appetitus innatus ad quamlibet ſcientiam : ergò ratio facta nititur principio falſo. Prob. ant. Ex appetitu naturali innato ad bonum in communi non benè infertur appetitus naturalis ad quodcumque bonum : ergò pariter. Prob. ant. Omnis homo appetitu naturali innato appetit bonum in communi ; & tamèn non appetit bonum apparens, quod quandoquè eſt ma-

malum morale, & naturalem inclinationem terminare non poteſt: ergò.

Reſp. negand. ant. & ad 1. probationem dicimus hominem non appetere appetitu naturali innato bonum in communi, prout abſtrahit à bono vero, & à bono apparenti, ſed ſolum bonum verum. Appetitus enim naturalis eſt ad bonum exiſtens in re, ad diſtinctiouem appetitus animalis, vel voluntarij, qui tendit ad bonum, vel apparens bonum, ut docet D. Th. 1.2. q.8. art.1.

Dices: ergó appetit homo appetitu innato bonum verum in communi. Et tamen ex tali appetitu non iufertur appetitus innatus ad quodcumque bonum verum, ſupernaturale ſcilicet: ergò ex appetitu ad ſcire ut ſic non benè infertur appetitus ad quamlibet ſcientiam.

Reſp. quod ex appetitu innato ad aliquam rationem communem ſolum infertur appetitus ad rationem particularem proportionatam cum potentia appetente; cumque verum ſupernaturale proportionatum non ſit cum intellectu humano ſuis viribus relicto, benè tamèn verum naturale, ut docet *D.* Th. 1. 2. q. 109. art. 1. indè eſt, non inferri appetitum innatum ad verum ſupernaturale, benè tamèn ad verum naturale, qualis eſt Logica.

Secundò probatur concluſio noſtra ratione prima, quam loco ſuprà cit. Metaph. habet Ang. Doct. *Quia unaquæque res naturaliter appetit perfectionem ſui. Undè & materia dicitur appetere formam, ſicut imperfectum appetit ſuam perfectionem*: ſed Logica eſt perfectio homini proportionata, & ipſius propria, connaturaliter potens convenire: ergó homo appetitu innato debet appetere Logicam: ſicut propter eandem rationem appetit intellectus omnem ſcientiam naturalem tanquàm propriam perfectionem, cum qua intellectus melius ſe habet, quam ſi illa careret.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntrà concluſionem noſtram arguitur primò: Ex quo Logica ſit perfectio propria hominis; illique proportionata, non infertur, quod homo naturaliter inclinetur ad Logicam: ergò ratio probativa noſtræ concluſionis principio nititur falſo. Prob. ant. Centrum eſt perfectio propria gravis; & tamèn non omne grave na-

tu-

naturalitèr inclinatur ad centrum : ergò ex quo Logica sit perfectio propria hominis, illique proportionata, non infertur, quod homo naturaliter inclinetur ad Logicam. Prob. min. Gravia, quæ sunt viventia, non inclinantur naturaliter ad centrum; eo quod nullum grave vivens potest esse connaturaliter in centro : ergò non omne grave naturaliter inclinatur ad centrum.

Resp. neg. ant. & ad prob. neg. min. ad cuius probationem dicimus, quod in gravibus viventibus reperitur inclinatio naturalis ad centrum. Verùm hæc inclinatio subditur alteri inclinationi superiori, quam habet vivens ad conservationem vitæ, & ita non oportet explere inclinationem ad centrum : sed potiùs propter inclinationem oppositam non potest grave vivens esse connaturaliter in centro. Quod totum non obscure docet Præcept. Ang. 1. p. q. 80. art. 1. ad 3. ubi sic ait : *Unaquæque potentia appetit sibi conveniens naturali appetitu, suprà quem est appetitus animalis consequens apprehensionem, quo appetitur aliquid non ea ratione, qua est conveniens ad actum huius, vel illius potentiæ, utpotè visio ad videndum ... Sed quia est conveniens simpliciter animali.* Unde, cum inclinatio gravis viventis ad conservationem vitę conveniat simpliciter animali, & sit suprà appetitum naturalem, quem grave habet ad centrum, stare potest inclinatio naturalis ad centrum, & tamèn quod non possit esse connaturaliter in centro.

Secundò arguitur, si in homine esset appetitus naturalis ad Logicam, homines illi, qui non consequerentur Logicam, essent violenti, hoc non est asserendum : ergò nec quod in homine detur appetitus naturalis ad Logicam. Prob. maj. Quia in lapide datur inclinatio naturalis ad centrum, quicumque lapis extrà centrum violentè existit : ergò si in homine esset appetitus naturalis ad Logicam, homines, qui non consequerentur Logicam, essent violenti.

Resp. neg. maj. & ad probationem concesso ant. neg. conseq. Quia violentum est, *quod fit ab extrinseco passo non conferente vim*, & non consecutio Logicæ non est ab extrinseco, sed potius ab intrinseco; & quia homo liberè non vult se ad Logicam applicare propter difficultatem repertam in eius consecutione. Quam solutionem dedi-

mus ex D. Th. tum 1. contra Gent. cap. 4. tùm 1. Metaph. lect. 1. ubi poſtquàm dicit, quod homo naturaliter deſiderat ſcientiam, ſubiungit: *Nec obſtat ſi aliqui homines ſcientiæ, huic ſtudium non impendant, cum frequenter qui finem aliquem deſiderant, à proſequtione finis ex aliqua cauſa retrahantur, vel propter difficultatem perveniendi, vel propter alias occupationes. Sic etiam licet omnes homines ſcientiam deſiderent, non tamen omnes ſcientiæ ſtudium impendunt, quia ab alijs detinentur, vel à voluptatibus, vel à neceſſitatibus vitæ præſentis, vel etiam propter pigritiem vitant laborem addiſcendi.* Præterquamquod omne violentum eſt triſte, & flebile, ut docet Præcept. Ang. 5. Metaph. lect. 6.: videmus autem homines non flere, nec triſtari, ex eo quod Logicam non conſequantur.

Tertiò arguitur: Appetitus naturalis innatus reperitur in omnibus eiuſdem naturæ; ſed appetitus ad Logicam non in omni homine reperitur: ergò in homine non datur appetitus innatus ad Logicam. Prob. min. Si talis appetitus daretur in omni homine, in pluribus fruſtraretur; ſed appetitus innatus fruſtrari non poteſt, eo quod eſt à natura, & ab Authore naturæ, & Deus, & natura nihil faciunt fruſtrà: ergo talis appetitus non in omni homine datur. Prob. maj. *Appetitus, qui non conſequitur terminum, eſt fruſtraneus;* ſed appetitus ad Logicam non conſequitur talem terminum in pluribus, nàm plures ſunt, qui Logicam non addiſcunt: ergò ſi talis appetitus daretur in omni homine, in pluribus fruſtraretur.

Reſp. neg. min. & ad probationem neg. mai. ad cuius probationem diſt. maj. Appetitus, qui *in nullo individuo* conſequitur terminum: conc. maj. qui *in aliquibus* terminum conſequitur, neg. maj. & conceſſa min. neg. conſeq. Omnes quippè homines appetitu naturali innato appetunt Logicam, ut ſui perfectionem, antequàm in eis præcedat aliqua, etiam confuſa, cognitio Logicæ, ut ſatis indicat D. Th. 1. Phiſic. lect. 10. dicens: *Quod verum eſt bonum intellectus, ad quod naturaliter inclinatur. Unde ſicut res cognitione carentes moventur ad ſuos fines abſque ratione, interdum intellectus hominis, quadam naturali inclinatione tendit in veritatem, licet rationem veritatis non percipiat.* Hic autem appetitus, quem homo ha-

habet ad Logicam, est appetitus specificus, qui ad formam specificam consequitur, ut deducitur ex Doct. Divi Th. 1. 2. q. 63. art. 1., & sicut forma specifica est eadem formaliter in omni homine, ità etiam appetitus consequutus ad illam in omnibus individuis est idem formaliter: & ideó sufficit, quod in aliquibus consequatur terminum Logicæ, ut frustraneus non sit. Nam si semel consequitur in aliquibus, & est idem in omnibus, iam erit verum appetitum illum consequi terminum proprium. Et instantia est in materia, quæ naturaliter inclinatur ad animam rationalem, quæ tamen inclinatio frustranea non est, quia licet non omnis materia perveniat ad animam rationalem, aliqua tamèn materia animam rationalem consequitur.

Instabis: ut appetitus iste sit frustraneus, sufficit, quod in aliquo individuo non consequatur terminum proprium: ergò si in aliquibus non consequitur, frustraneus est. Prob. ant. Appetitus, qui in omnibus consequitur terminum, in nullo frustratur: ergó ut sit frustraneus in aliquibus, satis erit, quod in aliquibus terminum non consequatur.

Resp. neg. ant. & ad probationem neg. conseq. Quia si appetitus in omnibus consequitur suum terminum, iam pervenit ad illud ad quod datur à natura, & ità in nullo individuorum frustratur. Si verò in aliquibus non consequitur, non propterea frustraneus erit, dummodo consequatur in alijs: quia appetitum esse frustraneum, est nullo modo consequi suum terminum, & cùm hic appetitus sit formaliter idem in omnibus, indè fit, quod si consequitur in aliquibus, iàm est verum talem appetitum absolutè consequi terminum, & ideò frustraneus non est.

Quarto arguitur. In homine non datur appetitus innatus ad omnes scientias: ergò nèc ad Logicam, nam Logicæ, & aliarum eadem ratio est. Prob. ant. Appetitus innatus ad impossibile terminari non potest, nàm si terminus appetitus est impossibilis per naturam, appetitus erit frustraneus; sed addiscere omnes scientias est naturaliter impossibile: ergó in homine non datur appetitus innatus ad omnes scientias. Prob. min. *Ars longa vita brevis, occasio præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile, ut dicit* Hipocrates, *& corpus, quod corrumpitur*

aggravat animam, terrenaque inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, ut habetur Sap. 9.: ergò addiscere omnes scientias est naturaliter impossibile.

Resp. neg. ant. & ad probationem dist. maj. ad impossibile *tàm physicè, quàm moraliter*, conc. maj. *ad impossibile moraliter tantum*, neg. maj. & dist. min. addiscere omnes scientias *collectivè*, conc. min. *divisive*, neg. min. & conseq. Quia licet in homine non sit potentia moralis ad omnes scientias, eius enim potentia intellectiva pro hoc statu est pluribus impedimentis quasi ligata, nè possit in totum suum obiectum sinè defectu prorrumpere, ut belle probat argumentum, est tamèn in eo potentia physica ad omnes scientias, maximè speculativas, & ordinis naturalis, cum istæ contineantur in linea entis sensibilis, seú cognoscibilis per species à sensibus acceptas: ut satis indicat D. Th. 1. 2. q. 109. art. 1. in corp. dicens: *quod intellectus humanus est de se sufficiens ad illa intelligibilia cognoscenda, in quorum notitiam per sensibilia possumus devenire.* Nec terminus talis appetitus est impossibilis, non enim homo habet appetitum innatum addiscendi omnes scientias simul, sed seorsim, & successivè, sicut materia prima appetit formas, quod quidem physicè impossibile non est: sicut etiam nulla erat sagitta in pharetra *Scelluri*, quam facilè non possent filij eius frangere, quamvis omnes simul iunctas, & colligatas, nusquam, urgente Patre, frangere potuerint.

Addo: ut appetitus, quo homo omnes scientias scire desiderat, non frustretur, sufficit quod de se, sivè ab intrinseco habeat vim sufficientem ad omnem scientiarum collectionem, quamvis per accidens talis virtus ab extrinseco sit ligata, & impediatur, né scientiarum collectionem attingat ex defectu illorum, quæ cum intellectu ad eam attingendam debent suo modo concurrere.

§. IV.

REstat nùnc nos expedire à difficultate appetitus eliciti, de quo etiam præmissimus quæsitum nostrum procedere. Appetitus *elicitus* alius est *rationalis*, qui dicitur voluntas, & alius *sensitivus*, qui sensualitas appellatur, ulteriusque dividitur in *irascibilem*, & *concupiscibilem*. Sed de istis agere potius ad Animasticum, quàm

ad

ad Logicum ſpectat. Pro nunc ſufficiens erit aliqua de appetitu elicito rationali prælibare.

Hic autem appetitus eſt duplex *liber, vel neceſſarius*. *Liber* eſt, qui tendit ad obiectum cum indifferentia propoſitum. *Neceſſarius*, qui tendit ad obiectum cum determinatione. Hic etiam duplex eſt, alius neceſſarius *quoad ſpecificationem, & exercitium*, ſicut appetius Beatorum ad amandum Deum: Diciturque talis, quia nedùm ex ratione objecti, ſed etiam ex parte ſubjecti talem habet diſpoſitionem, quod non poteſt non elicere hunc determinatum actum. Alius verò neceſſarius eſt *quantum ad ſpeciem, ſed non quoad exercitium*, ſicut appetitus intellectus ad verum, & voluntatis ad bonum in communi: taliſque dicitur, quia ex ipſa ratione obiecti caret aliqua ratione terminante alium actum, quàm talis ſpeciei, *aſſenſus* v. g., & non diſſenſus, *amoris*, & non odij. Itaque neceſſitas ſpecificationis tenet ſe ex parte principij ſpecificantis; & cum hoc ſit obiectum, oportet explicari penès id, quod ex parte obiecti ſe tenet, ſcilicet quando ex parte obiecti nihil repræſentatur mali, quod poſsit odio haberi: & ità excludit libertatem contrarietatis, ſed eſt poſſe aſſentire, vel non aſſentire, amare, vel non amare.

His breviter prælibatis, cum plures habeamus Authoritates Aug. Præcept. aſſerentes ſolùm dari appetitum neceſſarium quoad ſpeciem reſpectu Beatitudinis, & eorum, ſine quibus Beatitudo non poteſt haberi, non verò reſpectu aliorum, quæ ſunt ad finem, ſine illis tamen poteſt haberi finis, pariterque videamus aliquos Div. Th. fideliſsimos Interpretes ponere neceſsitatem quoad ſpeciem reſpectu Logicæ, quę continetur inter ea, quæ ſunt purè ad finem (ut Author noſter) & facilè non ſit æqua lance pondus authoritatum, rationum, & expoſitionum librare: ſententiam pro utraque parte ob oculos ponemus, ut unuſquiſque, ad quam maluerit, porrigat manum ſuam.

§. V.

Secunda concluſio.

Datur in homine appetitus elicitus neceſſarius quoad ſpeciem in ordine ad Logicam.

PRobatur concluſio noſtra ratione: in homine habente Logicam non eſt dabilis aliquis actus circà illam, qui non ſit actus amoris: cr-

ergò appetit Logicam appetitu elicito neceſſario quantùm ad ſpeciem actus, nam illam appetere prout ſic, nihil aliud eſt, quàm non poſſe circà illam verſari niſi per actum ſpecie determinatum amoris. Prob. ant. Homo habens notitiam Logicę, non poteſt odio Logicam habere: ergò in tali homine non eſt dabilis aliquis actus circa illam, quì non ſit actus amoris. Prob. ant. Non poteſt homo odio habere propriam perfectionem, & bonum, nàm bonum eſt, quod omnia appetunt, & reverà ſi homo haberet odio propriam perfectionem, & bonum, haberet odio ſe ipſum, quandoquidem haberet odio illud, quo ipſe bonus, & perfectus ſit; ſed Logica eſt bonum hominis, & propria illius perfectio: ergò homo habens notitiam Logicæ, non poteſt odio illam habere.

§. VI.

Solvuntur argumenta.

COntrà concluſionem iſtam arguitur primò: quod appetitur neceſſariò quantùm ad ſpeciem, non poteſt odio haberi; ſed plures homines odio habent Logicam: ergó non datur in homine appetitus elicitus neceſſarius, quoad ſpeciem in ordine ad Logicam. Mai. patet. Nam obiectum aliquod neceſſariò appeti quantum ad ſpecificationem, nihil aliud eſt quàm quod ſi voluntas circà tale obiectum prorrumpat in actum, ille actus debet eſſe amor, & non poteſt eſſe odium. Min. vero prob. Tùm quia id experimur in Tironibus. Tùm quia multi nolunt ſcire, *& aliqui ſunt rebelles lumini.* Et de Lecinio Imperatore fertur, quod fuit literis adeò infeſtus, *ut virus*, ac *peſtem publicam* eas appellaret. Ac denique *qui addit Logicam ſcientiam addit & laborem*; unde Minerva ſcientiarum præſes dicta eſt ab antiquis, *quaſi minuens nervos, & vigorem.* Sed laborem, & vigoris minutionem omnes odio habent: ergò plures homines odio habent Logicam.

Reſp. diſt. min. odio habent Logicam *ſecundum ſe*, & *ratione ſui*, neg. min. *per accidens*, *& ratione laboris*, conc. min. & neg. conſeq. Nàm, ut inquit D. Th. 2. 2. q. 15. art. 1. ad 3. *Intelligere veritatem cuilibet eſt ſecundum ſe amabile, poteſt tamen per accidens eſſe alicui odibile in quantùm ſcilicet per hoc homo impeditur ab alijs, quæ magis amat.* Sic etiam poſſunt homines odio habere Logicam ratione la-

laboris, qui reperitur in eius acquisitione, & impedientis quietem suavitèr viventium, non tamèn odio habent Logicam secundùm se sumptam, & quatenùs est perfectio intellectus humani, sed prout sic illam appetunt necessariò quantum ad specificationem: quia nullus potest suam perfectionem odio habere. Et si aliqui odio videntur prosequi Logicam, vel alias scientias, illasque recusant, tale odium non ad scientias, sed ad laborem annexum reverà terminatur. Fatemur enim, scientiam addere laborem, & studium debilitare corpus, undè ut plurimum viri studiosi sunt debiles; sed hoc non tollit necessitatem quoad specificationem appetendi perfectionem Logicę secundùm se sumptam, sicut licet ratione laboris homines nollint vivere virtuosè, non infertur non appetere virtutes necessariò quoad speciem, ut fert communis sententia; sed quod omnes appetunt *iustitiam* v. g. *& nullus per suam domum.* Rursus quando in natura non sunt principia completa in actu, qualia non sunt respectu scientiæ, possunt impediri, & proptèr complexionem alicuius individui appetitus naturæ in hoc, vel illo frustrari; sed erit quasi monstruum: & ita de illo Imperatore *Lechilo* ait quidam Doctor: *cùr litteras non odisset, quarum adeò expers erat, ut ne decretis quidèm subscribere posset?* Seclusis ergo difficultatibus, per se loquendo nullus scientiam odio habet, ac proinde nec Logicam.

Instabis: Logica etiam secundùm se potest odio haberi: ergò nulla est solutio. Prob. ant. Quando cum bono per se conjungitur malum, etiam bonum secundùm se odio habetur, nàm ideò homo habet odio introductionem novæ formæ, quia per se coniungitur cum morte, quæ non amatur ab homine; sed Logica per se coniungitur cum aliquo malo, videlicet cum labore, qui reperitur in eius consecutione: ergò etiam secundùm se poterit odio haberi.

Resp. neg.ant. & ad probationem dist. maj. per se conjungitur malum *præponderans suprà bonum &c.* conc. maj. *non præponderans*, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Quando namquè malum coniunctum destruit subiectum, vel affert illi maximam disconvenientiam, potest bonum odio haberi, & huius generis est introductio novæ formæ, quæ subiectum destruit, & destructio subjec-

ti præponderat ſuprà bonum, quod introductio novæ formæ affert reſpectu materiæ: verum tamèn labor repertus in adquiſitione Logicæ parvam diſconvenientiam affert, & perfectio, quam Logica intellectui communicat, multum præponderat ſuprà laborem prædictum, parvum enim eſt inconveniens minuere vires corporis ad perficiendam mentem, quia corpus animæ ſervire debet, & ideò non obſtante labore poteſt Logica ſecundum ſe neceſſariò appeti.

Dices: labor repertus in adquiſitione Logicæ, quamvis parvam diſconvenientiam afferat, poteſt odio haberi: ergò etiam poterit odio haberi Logica ſecundùm ſe ſumpta. Prob. conſeq. Appetitus, & inclinatio ad Logicam per ſe connectitur cum appetitu ad laborem: ergò ſi labor iſte poteſt odio haberi, Logica etiam poterit non amari. Prob. ant. Appetitus, & inclinatio ad finem per ſe connectitur cum appetitu ad media conducentia ad conſecutionem finis; ſed labor ille eſt medium ad Logicam conſequendam: ergò appetitus ad Logicam per ſe connectitur cum appetitu ad laborem.

Reſp. neg. conſeq. & ad probationem diſt. ant. ad laborem, *ut medium utile*, conc. ant. ad laborem *ſecundum ſe*, neg. ant. & conſeq. Quia appetitus ad finem ſolùm per ſe connectitur cum appetitu ad media, quatenùs conducentia, & utilia ad conſecutionem finis, non tamèn cum medijs ſecundùm ſe. Ex quo infertur, quod, qui appetit Logicam, debet appetere laborem, ut utilem, & conducentem ad Logicam conſequendam; non tamèn quod debeat appetere laborem ſecundùm ſe, & quatenùs ſenſus fatigat, & malum hominis eſt, ſed proùt ſic odio habet laborem. Sicut qui appetit virtutem, odio habet laborem neceſſarium ad ſalutem, inſpectum ſecundùm ſe, & quatenùs malum eſt, quamvis laborem diligat, ut utilem ad virtutem conſequendam.

Secundò arguitur. Appetitus elicitus eſt appetitus ſequens cognitionem, & ità ſi fuerit appetitus elicitus neceſſarius naturalis, erit ſequens cognitionem naturalem; ſed naturaliter non eſt homini indita cognitio Logicæ: ergò non appetit Logicam appetitu elicito neceſſario quoad ſpeciem. Prob. min. Si ità eſſet, ſcire noſtrum eſſet quoddam reminiſci; ſed hoc eſt falſum, nàm intellectus

tus noster naturalitèr est tanquàm tabula rasa, in qua nihil est depictum: ergò naturalitèr non est homini indita cognitio Logicæ.

Pro solutione huius argumenti aliqui arbitrantur, scientias non solùm esse terminum naturalis inclinationis, sed ab Authore naturæ inditas, non quidem in esse perfecto (ut ajebat Plato) sed secundum quamdam inchoationem imperfectam, non in pura potentia, sed in esse actuali, eo modo, quo ponunt latitare formas in materia. Verùm quia D. Th. non ponit latitationem formarum naturalium, quamvis ponat eas esse in potentia materiæ, ideò nec scientias ponit esse innatas, nisi solùm in potentia, & quasi in semine primorum principiorum, ut videri est 1. 2. q. 63. art. 1. Quare alitèr:

Resp. neg. maj. Appetitus namquè elicitus necessarius quoad speciem non dicitur naturalis, quia inditus à natura complete, vel quia sequatur cognitionem naturalem, sed quia supposita notitia imperfecta per sensus, vel quoad *an est* per instructionem, vel per inventionem tendit homo appetitu naturali in adquisitionem scientiarum, qualitèr virtutes aliquæ dicuntur naturales, quamvis non consequantur ex necessitate principiorum naturæ, quia per principia naturæ adquiri possunt. Et secluſis difficultatibus, scire Logicam nullus naturalitèr respueret, eo ipso quod illius notitiam confusam habeat, quam arte, & labore perficiet, & adquiret distinctam.

§. VII.

Tertia Conclusio.

In homine non datur appetitus elicitus necessarius quoad speciem in ordine ad Logicam.

CONclusionem istam esse de mente Ang. Præcept. valida suadent plurima ipsius testimonia. Ipse namquè pluribus in locis eam apertissimè docet, præsertim 1. 2. q. 10. art. 2. in corp. ubi sic ait. *Si proponatur voluntati aliquod objectum, quod non secundum quamlibet considerationem sit bonum, non ex necessitate voluntas fertur in illud, & quia defectus cuiuscumque boni habet rationem non boni, ideò illud solum bonum, quod est perfectum, & cui nihil deficit, est tale bonum, quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo.*

Alia

Alia autem quælibet particularia bona, in quantum deficiunt ab aliquo bono possunt accipi, ut non bona, & secundum hanc considerationem possunt repudiari à voluntate. Et in resp. ad 1. eiusdem art. hæc habet Doct. Ang. *Sufficiens motivum alicuius potentiæ non est nisi obiectum, quod totalitèr habet rationem motivi, si autem in aliquo deficiat, non ex necessitate movebit.* Ac denique in respons. ad 3. sic inquit Sanctus Doct.: *Finis ultimus ex necessitate movet voluntatem, quia est bonum perfectum, & similitèr illa, quæ ordinantur ad hunc finem, sine quibus finis haberi non potest, sicut esse, & vivere. Alia verò, sine quibus finis haberi potest, non ex necessitate vult, qui vult finem.* In quibus verbis loquitur Præcept. Ang. de necessitate quantùm ad specificationem actus, nàm de necessitate quoad exercitium, præmittit D. Th. quod voluntas à nullo obiecto ex necessitate movetur. Nunc sic: Sed Logica est quoddam bonum particulare deficiens ab aliquo bono, ac proindè habens rationem non boni; nec totalitèr habet rationem motivi voluntatis; nec talis est, ut sinè illa finis ultimus consequi non possit, surgunt enim indocti, ac ignari Logicæ, & rapiunt cœlum: ergò Logica potest repudiari à voluntate, cùm ex ipsa ratione obiecti careat ratione terminante actum amoris necessarium quoad speciem.

Ratione verò probatur conclusio: ideó homo habens notitiam Logicæ illam appeteret necessariò quoad speciem, quia ipsi prout sic Logica videtur bona, & conveniens; sed hoc non suadet necessitatem quoad speciem respectu Logicæ: ergò homo non appetit Logicam appetitu elicito necessario quoad speciem. Prob. min. Logica videtur bona, & conveniens, per hoc quod homo est dispositus per habitum Logicalem, sed dispositio per habitum Logicalem non necessitat voluntatem, quoad speciem: ergò licet Logica videatur bona, & conveniens homini habenti notitiam ipsius, non necessitabit quoad speciem. Prob. min. Dispositio per habitum logicalem non est naturalis, sed subjacet voluntati; sed dispositio, quæ non est naturalis, sed subjacet voluntati, non necessitat voluntatem quoad speciem, ut patet ex D. Th. q. 6. de Mal. art. 1. in calce corporis dicente: *quod si sit talis dispositio, quæ non sit naturalis, sed subiacens voluntati puta,*

cum

cum aliquid disponitur per habitum, vel passionem ad hoc, quod sibi videatur aliquid vel bonum, vel malum in hoc particulari non ex necessitate movetur voluntas: ergò dispositio per habitum logicalem non necessitat voluntatem quantum ad speciem.

§. VIII.

Solvuntur argumenta.

COntrà Conclusionem istam arguitur primò ratione probativa præcedentis conclusionis. In homine habente Logicam non est dabilis aliquis actus circà illam, qui non sit actus amoris: ergò in homine datur appetitus elicitus necessarius quoad speciem in ordine ad Logicam. Prob. ant. Homo habens notitiam Logicę non potest odio Logicam habere: ergò in tali homine non est dabilis aliquis actus circà Logicam, qui non sit actus amoris. Prob. ant. Homo non potest odio habere bonum, nam bonum est, quod omnia appetunt, sed Logica est bonum hominis: ergò homo habens notitiam Logicæ, non potest odio illam habere.

Resp. neg. duo antecedentia prima, & ad probationem dist. maj. odio habere bonum, *quod est tale secundum omnia particularia, quæ considerari possent*, conc. maj. *quod non sic tale prout fic.* neg. maj. & dist. min. est bonum hominis *secundum aliquam considerationem*, conc. min. *secundum omnem considerationem*: neg. min. & conseq. Licet enim bonum, quod est tale secundum omnia particularia, quæ considerari possunt, ex necessitate quantum ad determinationem actus moveat voluntatem, ità ut non possit velle oppositum, qua ratione homo non potest odio habere beatitudinem, quæ, secundum Boetium, est status omnium bonorum aggregatione perfectus: bonum tamen, quod non invenitur esse tale secundum omnia particularia, quæ considerari possunt, non ex necessitate movet, etiam quantum ad determinationem actus. Et rationem reddit D. Th. q. 6. de Malo art. 1. in corpore, scilicet, *quia potest aliquis velle eius oppositum, etiam de eo cogitans, quia fortè est bonum, vel convenions secundum aliquod aliud particulare consideratum, sicut quod est bonum sanitati, non est bonum delectationi, & sic de alijs.* Similiter contingit in Logica, quæ licet bona sit intellectivæ potentiæ, utpote eius perfectio, bo-

bona tamen non eſt conſervationi vitæ: undè poterit aliquis, etiam cogitans de bonitate Logicę, velle oppoſitum. Quodnam oppoſitum? Non carentiam Logicæ, quæ nihil eſt, ſed aliud, quod non ſit bonum reſpectu intellectus, & bonum ſit conſervationi vitæ, aliquam ſcilicet artem mechanicam, cum qua ſibi cum victu, & veſtitu ſuccurrere poſsit: & ità bonum Logicæ non appetitur neceſſario quoad ſpeciem, ſed liberè libertate quoad ſpecificationem poteſt in illud, vel in oppoſitum tendere voluntas.

Secundò arguitur: Logica comparatur ad voluntatem, ſicut movens ad motum, vel ſicut activum ad potentiam paſsivam; ſed potentia paſsiva ex neceſsitate quoad ſpeciem movetur à ſuo activo: ergò homo appetit Logicam appetitu elicito neceſſario quoad ſpeciem. Maj. patet. Nàm Logica eſt obiectum appetibile à voluntate, appetibile autem eſt movens non motum, appetitus verò eſt movens motum, ut dicit Philoſ. in 3. dè Anima text. 54. Min. verò prob. Sicut apprehenſum ſecundum ſenſum eſt activum reſpectu potentiæ paſsivæ, quæ dicitur *ſenſus*, ità apprehenſum ſecundum intellectum eſt activum reſpectu potentiæ paſsivæ, quæ dicitur *voluntas*; ſed ſenſus ex neceſsitate quoad ſpeciem movetur ab apprehenſo per ſenſum: ergò etiam voluntas ab apprehenſo per intellectum, conſequentèrque Logica apprehenſa per intellectum ut bona, neceſſariò quoad ſpeciem voluntatem noſtram movebit.

Reſp. diſt. min. à ſuo activo, *ſi ſuperat virtutem paſſivi*, conc. min. *ſi non ſuperet*, neg. min. ad cuius probationem diſt. maj. *ita, & eodem modo*, neg. maj. *ita, & diverſo modo*, conc. maj. & min. & nego conſeq. ſub diſt. min. Activum namque tolùm movet ex neceſsitate quoad ſpeciem, quando ſuperat virtutem potentiæ paſsivæ: & cum voluntas ſe habeat in potentia reſpectu boni univerſalis, nullum bonum ſuperat virtutem voluntatis, quaſi ex neceſsitate ipſam movens, niſi id, quod eſt ſecundum omnem conſiderationem bonum, quale eſt bonum univerſale, & perfectum: Logica autem eſt bonũ particulare, & deficiens, & ita non ſuperat virtutem voluntatis, nec illam movet ex neceſsitate quoad ſpeciem. De potentia autem ſenſitiva lata eſt diſparitas, vis enim ſenſitiva non

eſt

eſt collectiva diverſorum, ſicut ratio, ſed ſimpliciter apprehendit aliquid unum: & ideò ſecundum illud unum ex neceſsitate movet appetitum ſenſitivum ſufficienter applicatum. Ratio verò eſt collativa plurium, & ideò ex pluribus moveri poteſt ex neceſſitate appetitus intellectivus, ſcilicet voluntas, vel ex uno pluribus æquivalenti, qualis eſt ultimus finis, non tamèn ex uno bono particulari, qualis eſt Logica.

§. IX.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in articuli diſcurſu colligitur, ſcientias dici appetibiles ut terminum naturalis inclinationis; & ita iuxtà diverſitatem inclinationum erit etiam appetitus naturalis ſcientiæ. Dicitur autèm aliquid naturale alicui homini dupliciter, ut docet D. Th. 1. 2. q. 63. art. 1. Uno modo, *ex natura ſpeciei.* Et quia ſpecies eſt à forma, & hæc in homine eſt anima rationalis, quod convenit homini ſecundum animam rationalem, eſt ei naturale ſecundum naturam ſpeciei. Alio modo *ex natura individui.* Et quia materia eſt principium individuationis, & iſta in homine eſt corpus; quod eſt naturale homini ſecundum determinatam corporis complexionem, eſt ei naturale ſecundum naturam individui.

Undè ſi conſideretur appetitus hominis ſecundum naturam ſpeciei, magis appetit homo ſcientias perfectiores, illas ſcilicet, quæ non ſunt ad utilitatem inventæ, ſed propter ipſum ſcire, cujus modi ſunt ſcientiæ ſpeculativæ principales, quę quęruntur propter ſe ipſas. Si verò conſideretur appetitus hominis ſecundum naturam individui, ſic diverſa temperamenta in complexione cogitativæ faciunt ad diverſitatem ſcientiarum appetendam, ut inquit B. Albertus Magnus lib. 1. Metaph. tract. 1. cap. 5. Quidam enim violentia paſsionum omninò deducuntur à ſciendi ſtudio. Quidam bonum naturæ magis ſequentes, ad inquiſitionem perveniunt, & ad ſtudium. Et horum aliqui ſtudent benè, & libentèr Divinis, & ſubtilibus, & magnis rebus. Alij verò Doctrinalibus, & Mathematicis gaudent ſtudijs. Alij gratas habent ſpeculationes naturales. Alij autem occupantur circà ſigna Theologica, & detinentur in ipſis. Sed qui plura de his deſiderat, ad Metaphiſicam pergat, undè exacta huius difficultatis reſolutio reſervanda eſt: Logico enim ſat erit hæc rudiori Minerva deguſtare.

ARTICULUS II.

UTRUM LOGICA SIT AD ALIAS SCIENtias ſimpliciter neceſſaria ?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis ſtatuitur negativa Concluſio.

CIrcà præſentem difficultatem, nè ignorantia terminorum (ut ait Ariſtoteles 1. Elench.) faciat nos hallucinari, notandum eſt primò, nos in præſenti non loqui de Logica naturali, quæ eſt ipſum lumen naturale intellectus, quod *ſignatum eſt ſuper nos*, ſinè quo nemo poteſt ſcientificè aliquam veritatem cognoſcere: ſed ſolùm inquirimus de Logica artificiali, quę tradit regulas ad ſcientificè diſcurrendum in quacumque materia, & docet diſputando quemadmodum vera, & falſa dijudicentur, ſivè appelletur nomine Dialecticæ, ſivè Logicæ, nùnc enim temporis Doctores promiſcuè utroque nomine utuntur.

Secundò notandum eſt, neceſſarium eſſe illud, quod non poteſt non eſſe. Tot autèm modis accipitur, quot ſunt genera cauſarum, ut docet D. Th. 1. p. q. 82. art. 1. in corp. & Ariſtoteles 5. Metaph. textu 6. undè ſicut diſtinguimus quatuor cauſas, ità diſtinguere oportet quatuor modos neceſſarij. Dicitur enim aliquid neceſſarium ab intrinſeco, & abſolutè ratione cauſæ formalis, aut materialis: ſicut *animal neceſſariò eſt ſubſtantia animata ſenſibilis* ratione formæ, vel eſſentiæ; & *homo neceſſariò eſt corruptibilis* ratione materiæ in quantum ex contrarijs componitur. Vel ab extrinſeco, aut ratione cauſæ efficientis; ſicut *neceſſarium eſt ſagittam ſurſum præjectam aſcendere*, & hæc vocatur neceſsitas coactionis. Aut ratione finis: & hoc dupliciter. Aut ſimpliciter, ſicut *reſpirare eſt neceſſarium animali reſpiranti ad vitam*: aut ſecundum quid, *ſicut bibere pharmacum eſt neceſſarium ad expellendum malum infirmitatis. & perſpicilia ſunt neceſſaria ſeni ad videndum.* Difficultas autem noſtra ſolùm procedit de neceſſario ratione finis.

Tertiò ſupponendum eſt, no-

nomine *scientiæ* posse intelligi vel scientiam in statu imperfecto substantiali, ut quando quis habet scientiam unius, vel alterius conclusionis, vel scientiam in statu substantialiter perfecto, ut cum quis habet scientiam ferè omnium conclusionum, quæ in illa demonstrantur. Potest insuper considerari *scientia* in statu imperfecto accidentaliter, quando scilicet habet quis scientiam plurimarum conclusionum, vel omnium illarum, quin sciat eas defendere ab argumentis contrariorum: vel in statu accidentaliter perfecto, ut cum quis habet scientiam conclusionum, & scit eas resolvere in sua principia, regulas differendi veritatem defendere, & eos, qui contradicunt arguere. Et ad scientias in hoc ultimo statu consequendas, fatemur Logicam artificalem esse simpliciter necessariam, quia sine illa nemo potest scire regulas universales, & moduu faciendi demonstrationes, evitandique fallacias, & faciliter, vel saltim sine speciali difficultate contrariorum argumentis satisfacere.

Tandèm supponimus ad alias scientias etiam substantialiter consequendas esse Logicam secundum quid necessarium, & ad melius esse, tradit enim modum adquirendi alias scientias, docès diffinire, dividere, & argumētare. Quod proculdubio valdé commodū est ad currendam viam aliarum scientiarum. Propterea què recta methodo servata, à Logica debet incipere, qui celeri gradu scientiarum vellit percurrere callem.

His ergô prælibatis, ad necessitatem simpliciter talem, & in ordine ad alias scientias substantialiter habendas; tota difficultas reducitur. In qua parte aliqui affirmant, Logicam artificialem esse simpliciter necessariam ad quamcumque scientiam etiam substantialitêr consequendam: ità Sapientissimus Mag. Soto quæst. 1. Procœmiali, asserens, quod sinè Logica nullus est verè sciens, nèc est aliqua vera scientia, ità ut, qui hac tempestate juri utrique studeut, veram scientiam non habeant, sed meram fidem, quam adhibent dictis Doctorum. Quamvis postquâm studium litterarum in quæstu esse cæpit, contemnatur Logica, quæ non est de pane lucrando; & illa studio sequantur juvenes, in quibus maiora præmia posita sunt: non tàm veram scientiam, quàm vulgi opinionem aucupantes. Prædictum Mag. diversis licet vijs sequuntur

Sapient. Mag. Navarrete ex Conventu D. Pauli Valliſ-Oletani ſcientia, & virtute clariſsimus, Parra, & Lerma cum alijs.

Alij verò per oppoſitum aſſerunt, Logicam non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad alias ſcientias ſubſtantialitèr conſequendas: ità Maſius, Venerandi Complutenſes, Mag. à S. Thoma, Lince cum alijs, & cum illis hæc erit.

§. II.
Noſtra Concluſio.

Ad alias ſcientias ſubſtantialitèr conſequendas non eſt Logica ſimplicitèr neceſſaria.

CONcluſionem iſtam docuit Præcept. Ang. 9. Metaph. lect. 7. in fine aſſerente: *quod in ipſa ratione preinſuut quædam ſemina, & principia ſcientiarum, & virtutum, virtute quorum poteſt homo aliqualitèr exire in ſcientiæ, & virtutis actum, antequam habeat habitum ſcientiæ, & virtutis, quo adepto operatur perfectè.* Et immediatè antèa dixerat Doct. Ang. quod addiſcens artem, operatur opera artis ſinè arte, licet non faciat opus artis perfectè, ſicut ille, qui iàm habet artem. In quibus expreſsè docet intellectum ſola virtute naturali poſſe exire in actum ſcientię, & virtutis. Et paulò ſuprà generalitèr docet, poſſe aliquem operari effectum artis ſinè arte, exemplificans in *ædificatore*, & *Citharedo*; ſed Logica in ordine ad alias ſcientias concurrit cum intellectu per modum habitus artificialitèr adjuvantis intellectum: ergò intellectus ſolo lumine naturali poteſt actum ſcientificum elicere in quacumque ſcientia, & demonſtrationem facere.

Id ipſum ſuadet Ang. Doct. 7. Metaph. lect. 8. & 2. contra Gent. cap. 75. ubi duplex genus artium diſtinguit: *quædam, in quarum materia non eſt aliquod principium agens ad effectum artis producendum, ſicut in lignis, vel lapidibus non eſt aliqua vis activa ad conſtitutionem domus. Aliquando verò eſt ars, in cuius materia eſt principium movens ad producendum effectum artis, ut patet in medicina: quia in corpore infirmo eſt aliquod principium activum ad ſanitatem. Effectum artis primi generis numquam producit natura, ſed ſemper fit ab arte: effectus autem ſecundi generis fit ab arte, & aliquando à natura ſine arte*; ſed Logica (ut infrà dicemus) verſatur circà dirigendas operationes intellec-

lectus, in quo invenitur principium movens ad scientificè procedendum, sicut in corpore ad sanitatem: ergò potest sinè arte fieri effectus artis Logicę, & ità non est simpliciter necessaria ad omnem demonstrationem, & scientiam.

Probatur conclusio nostra ratione: Habitus Philosophiæ potest adquiri solo lumine naturali, & independenter à Logica artificiali, idemque dicendum de habitu cujuscumque alterius scientiæ: ergó Logica non est simpliciter necessaria ad alias scientias substantialiter consequendas. Prob. ant. Facillima veritas Philosophiæ potest cognosci solo lumine naturali demonstrativè evidenter; sed per demonstrationem prędictam adquiritur habitus Philosophiæ, si non supponatur antecedenter productus: ergò habitus Philosophiæ potest cognosci solo lumine naturali, & independenter à Logica artificiali. Prob. maj. Si semel veritas difficilior potest cognosci solo lumine naturali demonstrativè evidenter, etiam veritas facilis eiusdem ordinis poterit solo lumine naturali cognosci evidenter demonstrativè; sed facillima veritas Philosophiæ, non ità difficilis est, sicut veritas, quæ primò demonstratur in Logica, & hæc cognoscitur evidenter solo lumine naturali: ergò facillima veritas Philosophiæ poterit cognosci solo lumine naturali evidenter demonstrative. Min. patet quantum ad utramque partem. Quoad 1. quidem: quia veritas, quæ primò demonstratur in Logica, est passio entis rationis, quæ difficilior est in cognosci, quàm passiones entis realis sensibilis, quæ in Philosophia demonstrantur. Quantum ad 2. verò partem etiam constat: quia ante primam demonstrationem Logicæ non præcedit aliquis habitus, & consequenter veritas, quæ primò demonstratur in Logica, cognoscitur evidenter solo lumine naturali. Major verò probatur. Veritas difficilior robustiores vires desiderat in potentia cognoscente, ut ex terminis est manifestum: ergò si veritas difficilior potest cognosci solo lumine naturali demonstrativè evidenter, etiã veritas facilis ejusdem ordinis poterit solo lumine naturali cognosci evidenter demonstrativè.

Confirmatur: ut aliquis assentiatur scientificè conclusioni, & per talem assensum adquirat habitum scientiæ, sufficit cognitio exercita b[illegible]-

nitatis consequentiæ; sed hęc potest haberi sinè Logica: ergò Logica simpliciter necessaria non est ad scientias substantialiter consequendas. Min. patet in prima demonstratione Logicæ, qua Logica generatur, in qua quidem cognoscitur bonitas consequentiæ exercitè sine Logica, eo quod talis demonstratio ipsam Logicam præcedit.

Dices: In prima demonstratione Logicæ, licet cognoscatur bonitas consequentiæ sine Logica formali, non tamèn sinè Logica virtuali: ergò cognitio exercita bonitatis consequentiæ, nequit haberi sinè Logica. Prob. ant. In prima demonstratione, qua Logica generatur, demonstratur ipsa bonitas consequentiæ, & infertur pro conclusione; sed conclusio virtualiter pręcedit in præmissis, in quibus continetur: ergò non potest cognosci sinè aliquali notitia prævia bonitatis consequentiæ, ac proinde sine Logica virtuali. Quod tamèn non contingit in alijs demonstrationibus, in quibus non infertur pro conclusione bonitas consequentiæ.

Resp. hoc argumentum nedùm probare de prima demonstratione, qua Logica generatur, sed etiam de omnibus alijs: nàm in omnibus illis potest intellectus evidenter cognoscere conclusionem contineri in præmissis, & benè ex illis inferri. Et ratio est, quia bonitas consequantiæ, quæ infertur pro conclusione in prima demonstratione, eiusdem rationis est in ratione conclusionis illatæ cum qualibet alia conclusione, quatenùs conclusio est, & ex præmissis infertur, ac proindè, si ad cognoscendam bonitatem consequentiæ in prima demonstratione, qua Logica generatur, sufficit Logica virtualis, non est cur, ad bonitatem consequentiæ in cæteris demonstrationibus cognoscendam, exigenda sit Logica formalis, cum omnium eadem ratio sit. Præterquamquod asserere, quod in prima demonstratione, qua Logica generatur demonstretur ipsa bonitas consequentiæ, nimis voluntarium videtur: prima namque demonstratio Logicæ potiùs debet probare aliquam passionem modi sciendi in communi, qui est eius objectum, quælibet enim scientia per se primo demonstrare debet passionem aliquam sui objecti specificativi, & inter passiones primam, nàm demonstrationes, quæ circà reliquas passiones versantur, non sunt per se primæ, sed per accidens.

Se-

Secundò probatur conclusio nostra ratione: habitus adquisitus non datur ad posse simpliciter, sed ad facilitèr operandum, ad differentiam habitus infusi, qui non solùm præstat facilitatem, sed etiam ad ipsum actum quantùm ad substantiam simpliciter requiritur, sed habitus Logicæ est habitus adquisitus: ergò aliæ scientiæ possunt adquiri simpliciter, & absolutè sinè Logica, licet non ità facilitèr. Rursùs intellectus solo lumine naturali potest facere actum eiusdem speciei cum illo, quem facit adjutus habitu naturali adquisito, nam habitus scientiæ solùm generatur per assensum verè scientificum, & per principia per se nota, quibus convincatur intellectus ad assentiendum firmitèr conclusioni, ut docet D. Th. 1. 2. q. 51. art. 3. in corp. & primus actus fit sinè habitu scientię, vel virtutis, ut iam relinquimus probatum ex ipso D. Th.; sed Logica solùm requiritur ad alias scientias, ut habitus naturalis adquisitus: ergò sinè habitu Logicæ potest fieri assensus scientificus, v.g. *Philosophiæ* eiusdem speciei, ac fit in præsentia habitus Logicæ, licet non cum tanta perfectione.

Confirmatur: non minus dependet conclusio Philosophiæ à principio eliciente, quàm dependet à principio dirigente, nàm principium eliciens directè, & proximè concurrit, principium verò dirigens solùm indirectè, & quasi remotè coadjubat; sed potest præstari assensus conclusioni scientificæ Philosophiæ sine principio proximo eliciente, nempè sinè habitu Philosophiæ, quando namque generatur habitus Philosophiæ, ipsa Philosophia non præcedit primam demonstrationem, qua generatur habitus: ergò multò meliùs sinè habitu Logicæ dirigentis.

Tandem probatur conclusio ratione à priori: virtus naturalis intellectus eminentèr continet omnes actus, qui possunt fieri medijs habitibus naturalibus, licet illos facere non possit cum illa perfectione, qua fiunt in præsentia habituum: ergó aliquem actum Logicę potest facere sine Logica, & aliquando sinè elicientia actus Logicæ potest convinci ad veritatem, & illationem penetrandam quoad speciem assensus, ita ac si haberet Logicam. Ergò multò meliùs poterit facere sinè Logica aliquem actum Philosophiæ, vel cuiusvis alterius scientiæ, & convinci ad eius

veritatem, & illationem penetrandam. Ant. conſtat ex D. Th. 1. p. q. 117. art. 1. in corp. ubi ait: *quod inest unicuique homini quoddam principium ſcientiæ, ſcilicet lumen intellectus agentis, per quod cognoſcuntur ſtatim à principio naturaliter quædam univerſalia principia omnium ſcientiarum. Cum autem aliquis huiuſmodi univerſalia principia applicat ad aliqua particularia, per inventionem propriam adquirit ſcientiam eorum, quæ neſciebat, ex notis ad ignota procedens.* Quæ verba adeò clara ſunt, ut ultrà ponderatione non egeant.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntrà concluſionem iſtam arguitur primò ex D. Aug. lib. 2. de Ordine cap. 13. dicente: *Logica docet docere, hæc docet diſcere, ... ſola ſcientes facere non ſolum vult, ſed etiam poteſt.* Cui conſonat fideliſsimus eius Interpres D. Th. Aquinas 1. Poſt. lect. 1. dicens: *Ars quædam neceſſaria eſt quæ ſit directiva ipſius actus rationis, per quam ſcilicet homo in ipſo actu rationis ordinatè, facilitèr, & ſine errore procedat. Et hæc eſt ars Logica, id eſt, rationalis ſcientia.* Et rurſus 2. Metaph. lect. ultim. ait: *quod prius debet homo addiſcere Logicam, quàm alias ſcientias, quia Logica tradit communem modum procedendi in omnibus alijs ſcientijs.* Quod idem repetit opuſc. 70. q. 5. art. 1. ad 3. Ergò ſine Logica nemo diſcit, nec ſcit, ut habetur in prima; nec intellectus poteſt procedere ſine errore, ut dicitur in ſecunda, nec addiſcere aliquam ſcientiam antè illam, ut oſtendit tertia, & conſequentèr Logica ſimpliciter neceſſaria eſt.

Reſp. explicando authoritatem D. Aug. Logica docet diſcere *doctrinaliter*, & *directivè*, *ſeu ſignatè*, & ſola ſcientes facere poteſt *perfectè accidentaliter*, conc. ant. docet diſcedere *abſolutè*, & ſola ſcientes facere poteſt *quoad ſubſtantiam*, neg. ant. Licet enim verum ſit, quod ſola Logica doceat diſcere doctrinaliter, & directivè, tradens modum ſciendi, & adquirendi alias ſcientias ſignatè, & expreſsè, ac proindè, ut quis media doctrina poſsit adquirere alias ſcientias Logica ſimpliciter neceſſaria ſit, ſicut etiam ad illas habendas in ſtatu perfecto accidentali, cum ſola illa doceat, quid ſit modus ſciendi in communi, quomodo evitandæ ſint fal-

la-

laciæ, & qualitèr argumentis contradicentium posit facilitèr satisfieri; secùs tamèn quod sola illa doceat docere, & discere absolutè, facereque scientes quoad substantiam: Magister enim cuiuscumque facultatis, vel scientiæ Discipulum scientem facit, vel proponendo ei aliqua auxilia, vel instrumenta, vel ordinem principiorum ad conclusiones, ut sine restrictione aliqua 1. p. q. 117. art. 1. docet Ang. Doct. qui Augustinus contractus esse iudicatur. Fortassè autem libuit Magn. Parent. August. illa verba de Logica proferre, ut ipsam sua tempestate jacentem pro eius dignitate, & antiquitate hisce rationibus erigeret adversus Cresconium, & alios Contemptores, qui dicebant *à Logica Augustini libera nos Domine.* Præterquamquod experientia ipsa compertum est, sinè adminiculo Logicæ illustres viros alijs scientijs fuisse præditos, tùm Jurisconsultos, tùm nonnullos ex Doctoribus sacris, tùm Septem Græciæ Sapientes, qui fuerunt antè Zenonem, & Platonem, qui inventores Logicæ reputantur.

Ad secundam authoritatem ex D. Th. desumptam resp. Doct. S. solùm intendere, Logicam esse necessariam secundum quid, & ad melius esse, ut intellectus sinè errore procedat, non tamèn esse necessariam simplicitèr. Eodem enim modo Logica requiritur ad sciendum, sicut medicina ad sanandum, ut deducitur ex D. Th. loco cit. 1. p.: quarè sicut natura potest absolutè, & simplicitèr adquirere sanitatem sinè medicina artificiali, ità intellectus sine errore procedere absque rationali scientia, qualis est Logica.

Ad 3. authoritatem resp. Ang. Præcept. solùm docere, quod, recto ordine Doctrinæ servato, incipientes à Logica primò debent procedere, & primò illam addiscere: & ad hoc sufficit, quod aliæ scientię, ut adquirantur, dependeant secundum quid, & ad melius esse à Logica ipsa, non tamèn est necessarium, quod simplicitèr dependeant.

Secundò arguitur: ad habendum assensum firmum, & absque ulla formidine requiritur necessariò Logica: ergó ad omnem assensum scientificum simplicitèr necessaria est. Prob. ant. Intellectus ignarus Logicæ facilè potest dimoveri ab assensu conclusionis, si proponatur illi aliquis paralogismus: ergò ad habendum assensum firmum, & absque ulla formidine

ne Logica ſimpliciter neceſſaria eſt.

Confirmatur intellectus ſine Logica nequit diſcernere demonſtrationem ab argumenta fallaci, nec etiam poteſt facere demonſtrationem, niſi ſciat quomodo, & ex quibus principijs ſit faciendu demonſtratio; ſed hæc omnia non poteſt intellectus cognoſcere ſine Logica: ergò Logica ſimpliciter neceſſaria eſt ad quamcumque demonſtrationem, & aſſenſum ſcientificam veritatis.

Reſp. ad argumentum neg. ant. & ad probationem diſt. ant. facilè *per accidens, & ratione ſubjecti*, conc. ant. *per ſe, & ex meritis objecti*, neg. ant. & conſeq. Quilibet namquè aſſenſus ſcientificus per ſe, & ex meritis objecti firmus eſt, ex eo quod medium demonſtrandi, cui innititur aſſenſus, convincit plenè intellectum quamvis per accidens, & ratione ſubjecti non habentis Logicam, qua paralogiſmo reſiſtere valeat, facilè poſsit deficere, ex eo quod repèritur in ſubjecto incapaci ad habitum conſervandum. Nihilominus tamèn argumentum inſtatur: nàm etiam contrà prima principia poſſunt opponi fallaciæ, quas ignarus Logicæ ſolvere neſciet, cum tamen ſine Logica detur circà prima principia aſſenſus certus per habitum primorum principiorum.

Ad confirmationem reſp. diſt maj. nequit diſcernere *ſignatè*, nec etiam &c. niſi ſciat *exercitè*, conc. maj. diſcernere *exercitè*, nec etiam.. niſi ſciat *ſignatè*, & *expreſsè*, neg. maj. & diſt. min. cognoſcere *ſignatè*, & *expreſsè*, conc. min. *exercitè*, neg. min. & conſeq. Nam ut intellectus poſsit facere demonſtrationem, non requiritur ſignatè, & in univerſali naturam demonſtrationis cognoſcere, nec naturam ſillogiſmi fallacis, nec ſignate ſcire modum, & diſpoſitionem faciendi demonſtrationem, nec regulas artificiosè docere, quod ſolius Logicæ munus eſt: ſed ſufficit cognoſcere exercitè ſillogiſmum hunc in particulari evidenter concludere, & concluſionem evidenter inferre, & ſimilitèr diſpoſitionem demonſtrandi exercitè cognoſcere, id eſt, præmiſſas hic, & nunc evidentèr inferre, & concluſionem alitèr ſe habere non poſſe. Et inſtantia eſt in eo, qui regulas Grammaticæ non cognoſcit ſignatè, & tamen loquitur ſermone congruo, & qui rethoricam ſignatè non cognovit, quandoque loquitur eodem ornatu, quem rethorica docet.

Inſ-

Instabis: effectus artificialis solùm per artem, & non naturaliter fieri potest; sed demonstratio est effectus artificialis: ergò solùm per habitum Logicæ artificialis fieri potest, & non per solam virtutem naturalem intellectus.

Resp. dist. maj. effectus artificialis *terminativè, & in actu secundo*, conc. maj. *in actu primo*, neg. maj. & dist. min. artificialis *in actu primo*, conc. min. terminativè, & *in actu secundo*, neg. min. & conseq. Licet namquè effectus artificialis, qui est talis in actu secundo, solùm possit fieri ab arte, quia artificium, quod est tale in actu secundo denominativè ab arte, terminat exercitè, & in actu secundo actionem ipsius artis; effectus tamen artificialis, qui est talis in actu primo, id est, capax ut terminare possit actionem artis, potest fieri in actu secundo sola virtute naturali intellectus: huiusmodi autem est demonstratio, quæ solùm est artificiosa essentialitèr, & in esse rei, quatenùs habet formam artificialem eiusdem rationis, & speciei cum illa, quæ in actu secundo potest produci per artem. Adest exemplum in oratione ordinata, quæ in actu secundo potest fieri sine rethorica, quamvis ex se ipsa capax sit, ut etiam per rethoricam fiat.

Tertiò arguitur. Lumen naturale non sufficit ad assensum scientificum conclusionis: ergo Logica scientia ad talem assensum simplicitèr necessaria est. Prob. ant. Per assensum scientificum producitur habitus scientificus; sed lumen naturale non sufficit ad habitum scientificum generandum; sed ab illo distinguitur essentialitèr: ergò non sufficit etiam ad assensum scientificum conclusionis.

Resp. neg. ant. & ad probationem dist. min. lumen naturale *sumptum pro habitu primorum principiorum*, conc. min. *acceptum pro ipsa potentia intellectiva*, neg. min. & conseq. Licet enim lumen naturale acceptum pro peculiari virtute intellectus speculativi, quæ dicitur intellectus, seu habitus principiorum, solùm sit circà principia per se nota, & immediata, ut docet D. Th. 1. 2. q. 57. art. 2. si tamen sumatur pro ipsa potentia intellectiva, in qua sunt in virtute, quasi radicali, omnes cognitiones, quæ fiunt mediis habitibus, ut sæpè docet D. Th. sic sufficit nedum ad assensum, verùm etiam ad habitum scientificum: nec hoc impedire potest distinctio essentialis illius ab habitu scien-

ſcientiæ, nam ab habitu Logicæ eſſentialiter diſtinguitur, & etiam à primo aſſenſu ſcientifico, & tamen lumen naturale, ſecundum quod nominat potentiam intellectivam, ſufficit ad utrumque.

Quartò arguitur: Logica eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias perfectè accidentaliter conſequendas: ergò etiam ad illas ſubſtantialiter adquirendas. Ant. conſtat ex notabilibus. Conſeq. verò probatur. Minor eſt difficultas vincenda in adquiſitione perfecta accidentali ſcientiarum, quàm in earum ſubſtantiali adquiſitione: ergò ſi ad illam Logica ſimpliciter neceſſaria eſt, multò magis ad iſtam. Ant. conſtat ex eo, quod in adquiſitione perfecta accidentali ſcientiarum ſolùm vincitur difficultas materialis, & extenſiva ergà objecta earum, in earum verò adquiſitione ſubſtantiali vincitur difficultas formalis. Conſeq. verò prob. Si ſemel veritas facilior indiget ad ſui perceptionem habitu Logicæ, potiori jure eam exiget veritas difficilior, ſicut è contrà nos probavimus, quod ex quo veritas difficilior, qualis eſt, quæ primò demonſtratur in Logica, poteſt cognoſci ſine Logicæ, pariter ſine illa poteſt cognoſci veritas facilior, qualis eſt, quæ primò demonſtratur in Philoſophia: ergò ſi veritas facilior indiget habitu Logicæ, multò magis neceſſarius erit talis habitus ad veritatem difficilioriem.

Reſp. neg. 1. & 2. conſeq. ad cujus probationem diſt. ant. indiget ad ſui perceptionem habitu Logicæ *per ſe primo*, conc. ant. *ſecundario, & ex conſequenti*, neg. ant. & conſeq. Habitus namque Logicæ, ſicut & cujuſcumque alterius ſcientiæ, non datur per ſe primò niſi ad vincendam difficultatem formalem ſui objecti formalis, & hæc vincitur per primam cujuſcumque ſcientiæ demonſtrationem, per quam producitur habitus formaliter facilitans intellectum ad cognitionem omnium concluſionum illius ſcientiæ. Undè Logica per ſe primò ſolùm datur ad vincendam difficultatem formalem ſui objecti, & Philoſophia ad vincendam difficultatem formalem objecti Philoſophiæ, difficultates verò materiales, & extenſivæ per ſe non indigent habitu, ut vincantur, cum habitus ſolùm dentur ad vincendas difficultates formales: poteſt tamen habitus ex conſequenti, & ſecundariò deſiderari ad vincendam difficulta-

tatem extenſivam, quin ſit neceſſarius idem habitus, ſed alius, nempè Philoſophiæ, ad vincendam difficultatem formalem. Itaque in paritate argumenti committitur fallacia *ſecundùm non cauſam, ut cauſam*, quia nec minor, nec maior difficultas formalis vincitur per habitum Logicæ neceſſarium ad adquiſitionem perfectam accidentalem Philoſophiæ; ſed ſolùm ſuppoſita victa difficultate formali circà objectum Philoſophiæ per huius habitum, accidentalis vincitur per habitum Logica ex conſequenti: quatenùs difficultas Logicæ formalis neceſſariò ſupponitur victa, ut aliæ ſcientiæ habeant ſtatum perfectum accidentalem.

Quintò arguitur: Bonitas conſequentiæ non poteſt ſine Logica cognoſci: ergò Logica ſimpliciter neceſſaria eſt ad aſſenſum ſcientificum concluſionis. Prob. ant. Bonitas eſt paſsio conſequentiæ, & veritas mediata demonſtrabilis per Logicam: ergò non poteſt ſine Logica cognoſci.

Reſp. neg. ant. & ad probationem admiſſo ant. diſt. conſeq. cognoſci *ſignatè*, conc. conſeq. *exercitè*, neg. conſeq. Dupliciter namque poteſt cognoſci bonitas conſequentiæ, ſignatè videlicet, & exercitè. Signatè quidem, quando cognoſcitur expreſsè, & diſtinctè, ut veritàs quædam diſtincta ab alijs: ſicut cognoſcitur bonitas conſequentiæ, quando in prima demonſtratione Logicæ ex intentione primaria, & expreſsè infertur pro concluſione, & hoc modo non poteſt bonitas conſequentiæ ſine Logica cognoſci. Exercitè verò, quando cognoſcitur ut in alijs incluſa, & in illis exercitæ, ſicut quando intellectus cognoſcit præmiſſas eſſe rectè diſpoſitas, cum concluſione connexas, & illam evidenter inferre, cognoſcit etiam exercitè eſſe bonam conſequentiam: & hæc exercita cognitio poteſt haberi ſine Logica, & ad aſſenſum ſcientificum ſufficit.

Inſtabis: bonitas conſequentiæ nec exercitè poteſt cognoſci ſine Logica: ergò nulla eſt ſolutio. Prob. ant. Eſſentia demonſtrationis poteſt quidditativè cognoſci ſine Logica, quin ex hoc inferatur bonitatem conſequentiæ exercitè poſſe cognoſci ſine Logica, ſicut poteſt quis cognoſcere eſſentiam hominis, quin proprietates illius cognoſcat exercitè: ergò bonitas conſequentiæ nec exercitè poteſt cognoſci ſine Logica. Patet conſeq. Quia eo ſolùm poſ-

poſſet exercitè cognoſci ſine Logica, quia eſſentia demonſtrationis ſine Logica cognoſcibilis eſt.

Secundò inſtabis : qui tantum cognoſcit exercitè bonitatem conſequentiæ , non operatur ſcientificè : ergò cognitio exercita bonitatis conſequentiæ non ſufficit ad aſſenſum ſcientificum. Prob. ant. Qui tantum exercitæ dicit verum, materialitèr tantùm dicit verum , & non per modum veracis : ergò qui tantum exercitè cognoſcit bonitatem conſequentiæ , non operatur ſcientificè.

Ad primam inſtantiam reſp. neg. utrumque ant. Nec paritas ibi inducta contrarium ſuadet , quìn licet aliquis poſsit cognoſcere eſſentiam hominis , quin cognoſcat proprietates , non tamen poteſt cognoſcere exercitum proprietatis , quin proprietatem cognoſcat , nam qui cognoſcit hominem ridere , cognoſcit in exercitio illum eſſe riſibilem : cumque in demonſtratione exerceatur bonitas conſequentiæ per exercitium manifeſtandi concluſionem in actu ſecundo , indè fit , quod quicumque cognoſcit naturam demonſtrationis , exercitè cognoſcit bonitatem conſequentiæ , & cum primum ſine Logica poſsit fieri, etiam ſecundum fieri poteſt.

Ad ſecundam reſp. neg. ant & ad probationem dicimus , eum , qui exercitè dicit verum , ſi in exercitio advertit ideutitatem extremorum, quam affirmat , non dicere verum materialitèr , ſed potiùs exercitè formalitèr, quamvis non cognoſcat ſignate, veritatem conſiſtere in adæquatione intellectus cum re. Quod idem contingit exercitè cognoſcenti bonitatem conſequentiæ , ac proindè ſcientificè operanti. Sunt quidem, & alia multa circa præſentem difficultatem , ſed reverà ad Metaphiſicam pertinent , in qua fuſiori calamo elucidantur.

§. IV.

Corollaria ex dictis.

EX dictis colligitur contra aliquos ex noſtris , *Logicam non eſſe ſimplicitèr neceſſarium ad alias ſcientias quantum ad ſtatum ſubſtantialitèr perfectum* , ſcilicet quoad omnes concluſiones. Et ratio eſt , quia maior eſt difficultas circà primam concluſionem, quàm in aſſentiendo omnibus alijs, quæ ſequuntur ad primam ; ſed ad aſſenſum ſcientificum primæ concluſionis non eſt Logica ſim-

ſimpliciter neceſſaria, ut probatum relinquimus, & ipſi adverſarij nobiſcum tuentur: ergò nec ſimpliciter neceſſaria erit ad alias concluſiones, quæ ſequuntur ad primam, nam qui poteſt *potentia activa* ad magis, poteſt etiam ad minus intrà eandem rationem formalem. Major prob. In aſſenſu ſcientifico primæ concluſionis vincitur difficultas formalis, quæ reperitur circà rationem communem, ad aſſenſum verò aliarum concluſionum ſolùm vinci debet difficultas materialis; ſed hęc minor eſt difficultate formali: ergò in aſſenſu primæ concluſionis maior difficultas eſt, quam in aſſenſu aliarum, quæ ſequuntur ad primam.

Confirmatur: Intellectus per aſſenſum unius, vel alterius concluſionis non laſeſcit, non redditur debilior ad aſſentiendum alijs, ſed potius fit habilior, & robuſtior ad novas veritates indagandas, ſiquidem quantò magis intelligit difficilia, tantò plus poteſt, ut docet D. Th. 1. p. q. 75. art. 3. ad 2.: ergò ſi poteſt ad unam, vel alteram concluſionem ſine adminiculus Logicæ, multò meliùs poterit ad alias, cum illi novum robur accreſcat ex adquiſitione cuiuslibet veritatis.

Obijcies: Poteſt homo viribus naturę cognoſcere aliquas veritates, & tamen non poteſt cognoſcere omnes ſine gratia ſpeciali: ergò quamvis intellectus ſine Logica poſsit aſſentiri primę veritati, non indè infertur etiam ſine Logica poſſe aſſentiri omnibus alijs, quæ ſequuntur ad primam.

Confirmatur: Homo poteſt viribus naturæ facere aliquod opus bonum morale; & tamen non poteſt facere omnia, cum non poſsit Deum ſuper omnia diligere, ut docet D. Th. 1. 2. q. 109. art. 3. ſicut etiam homo infirmus poteſt ambulare dimidium itineris, non tamen poteſt totum iter pertranſire: ergò idem quod prius.

Reſp. ad argumentum diſt. min. non poteſt *potentia morali*, conc. min. *phiſica*, neg. min. & conſeq. Quia, licet in homine non ſit potentia moralis ad cognoſcendas omnes veritates, hęc enim impotentia ſolùm tollitur per gratiam ſpecialem, & neutiquam eſt ſanabilis per Logicam; eſt tamen in eo potentia phiſica ad totam collectionem veritatum ſpeculabilium ordinis naturalis, licet non ad veritates ſupernaturales, illę namque continentur in linea entis cognoſcibilis per ſpecies

ſenſibus acceptas, quod eſt objectum proportionatum noſtri intellectus pro hoc ſtatu: nos autèm de potentia phiſica diſputamus. Quam ſolutionem deducimus ex D. Th. 1. 2. q. 109. art. 1. in corp. propè finem, ubi ipſe videri poteſt.

Ad confirmationem reſp. verum eſſe, quod homo in ſtatu naturæ corruptę per virtutem ſuæ naturæ ſolùm poteſt aliquod bonum particulare agere, ſicut ædificare domos, plantare vineas &c. non tamèn totum bonum ſibi connaturale, ut docet S. Doct. 1. 2. q. 109. art. 2. in corpore. Ex hoc tamen non ſequitur, quod non poſsit, modo iàm dicto, cognoſcere omne verum ſibi proportionatum, natura enim humana magis eſt corrupta per peccatum, quantùm ad appetitum boni, quam quantùm ad cognitionem veri, ut in reſp. ad 3. art. cit. docet Præcept. Ang. Nec contrarium ſuadet paritas hominis infirmi. Quia infirmus fatigatur, & debilitatur, patitur enim à ſenſibili cum corporis immutatione, & excellentia ſenſibilium corrumpit ſenſum: intellectus verò intelligens maxima intelligibilium, magis poteſt poſtmodum intelligere, etſi aliquando in intelligendo fatigetur corpus, hoc eſt per accidens, in quantum intellectus indiget operatione virium ſenſitivarum, per quam ei phantaſmata præparantur, ut inquit Ang. Doct. 1. p. q. 75. art. 3. ad 2.

QUÆSTIO SECUNDA.

DE NATURA LOGICÆ, ET ILLIUS QUIDditate.

ARTICULUS I.

UTRUM LOGICA SIT SIMPLICITER SCIENtia?

§. I.

Explicatur difficultas, & ſtatuitur affirmativa concluſio.

IN præſenti difficultate aliqui Logicorum plurimas congerunt diſtinctiones tàm ex parte ipſius Logicæ, quàm ex parte *ſcientiæ*, multifariam, multiſque modis *Logicam*, & *ſcientiam* accipientes. Sed quia acceptiones non ſunt pro libitó multiplicandę, ſed ex uſu Philoſophorum accipiendę, nobis non eſt, quod immoremur in explicando, quid nomine *Logicæ*, vel *ſcientiæ* intelligatur: ſed ſatis erit prælibare, nos in præſenti non loqui de Logica ſecundum conſiderationem utentis (quamvis quantum conijcimus, non ſit diſtinctus habitus ab habitu docentis, ſed idem ſub diverſis conſiderationibus, ſicut idem eſt malleus, quem docet facere Faber ferrarius, & quo utitur Faber lignarius) ſed ſolum de Logica docente realiter, & formaliter ab alijs ſcientijs diſtincta. Quia tamen alia eſt ſcientia actualis, videlicet aſſenſus certus, & evidens, qui per demonſtrationem habetur, & alia habitualis, habitus ſcilicet, qui per demonſtrationem adquiritur de utraque dubium excitamus, an in Logica dentur vere demonſtrationes, & Logica ſit habitus per demonſtrationem adquiſitus?

In qua parte plurimi antiqui Græcorum Ægidius Romanus, Petrus niger, & alij negant. Alij verò tàm intrà, quàm extrà Scholam D. Th. univerſaliter affirmant: cum quibus hęc erit:

§. II.

Noſtra Concluſio.

Logica eſt ſimplicitèr ſcientia.

PRobatur concluſio noſtra ratione: In Logica dantur vere demonſtrationes; ſed per illas aliquis producitur habitus: ergó Logica eſt verè ſcientia, ſive ſermo ſit de ſcientia actuali ſive ſcientia habituali. Min. patet. Nàm demonſtratio convincit intellectum, & conſequentèr producit in illo aliquam formam, vel qualitatem, quæ alia eſſe non poteſt, quàm habitus: ſicut quodcumque agens, dùm vincit totalitèr reſiſtentiam paſsi, aliquam formam, vel qualitatem in paſſo producit. Mai. verò prob. Logica veré demonſtrat univerſale eſſe prędicabile, demonſtrationem generare ſcientiam, diffinitionem eſſe clariorem ſuo diffinito, reducitque concluſiones in prima principia indemonſtrabilia, ut cum probat contradictorias non poſſe eſſe ſimul veras, nec ſimul falſas ex illo principio *quodlibet eſt, vel non eſt*, & huiuſmodi alia: ergò in Logica verè dantur demonſtrationes. Quod etiam docet Præcept. Ang. 4. Metaph. lect. 4. prope medium, ubi apertè ait Logicam docentem demonſtrare, & ſecundum hoc eſſe ſcientiam.

Confirmatur: eò Logica non poſſet eſſe ſimplicitèr ſcientia, quia eius objectũ, ſcilicet ens rationis, non eſt ſimplicitèr ſcibile; ſed ens rationis eſt ſimpliciter ſcibile: ergò Logica eſt ſimplicitèr ſcientia. Prob. min. Tùm, quia ens rationis verè habet paſsiones demonſtrabiles de ipſo, ut vidimus in ratione præcedenti. Tùm, quia eſſe ens ſecundum quid, non tollit eſſe ſcibile ſimplicitèr. Undè ipſum ens rationis eſt verè ſcibile, quamvis ſecundariò per habitum Metaphiſicę, & accidens, quod eſt ens ſecundum quid, eſt ſcibile ſimplicitèr, ſiquidem eſt objectum primarium Metaphiſicę, & Mathematicæ, & in aliorum ſententia etiam ipſius Philoſophiæ. Et omnium ratio eſt, quia ſcibilitas rei ſumitur à connexione eſſentiæ cum proprietatibus ſuis, & ens rationis, quamvis ſit ens ſecundum quid, ità connectitur cum ſuis proprietatibus, ſicut ens reale, quod eſt ens ſimplicitèr tale, connectitur cum ſuis.

Inſuper convincitur ex eo, quod quantitas eſt ens ſecundum quid, & tamèn eſt ſimplicitèr æqualis alteri, & ſimplicitèr palmaris: quia ab alio

alio ſumitur æqualitas, & ab alio ratio entis; ſed ab alio etiam ſumitur ratio ſcibilis, & ab alio ratio entis : ergò ens ſecundum quid poteſt eſſe ſcibile ſimplicitèr. Prob. min. Ratio entis attenditur per ordinem ad eſſe, ratio autèm ſcibilis ſumitur à connexione eſſentiæ cum proprietatibus ſuis : ergò ab alio ſumitur ratio ſcibilis, & ab alio ratio entis. Deindè ens rationis in eſſe ſcibilis non pendet ab ente reali formaliter : ergò eſt ſcibile ſimplicitèr. Prob. ant. Ens rationis convenit univocè in eſſe ſcibilis cum ente reali, & eſt ità ſcibile ſecundum rationem communem : ergò in eſſe ſcibilis non pendet ab ente reali. Prob. ant. Convenientia analoga in ratione entis non tollit univocam convenientiam in eſſe ſcibilis, ſicut patet in homine v. g. qui in ratione entis convenit analogicè analogia attributionis cum Deo, & tamen in ratione ſcibilis à Deo non dependet, quia cognitio ſcientifica proprietatum hominis non pendet à cognitione ſcientifica Dei: ergò licet ens rationis in eſſe entis conveniat analogicè cum ente reali, habebit cum illo univocam convenientiam in ratione ſcibilis. Quia hæc non aliundè poterat negari, quàm propter analogam convenientiam, & diſtantiam in eſſe entis.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntra concluſionem noſtram arguitur primò ex Ariſt. 2. Metaph. aſſerente : *quod abſurdum eſt ſimul quærere ſcientiam, & modum ſciendi* ; ſed nomine modi ſciendi intelligitur Logica, ut ibidem lect. ult. aſſerit D. Th. : ergò Logica non eſt ſimplicitèr ſcientia.

Confirmatur : Logica eſt modus, & inſtrumentum ſciendi : ergò non eſt ſcientia. Prob. conſeq. Inſtrumentum nequit eſſe ipſa res, cui deſſervit; ſed Logica deſervit ſcientiæ : ergo nequit eſſe ſcientia.

Urgetur : ſi Logica eſſet ſcientia, daretur proceſſus in infinitum; hic ſemper eſt vitandus: ergò Logica non eſt ſcientia. Prob. maj. Tùnc caſus, vel requiritur alia Logica, tanquàm modus ſciendi ad adquirendam Logicam, vel non? Si non : ergò aliqua ſcientia poteſt haberi ſine prævio modo ſciendi. Si ſit; alia Logica prior eſt ſcientia, necnè? Si eſt ſcientia, ergò requirit aliam priorem, & ſic proceditur in infinitum. Si

eſt ſcientia ; ergò requirit aliam priorem, & ſic proceditur in infinitum. Si non : ergò deveniendum eſt ad aliquam Logicam, quæ non ſit ſcientia, ſed ſolum modus ſciendi.

Reſp. ad argumentum: Ariſtotelem loco cit. ſolùm intendere abſurdum eſſe ſimúl quærere modum ſciendi, & ſcientiam à modo ſciendi diſtinctam ; non tamèn illam, quæ ſimplicitér ſcientia eſt, & ſimul modus ſciendi, quatenùs docet conficere inſtrumenta neceſſaria ad ſcientiam conſequendam, cuiuſmodi eſt Logica : proptèr quod docet ibi D. Th. eſſe prius adquirendam.

Ad confirmationem reſp. diſt. ant. modus, & inſtrumentum ſciendi *objectivé*, conc. ant. *formalitèr*, neg. ant. & conſeq. Quia Logica ſolum agit de modo ſciendi tāquam de objecto, & inſtrumento ad alias ſcientias neceſſario ; & ex parte huius objecti ab alijs ſcientijs differt: quia alię de rebus ſunt, iſta verò de modo ſciendi. Nèc Logica eſt inſtrumentum aliarum ſcientiarum, ſed ipſius intellectus, qui ad alias ſcientias dirigendas utitur Logica, ut inſtrumento. Et ità ſolùm ſequitur, quod non ſit intellectus, cui deſervit. Quamvis etiam poſſet dici nullum eſſe inconveniens, quod una ſcientia ſit inſtrumentum ad aliam, & ejuſdem rationis cum illa : ſicut unus malleus eſt inſtrumentum ad malleum faciendum, & tamèn eſt eiuſdem rationis cum malleo effecto.

Inſtabis. Logicæ non objectivè, ſed in ſeipſa eſt modus ſciendi : ergò non eſt ſcientia. Prob. ant. Demonſtratio eſt modus ſciendi ; ſed demonſtratio eſt actus ipſius Logicę : ergò Logica non objectivè, ſed in ſe ipſa eſt modus ſciendi.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. min. demonſtratio *ſumpta activè pro actibus intellectus*, conc. min. *objectivè accepta*, neg. min. & conſeq. Quia demonſtratio activè conſiderata pro actibus intellectus diſponentis præmiſſas, & aſſentientis concluſioni demonſtrarę, eſt actus ipſius Logicæ, à qua efficientér procedit ; ſed ut ſic non eſt modus ſciendi, ſed tantùm objectivè ſumpta pro ipſis objectis, ut ad invicem ordinatis : in quo ſenſu non eſt actus Logicę, ſed objectum illius.

Ad id, quo urgetur argumentum, qnod Ægidius magni facit, reſp. negando dari proceſſum in infinitum.

Nàm

Nàm Logica simul est scientia, & modus sciendi tàm respectu sui, quàm respectu aliorum. Et si quæratur de prima conclusione Logicæ, quæ modo probatur; utrùm per aliam Logicam? Dicimus deveniendum esse ad aliquod principium per se notum lumine naturali; & ad aliquam consequentiam per se evidentem, quæ non indiget priori scientia, sicut forsitàm sunt quatuor modi primæ figuræ, quos Aristoteles non probat, sed declarat per illos terminos *dici de omni*, *dici de nullo*.

Secundò arguitur: scientia agit de perpetuis, & necessarijs; sed ens rationis, quod est objectum Logicæ, non est perpetuum, & necessarium: ergò Logica, quæ versatur circa ens rationis, non est verè scientia. Prob. min. Ens rationis fit liberè ab intellectu nostro: ergò non est perpetuum, & necessarium.

Resp. dist. maj. de perpetuis, & necessarijs *quantum ad connexionem prædicatorum essentialium*, conc. maj. *quantum ad existentiam*, neg. maj. & dist. min. necessarium *quantum ad existentiam*, conc. min. *quantum ad connexionem prædicatorum essentialium*, neg. min. & conseq. Quia ea, de quibus agit scientia, non debent esse necessaria quantum ad existentiam, ità ut necessariò existant, ut patet in morbis, de quibus agit Medicus, in virtutibus, de quibus Philosophia moralis, & in motu, de quo naturalis Philosophia: sed solùm debent esse necessaria quantum ad connexionem prædicatorum essentialium, ità ut habeant quædam prædicata, sine quibus essentias rerum concipere non possimus; ideòque talia prædicata semper conveniunt talibus rebus: cumque entia rationis sint necessaria quantum ad eorum essentiam, & secundum rationem communem, de qua Logica disputat, indè fit ex ea parte Logicam non amittere rationem scientiæ.

Instabis: ens rationis est corruptibile quantum ad essentiam: ergò nulla est solutio. Prob. ant. Secunda intentio rationis in communi est corruptibilis, siquidem est ens rationis, & omne ens rationis est corruptibile, & quod liberè ab intellectu producitur: ergò ens rationis est corruptibile quantum ad essentiam.

Resp. neg. ant. & ad probationem dicimus, quod ex qua secunda intentio in communi sit ens rationis, &

fiat exercitè ab intellectu, ſolùm infertur eſſe corruptibilem quantum ad exiſtentiam, vel in exiſtendo debere, non tamen quantum ad connexionem prædicatorum eſſentialium: & circà hæc prædicata verſatur Logica, quæ non diſputat de ſecunda intentione rationis, quæ hodie, vel crâs fit, ſed de intentionibus, quæ rebus conſideratis tribuendæ ſunt, & de proprietatibus, quæ ipſis neceſſariò conveniunt.

Tertiò arguitur: Objectum formale ſcientiæ debet eſſe certò cognitum; ſed objectum Logicæ non eſt certò cognitum: ergò Logica non eſt ſcientia. Maj. patet. Quia objectum ſcientiæ eſt ipſum ſubjectum, de quo demonſtrantur paſsiones, & ſubjectum eſt unum ex præcognitis ad ipſam demonſtrationem, ut docent D. Th. & Philoſoph. 1. Poſt. lect. 2. Min. verò probatur. Nàm circà objectum formale Logicæ non modicum diſsidium eſt Jeſuitas intèr, & Thomiſtas, & deſideratur ſententia veritatis pro una, & altera parte: ergò objectum Logicæ non eſt certò cognitum.

Reſp. diſt. min. certò cognitum *ſecundum id, quod de materiali ſe habet ad intentum*, conc. min. *ſecundum id, quod de formali ſe habet*, neg. min. & conſeq. Omnes enim conveniunt in eo, quod objectum Logicę ſunt inſtrumenta ſciendi, & in eo, quod diffinitio eſt clarior ſuo diffinito, univerſale eſt prædicabile, & modus ſciendi eſt manifeſtativus ignoti, quod ſufficit, ut demonſtretur modum ſciendi dirigere intellectum, &c. quod verò huiuſmodi artificia ſint ens reale, vel rationis de materiali ſe habet, & parum confert ad finem Logicæ. Undè, qui propugnant diffinitionem eſſe aliquid reale, & qui tuentur eſſe aliquid rationis, eodem modo illam diffiniunt, probantes eſſe clariorem diffinito. Ad modum, quo eſt diſenſio inter Authores, an objectum Philoſophiæ ſit ens mobile ſubſtantiale, vel accidentale, cum convenientia in eo, quod ſit ens mobile naturale, quod ſufficit, ut paſsiones de objecto Philoſophiæ probentur, ſententiarum varietate de materiali ſe habente.

Quartò arguitur: ens rationis non poteſt primariò ab aliqua ſcientia cognoſci: ergò Logica, quæ primariò verſatur circà ens rationis, non eſt vera ſcientia. Prob. ant. Quod cognoſcitur connotative, & per ſpeciem alterius, non cog-

cognoſcitur primario ; ſed ens rationis non poteſt cognoſci niſi connotativè, & per ſpeciem alterius : ergò non poteſt primariò ab aliqua ſcientia cognoſci. Prob. min. Ens rationis non poteſt cognoſci niſi ad modum entis realis, & per illius ſpeciem : ergò non cognoſcitur niſi connotativè, & per ſpeciem alterius.

Reſp. neg. ant. & ad probationem neg. min. ad cujus prob. diſt. ant. niſi ad modum entis realis, & per ſpeciem illius *in cognitione prima*, conc. ant. *in ſecunda*, neg. ant. & conſeq. Reſpectu namque primæ cognitionis objectum primarium ſolùm eſt illud, quod primariò repræſentat ſpecies ; cumque ſpecies, per quam primò cognoſcimus ens rationis, per ſe primò repræſentet ens reale, indè eſt, quod in cognitione prima ens rationis non cognoſcitur primariò : Cæterum in cognitione ſecunda non per aliud, ſed per ſeipſum cognoſcitur primariò ens rationis, ità ut de illo dicere poſsimus : iam non propter ſpeciem, & loquelam entis realis te cognoſcimus, ipſi enim oculo intellectus noſtri vidimus, quia ens rationis connectitur infallibiliter cum proprietatibus ſuis, & ideó ipſum ens rationis eſt objectum primarium in cognitione prædicta.

Quintò arguitur : ens rationis eſt ſcibile ſecundum quid : ergó Logica tantùm ſecundum quid, & non ſimpliciter erit ſcientia. Prob. ant. Ens rationis eſt ens ſecundum quid : ergó ſcibile ſecundum quid. Prob. conſeq. Scibilitas eſt paſsio entis : ergò ſi ens rationis eſt ens ſecnndum quid, etiam eſt ſcibile ſecundum quid.

Reſp. neg. ant. & ad prob. neg. conſeq. ad cujus probationem diſt. ant. paſsio entis, *ut connexi*, conc. ant. *abſolutè ſumpti*, neg. ant. & conſeq. Quia in ente rationis duplex cognoſcibilitas invenitur : una quidem abſoluta, conſiſtens in immaterialitate propria objecti, quatenùs importat connexionem cum potentia, & hæc eſt paſsio entis abſolutè ſumpti, & ſicut ens rationis eſt ens ſecundum quid, ità etiam eſt cognoſcibile ſecundum quid cognoſcibilitate abſoluta. Alia verò eſt cognoſcibilitas reſpectiva, conſiſtens in connexione eſſentiæ cum ſuis proprietatibus, quæ connexio in ente rationis eſt talis ſimpliciter, ità enim connectitur cum ſuis paſsionibus, ſicut ens reale cum ſuis. Et hæc cog-

noſcibilitas non eſt paſsio entis abſolutè prolati, ut ſtantis pro formoſiori ſignificato, ſcilicet pro ente reali, ſed eſt paſsio entis, ut connexi, & reſcipientis aliud neceſſariò affirmabile de ipſa. Cumque de ente rationis plures poſſint affirmari, videlicet, ipſum eſſe purè fictum, conſiſtere in aliquo impoſsibili &c. indè eſt, quod licet ſit ens ſecundum quid, eſt ſcibile ſimpliciter ſub prædicta conſideratione.

Illuſtratur hæc doctrina: Tùm ex eo, quod nec Adverſarij negant ens rationis eſſe ſcibile à Metaphiſica licet ſecundariò: ex quò deducitur, quod eſto ens rationis non ſit verè ens, eſt tamē verè ſcibile: ergò quin ſit ens ſimpliciter ſtabit, quod ſit ſimpliciter ſcibile. Similitèr, accidens eſt ens ſecundum quid, & tamen eſt ſimpliciter ſcibile à Metaphiſica, quia licet dependeat à ſubſtantia in eſſe entis, ſecùs in eſſe ſcibilis, quia ità connectitur cum ſuis proprietatibus, ſicut ſubſtantia cum ſuis, & idem contingit in ente rationis reſpectu entis realis. Quod præ oculis ſemper in hoc dubio habendum eſt. Deindé, quia ſtat quam optimè aliquid eſſe ens ſecundum quid, & tamen eſſe ſimpliciter connexum cum ſuis paſsionibus, ſicut quantitas eſt ens ſecundum quid, & tamen eſt ſimpliciter æqualis propter rationem datam inter probandam concluſionem; & hæc idem in pluribus alijs exemplis cernere licet: patitèr ergò eſtò ens rationis ſit ens dependentèr ab ente reali, connexio illius cum proprietatibus ſuis erit talis ſimplicitèr.

Deniquè robur accipit ſolutio noſtra ex Authoritate D. Th. in tract. de ente, & eſſentiæ cap. 1. ubi inquit: *quod ens per ſe dicitur dupliciter: uno modo, quod dividitur per decem genera. Alio modo, quod ſignificat propoſitionum veritatem. Horum autèm differentia eſt, quia ſecundo modo poteſt dici ens omne illud, de qua affirmativa propoſitio formari poteſt: etiam ſi illud in re nihil ponat, per quem modum privationes, & negationes entia dicuntur: dicimus enim, quod affirmatio eſt oppoſita negationi, & quod cæcitas eſt in oculo.* Ubi obſervandum eſt nedùm ens reale, quod in re aliquid ponit, eſſe ens ſignificans veritatem propoſitionum, ſed etiam privationes, & negationes, quæ iuxta ipſum Præcept. Ang. q. 21. de veritate art. 1. entia rationis ſunt, eſſe tali modo entia. Sic ergò ſcibilitas eſt paſ-

passio entis accepti secundo modo, ac proinde entis rationis: sufficit enim illi, quod sit ens significans veritatem propositionum, ut habeat proprietates, quæ de ipso demonstrari possint.

Instabis: ergò scibilitas est passio entis, ut connexi: Sed connexio entis rationis cum suis proprietatibus est talis secundum quid, cum sit ens rationis: ergò ens rationis, etiam in esse scibilis, est tale secundum quid.

Resp. conc. conseq. neg. min. Non enim ratio inducta contrarium suadet. Nàm quamvis connexio entis rationis cum suis proprietatibus sit ens rationis pro implicito: eo quod implicat entitatem pro explicito tamen nullum ordinem importat ad existentiam, sed de materiali se habet, quod sit realis, vel rationis, solùm enim attenditur in ea, quod sit necessaria, & infallibilis, & quod dicat extrema verè ad invicem connexa. De quibus plura in Quæstionibus Disputatis Dialecticæ quæst. 1. Proœmiali, art. 2. §. 3. ubi enodatas reperies quamplures instantias, quæ in hac parte objici solent.

§. IV.

Corollarium, ex dictis.

EX dictis colligitur, quod quamvis in Logica dentur plures actus probabiles, de quibus solùm habetur opinio, non inde infertur Logicam non esse simpliciter scientiam. Nàm hoc habet quæcumque scientia naturalis, quæ tractat de rebus mutabilibus, ut habeat admixtas multas opiniones. At non propterea distinguenda est alia Logica, quæ sit opinio, & alia, quæ sit scientia; sicut etiam non distinguimus aliam Philosophiam naturalem, quę sit scientia, & aliam, quæ sit opinio: sed satis est, ut Logica sit scientia, quod assensum generet evidentem quantum ad principales partes. Et hoc ideò, quia non est necessarium omnes scientias esse in eodem gradu certitudinis, & evidentiæ quoad omnes suas conclusiones, sed quoad præcipuas: aliæ verò secundariò attinguntur à sciẽtia, nempè probabiles, ut indicat D. Th. 3. p. q. 9. art. 3. ad 2. Undè & Arist. Philosophiam moralem vocat scientiam: & tamèn dicit in 1. Ethic. non exigendam esse rationem in illa, sicut in Mathematicis.

AR-

ARTICULUS II.

UTRUM LOGICA SIT SIMPLICITER SPEculativa, vel practica?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis, ſtatuitur prima concluſio.

IN præſenti difficultate diverſa à diverſis dicuntur tàm domeſticis, quàm extraneis, circà differentiam habitus ſpeculativi, & practici, & inter aſsignandum quid ſit praxis: in quarum opinionibus referèndis nobis non licet immorari, ne in proœmialibus integrum de habitibus inſeràmus tractatum. Sed ut titulus quæſtionis intelligatur, ſufficiens erit notare communem differentiam, quæ verſatur inter habitum expeculativum, & practicum, deſumptum ex D. Th. 1. p. q. 14. art. 16. & q. 79. art. 11. 1. Metaph. lect. 3. & 2. eiuſdem lect. 2.

Itaque præoculis habendum eſt, huiuſmodi habitus differre *ex objecto*, *ex modo procedendi*, *& ex fine utriuſque*; *ex objecto quidem*, quia objectum habitus ſpeculativi ſunt res ſcitæ, quæ non ſunt operabiles à ſciente, ſicut eſt ſcientia hominis de rebus naturalibus, & divinis: objectum verò habitus practici ſunt res operabiles, vel practicabiles, ut ſunt res morales.

Differunt etiam habitus prędicti *ex modo procedendi*; quia habitus ſpeculativus procedit modo reſolutivo, ſcilicet per reſolutionem compoſiti in principia univerſalia formalia: habitus verò practicus procedit modò operativo, videlicet per applicationem formę ad materiam. Differunt ſimilitèr *ex fine*; quia finis habitus ſpeculativi eſt veritas, hoc enim eſt quod intendit, ſcilicèt veritatis cognitionem: finis verò habitus practici eſt opus, quia & ſi practici (hoc eſt operativi, ut vertit D. Th.) intendant cognoſcere veritatem, quò modo ſe habeat in aliquibus rebus, non tamen quærunt eam tanquàm ultimum finem, non enim conſiderant cauſam veritatis ſecundùm ſe, & propter ſe, ſed ordinando ad finem opera-

rationis, sive applicando ad aliquod determinatum particulare, & ad aliquod tempus determinatum.

Ad hoc tamen intelligendum, notandum est, quod, quando D. Th. 1. p. q. 14. art. 16. inquit, illam scientiam esse speculativam tantum, quæ est speculativa rationes ipsius rei scitæ: illam verò, quæ est speculativa secundùm modum, vel finem, esse secundum quid speculativam, & secundùm quid practicum, practicum, & speculativum sumuntur non solùm ut sunt conditiones scientię secundum se, sed etiam ex parte scientis. Et propterea ait: quod *si ædificator consideret qualiter posset fieri aliqua domus, non ordinans ad finem operationis, sed ad cognoscendum tantum, erit (quantum ad finem) speculativa consideratio, & tamen de re operabili.* Ubi sentire videtur Præcept. Ang. quod ars domificativa est speculativa ex fine, & practica ex modo, & abjecto. Quod tamen intelligendum est de fine ex parte scientis, & non ipsius scientiæ. Quoniam si sermo sit de fine ipsius artis domificandi, ipsa etiam est practica ex fine, cùm finis eius sit domificatio. Quod si præ oculis habeamus, facile deludemus ampliatas æquivocationes Adversariorum. Loquimur enim de objecto, modo, & fine ipsius scientiæ, non ipsius scientis.

Verùm cum ipsa veritatis cognitio sit etiam quodam opus, & quodlibet opus sit etiam aliqua veritas; dicimus ex sententia Mag. à S. Thoma, non dici *practicum*, quod efficit quomodocumque opus, seu dicit operationem: sed quod dirigit ad opus, illud per regulas ordinans, & habens pro fine, ita ut non solùm sit operatio elicita, sed etiam objectum, seu materia, quæ vi sui executione, & ut efficiatur, regulis directionis ad faciendum indigeat, & non solum ad sciendum. Nec etiam dicitur *speculativum*, quod cognoscit quomodocumque veritatem, sed quod tantum intendit cognoscere, non verò ulteriùs facere: nec dirigit ut faciat, sed ut sciat, & ut ignorantiam effugiat.

Similiter notandùm est, quod ut actus, & habitus sint verè practici, non est necessarium conformari cum ratione rectè operante; undè odium Dei, quamvis non sit conformè rationi rectę, est veré practicum: & homines boni ingenij malè agentes regulariter dicitur habere malum intellectum practicum.

Ulteriùs est supponendum

dum nullum actum intellectus posse habere rationem praxis. Quia praxis (ut aliqui volunt) est operatio voluntatis elicita , vel imperata , nota dici conformitèr rationi rectæ : vel (ut communitèr dicitur) operatio alterius potentiæ ab intellectu , & aliquid à speculatione distinctum ; sed quilibet actus intellectus non est operatio alterius potentiæ ab intellectu , & aliundè est verè speculatio , cum sit vera cognitio objecti : ergò nullus actus intellectus est verè praxis ; & ideò praxis diffinitur: *operatio extrinseca intellectui apta regulari pro habitum practicum.* Quibus consonat D. Ang. 1. 2. q. 57. art. 1. ad 1. ubi distinguens de opere interiori , & exteriori , inquit: quod *practicum , vel operativum , quod dividitur contrà speculativum, sumitur ab opere exteriori.* Et q. 14. de verit. art. 4. in corp. asserit : quod *sola extensio ad opus, facit aliquem intellectum esse practicum.* Quod idem docet 2. 2. q. 4. art. 2. ad 3. & lib. 3. de Anim. ubi ait: quod *intellectus extensione fit practicus.* Patet hoc ipsum ex ipsa proprietate vocabili. *Praxis* enim est vox græca , quæ latinè dicitur, *factio*: factio autem propriè significat actionem externam, ut videri est in D. Th. 1. 2. q. 57. art. 1. ad 1. & 6. Metaph. lect. 1. Ex eisdem autem potest diffiniri speculatio , quod *sit actus intellectus ex se non ordinatus ad aliquid extra suum genus , & ab ipsa speculatione distinctum* : & quod speculatio in contemplatione veritatis quiescit , & ultimò terminatur. An verò praxis sit opus alterius potentiæ ab intellectu cadens sub electione , & consilio , ad Metaphisicam attinet , ubi fusius de hac agitur materia.

His igitur prælibatis , in puncto difficultatis tot sunt sententiæ , quot modis quæstio potest solvi. Quidam enim censent Logicam esse verè, ac propriè practicam secundùm se totam , ità P. Lossada cum sodalibus suis. Quidam dividatur infans (inquiunt cum Salomone) dividatur Logica , sit altera pars practica , altera speculativa. Alij censent Logicam eminentèr utrumque continère , & secundum se totam esse practicam , & speculativam simul; sed Logica non indiget falso hoc honore : nec fas est tribuere scientiarum ancillæ, quod proprium est solius Theologicæ scientiarum reginæ. Alij tandem tuentur totam esse speculativam : & hi sunt omnes Thomistæ , quibus

bus adhærent plurimi extra Scholam D. Th. cum quibus hæc erit.

§. II.

Prima Concluſio.

Logica non eſt practica, & ſimul ſpeculativa.

PRobatur æfficacitèr concluſio noſtra ratione: practicum, & ſpeculativum adunari non poſſunt in aliqua ſcientia inferiori; ſed Logica eſt inferiori, & infima omnium: ergo nequit eſſe practica, & ſpeculativa ſimul. Min. patet ex his, quæ in Dialectica dicta ſunt. Mai. verò probatur. Differentiæ eſſentiales, & eſſentialitèr generis diviſivæ non poſſunt adunari in aliqua ſpecie ex illis, quæ ſub genere continentur, undè rationale, & irrationale adunari non poſſunt in aliqua ſpecie animalis; ſed practicum, & ſpeculativū ſunt differentiæ eſſentiales, & eſſentialitèr diviſivæ ſcientiæ inferioris in communi: ergó non poſſunt adunari in aliqua ſcientia inferiori. Prob. min. tùm ex D. Th. 1. p. q. 1. art. 4. in corp. ubi ait: quod *in ſcientijs philoſophicis alia eſt practica, & alia eſt ſpeculativa*; ex quo manifeſtè infertur, quod practicum, & ſpeculativum, faciunt alietatem, quæ eſt differentia ſubſtantialis conſtituens ſpeciem contentam ſub ratione communi ſcientię Philoſophicæ, quæ inferior eſt, & ordinis naturalis. Tùm etiam, quia differentię eſſentialitèr diſtinguentes ſpecies contentas ſub genere eſſentialitèr etiam dividunt genus, nàm differentia eſſentialis, & habet dividere genus eſſentialitèr, & conſtituere ſpeciem; ſed practicum, & ſpeculativum eſſentialitèr diſtinguunt ſcientias contentas ſub ratione communi ſcientię inferioris: ergò ſuut differentię eſſentialitèr diviſivę ſcientię inferioris, & ordinis naturalis in communi. Prob. min. Ratio ſpeculativę conſtituit Metaphiſicam ſpecie diſtinctam à Philoſophia morali, & à ſcientia medicinę eo quod iſtę ultimę ſunt eſſentialitèr practicę Metaphiſica, verò eſſentialitèr ſpeculativa eſt; ſed iſtę ſcientię aſsignatę continentur ſub ratione communi ſcientię inferioris, & ordinis naturalis: ergó practicum, & ſpeculativum non ſunt differentię eſſentialitèr diſtinguentes ſcientias, quę continentur ſub rationes communi ſcientię inferioris, & ordinis naturalis.

Reſpondent contrarij: quod

quod practicum, & ſpeculativum ſeorſim, & adęquatè ſunt differentię eſſentialitèr diſtinguentes ſcientias inferiores, & ordinis naturalis; non tamen practicum, & ſpeculativum inadęquatè: hoc enim modo benè poſſunt eundem habitum conſtituere, ſicut conſtituunt habitū Theologię, & fidei.

Sed contrà eſt: quia differentiæ eſſentialitèr dividentes rationem genericam, non poſſunt per modum duplicis conceptus inadęquati conſtituere ſpeciem, ut conſtat in rationali, & irrationali, quæ non poſſunt ad hùc per modum duplicis conceptus inadæquati in una ſpecie adunari, ſed practicum, & ſpeculativum eſſentialitèr dividunt rationem communem ſcientiæ inferioris, cum conſtituant ſcientias inferiores eſſentialitèr diſtinctas, ut vidimus: ergò non poſſunt per modum duplicis conceptus inadæquati in aliqua ſcientia inferiori adunari.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntrà concluſionem iſtam arguitur primò: Differentiæ eſſentialitèr generis diviſivæ poſſunt adunari in aliqua ſpecie: ergò practicum, & ſpeculativum poſſunt in aliqua ſcientia inferiori aduuari. Prob. ant. Vegetativum, & ſenſitivum ſunt differentiæ eſſentialitèr diviſivæ rationis communis viventis: & tamen poſſunt adunari in aliqua ſpecie, ut de facto adunantur *in homine*, v. g. *vel equo*: ergò differentiæ eſſentialitèr generis diviſivæ poſſunt in aliqua ſpecie adunari.

Reſp. negand. ant. & ad probationem diſt. min. adunari: *modo eminentiori*, conc. min. *prout reperiuntur in ipſis inferioribus*, neg. min. & conſeq. Ratio namque vegetativi, & ſenſitivi, non uniuntur in homine, prout reperiuntur in ipſis inferioribus, vegetativis tantùm, vel tantùm ſenſitivis, quia hæc ſemper ſpecie diſtinguuntur. Sicut vegetativum prout in planta, & in bruto invenitur, nunquam in aliqua forma uniuntur; neque ullę ſpecificæ differentię uniri poſſunt in illo ordine, in quo ſunt differentiæ ſpecificæ: id enim implicat, cum hoc ipſo, quod ſunt differentiæ ſpecificæ, ſint oppoſitæ, & ſic repugnat in unum adunari. Poſſunt tamen uniri in aliquo ſuperioris ordinis, in quo forma eminentior unico modo ſuperiori exer-

exercet ea, quæ plures formæ inferiores diversò, & oppositò modo exercent.

Secundò arguitur: eadem scientia inferior potest esse speculativa, & practica simul: ergò hoc potest habere Logica. Prob. ant. Tùm, quia idem intellectus humanus est practicus, & speculativus simul. Tùm, quia habitus Theologiæ est speculativus, & practicus simul; idemque sentiendum de habitu fidei: ergò eadem scientia inferior potest esse speculativa, & practica simul.

Resp. negand. ant. & ad probationem neg. conseq. & ratio discriminis est, quia ea, quæ in inferioribus sunt dispersa, in superioribus sunt unita, ut fert commune proverbium; & ità rationes practici, & speculativi in inferioribus dispersæ, possunt adunari in aliquo superiori, qualis est intellectus, qui, cum sit potentia universalis, considerat omnia secundùm rationem universalissimam entis, sub quà continetur verum speculabile, & verùm practicum, & ità debet esse speculativus, & practicus simul: similiter habitus Theologiæ, & fidei sunt habitus superiores, & ità mirum non est, quod in ipsis adunetur ratio practici, & speculativi simul, sicut sensus communis propter eminentiā, quam habet suprà sēnus inferiores, attingit omnia objecta particularia inferiorū sensuum. Scientia verò inferior attingit suū objectum secundū rationem particularem magis determinatā, & contractam, quæ propter sic necessariò debet esse speculabilis, vel operabilis. Nàm practicum, & speculativum sunt differentiæ essentiales habitus inferioris, non tamen habitus superioris.

§. IV.

Secunda Conclusio.

Logica est tota speculativa.

CONclusionem istam docuit Ang. Doct. 1. 2. q. 57. art. 3. ad 3. per hæc verba: *Etiam in ipsis speculabilibus est aliquid per modum cuiusdam operis, putà constructio syllogismi, aut orationis congruæ &c. & ideò quicumque habitus speculativi ad huiusmodi operationes ordinantur, dicuntur per quandam similitudinem artes, scilicet liberales.* Similiter 2. 2. q. 47. art. 2. ad 3. docet dari artem speculativam, sed non speculativam prudentiam, quia *speculativa ratio quædam facit, putà syllogismum, propositionem &c.* & q. 51. art. 2. ad 3. inquit: *in speculativis alia rationalis scientia est Dialectica, quæ ordi-*

dinatur ad inquisitionem invẽtivam, & alia scientia demonstrativa, quæ est veritatis determinativa. Quod etiam confirmat Div. Aug. lib. 8. de Civit. Dei cap. 4. ubi Logicam inter scientias speculativas annumerat.

Probatur conclusio nostra ratione à posteriori, desumpta ex Philos. in 1. Metaph. lect. 3. apud D. Th. quę sic se habet: nulla scientia, in qua quęritur ipsum scire propter se ipsum, est scientia practica, sed speculativa; sed illa scientia, quæ Philosophia dicitur, est propter ipsum scire: ergó est speculativa, & non practica. Minorem hoc modo manifestat. Quicumque quærit fugere ignorantiam, sicut finem, tendit ad ipsum scire propter se ipsum; sed illi, qui philosophantur, quęrunt fugere ignorantiam, sicut finem: ergó tendunt in ipsum scire propter se ipsum. Hęc est argumentatio Philos. iuxtà versionem Div. Th. & talis erit in favorem Logicę locutio nostra. Logica quęrit scire propter ipsum scire: ergò est speculativa, & non practica. Prob. ant. Logica solùm intendit fugere ignorantiam: ergò solum quęrit scire propter ipsum scire. Ant. patet. Quia Logica ad hoc inventa est, ut homo in ipso actu rationis ordinatè, & sine errore procedat, rectèque sciat. Conseq. verò probatur. Idem est fugere ignorantiam, & scire: ergò si Logica quęrit ipsum cognoscere propter fugam ignorantię, quęrit cognitionem propter scire, & consequenter erit speculativa, non practica.

Ulteriùs probatur conclusio ratione à priori, ex parte principiorum, & ex parte materię circà quàm versatur. Ex parte quidem principiorum; quia principia quibus innititur Logica, sunt omninó speculativa: ergò ipsa Logica est tota speculativa. Prob. ant. Principia, quibus utitur Logica inconstruendis syllogismis, sunt hæc: *quæ sunt eadem unitertio, sunt eadem inter se, dici de omni, dici de nullo*; sed hæc sunt omnino speculativa, & multis scientijs speculativis deservire possunt, quod idem observari potest in alijs principijs Logicæ circà naturam generis, oppositionis, & similium: ergò principia, quibus innititur Logica, omninò speculativa sunt.

Ex parte autem materiæ hoc ipsum probatur. Quia Logica ex propria natura ordinatur ad contemplationem veritatis, tanquàm ad propriam

prium finem: ergò est tota speculativa. Prob. ant. Logica ex propria natura ordinatur ad cognoscendam naturam modi sciendi, & passiones de illo demonstrandas: ergò ordinatur ad contemplationem veritatis tanquàm ad proprium finem.

Confirmatur: Logica pro materia, & objecto formali, habet aliquid purè speculabile: ergó est tota speculativa. Prob. ant. Materia Logicæ sunt res, de quibus agit, & forma est ordo artificiosus, quem intellectus format in rebus, illas disponendo in modum syllogismi, definitionis, &c.; sed hæc omnia purè speculabilia sunt: ergò Logica pro materia, & objecto formali habet aliquid purè speculabile. Hoc etiam suadet natura ipsa Logicæ, quę solùm ordinatur ad dirigendas operationes intellectus; sed hæc non sunt praxis, ut diximus in notabilibus: ergò Logica tota speculativa est. Ex quo similitèr habetur, Logicam utentem esse etiam speculativam, quandoquidem Logica utens ordinatur ad constructionem syllogismi: prædicta autem constructio non est praxis, sed est opus intellectus, & intrà ipsũ exercetur. Licet namque ordinetur ad syllogismum vocalem, non tamen ultimò, sed potiùs ultimó ad mentalem ordinatur: ad hoc enim conficit syllogismum vocalem, ut mentalem manifestet, qui quidem est contemplatio veritatis, & opus intrà intellectum, & quidem, si conficere syllogismum vocalem obstaret rationi speculativę, nulla scientia speculativa esset, cum quælibet scientia syllogismos vocales conficiat.

§. V.

Solvuntur argumenta.

COntrà conclusionem istam arguitur primò: Arist. 11. Metaph. & D. Th. ibidem lect. 7. dividentes scientias speculativas, nullam fecerunt mentionem Logicæ: ergò quia sentiebant Logicam non esse speculativam.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Nàm Arist. & D. Th. loco cit. (sicut etiam in alijs, quæ referunt Adversarij) solùm dividunt scientias speculativas principales, & ità non fecerunt mentionem Logicæ, quæ ancilla est, & famulatum præstat alijs scientijs, ut indicat D. Th. 1. Metaph. lect. 2. Alibi verò, ut notarunt plurimi, Aristoteles divisit Philosophiam contem-

plationem, quæ opponitur activæ, seù practicæ, in Phisicam, & in Logicam. Quam divisionem etiam docet Div. Aug. lib. 8. de Civit. Dei cap. 4. traditam fuisse à Platone. Præterquamquod argumentum hoc in ipsos Adversarios retorquetur: nam etiam dividentes scientias practicas, nullam fecerunt mentionem Logicæ: ergò quia sentiebant Logicam non esse practicam.

Instabis: scientiæ speculativæ sunt de illis, quarum cognitio quæritur propter se ipsam; sed res, de qnibus est Logica non quęruntur propter se ipsas: ergò Logica nequit esse speculativa. Prob. min. Res, de quibus est Logica, quæruntur ut adminiculum quoddã ad alias scientias, prout ministrat speculationis sue instrumenta, syllogismos scilicet, diffinitiones, &c. ut docet D. Th. opusc. 70. q. 5. art. 1. ad 2. ergô non quęruntur propter se ipsas.

Resp. dist. maj. propter se ipsam, *primo, & principalitèr*, conc. maj. *secundariò, & minus principalitèr*, neg. maj. & dist. min. propter se ipsas, *secundario, & minus principalitèr*, conc. min. *primò*, & *principalitèr*, neg. min. ad cuius probationem dicimus, D. Th. solùm intendere Logicam non esse principaliorem, inter scientias speculativas, sed ancillam, & ministram; & propterea subdit, quod *Logica non continetur sub Philosophia speculativa, ut principalis pars, sed quasi quoddamreductum ad eam: veram hoc* non tollit, quod sit essentialitèr speculativa, tùm ex modo procedendi, & principijs speculativis, quibus utitur, ut diximus intèr probandam conclusionem; tùm, quia primò, & principalitèr quæritur propter se, & ordinatur ad contemplationem sui objecti: tùm etiam, quia ipsæ res, de quibus agit, ità ad alias ordinantur, ut non ad operationem, sed ad speculationem aliarum ordinentur, cum instrumenta sint ad speculandum.

Secundò arguitur: habitus Logicæ ordinatur ad praxim: ergó est practicus. Prob. ant. Habitus Logicæ ordinatur ad construendum syllogismum; sed constructio syllogismi est verè praxis: ergó habitus Logicæ ordinatur ad praxim. Prob. min. Constructio syllogismi est introductio formæ in materia, dùm enim artificiosa dispositio ponitur per actum intellectus in rebus, fit syllogismus; sed introductio formę in materia de-

debet esse praxis, cum non possit esse speculatio: ergò constructio syllogismi est verè praxis.

Resp. ad argumentum, negand. ant. & ad probationem neg. min. ad cuius probationem dist. maj. in materia *speculabili*, conc. maj. *practicabili*, neg. maj & dist. min. in materia *practicabili*, conc. min. *speculabili*, neg. min. & conseq. Constructio namque syllogismi non est introductio formæ in materia purè operabili, sed potius in materia speculabili, & ratio est, quia construere syllogismum est verè speculari, cum sit actus intellectus, & omnis actus intellectus sit vera speculatio. Undè nec syllogismus, nec illius constructio est verè praxis: eo quod praxis est opus extrinsecum intellectui, & ab speculatione distinctum, & idcirco nullus actus Logicæ ad praxim ordinatur. Et instantia est in quacumque scientia; nam omnis scientia conficit syllogismos: & tamen non omnis scientia practica est, nec ad praxim ordinatur.

Instabis: opus intellectus potest esse praxis: ergó licèt constructio syllogismi fiat intrà intellectum, poterit esse praxis. Prob. ant. Applicatio regularum ad usum, est praxis; sed opus intellectus potest esse applicatio regularum ad usum: ergò potest esse praxis.

Resp. negand. ant. & ad probationem dist. maj. regularum *operandi*, conc. maj. *speculandi*, neg. maj. & dist. min. regularum *speculandi*, conc. min. *operandi*, neg. min. & conseq. Quia Logica, dum conficit syllogismum, solùm applicat ad usum regulas speculandi, & cognoscendi veritatem, & ad hunc finem fit syllogismi constructio; ut autem esset practica, debebat applicare non regulas cognoscendi, sed regulas operandi, & ad opus ordinatas, in quo solo eventu constructio syllogismi practica est: ut cum quis conficit syllogismum, quo mediante deliberat de aliquo opere faciendo, sicut contingit in prudentibus, cum ad opus determinantur.

Dices: ex quo regulæ Logicales, & ipse habitus Logicę ordinentur ultimò ad veritatem contemplandam, non infertur Logicam non esse practicam: ergó doctrina data non tenet. Prob. ant. Actus prudentię dictans hic, & nunc esse aliquid speculandum, ut veritas cognoscatur, ordinatur ultimò ad contemplationem veritatis; & tamen

talis actus verè practicus eſt: ergò ex quo Logica ordinetur ultimò ad veritatem contemplandam, non infertur Logicam non eſſe practicam.

Reſp. negand. ant. & ad probationem diſt. maj. ad contemplationem veritatis, *quatenùs practica eſt*, conc. maj. *quatenùs eſt ſpeculatio*, neg. maj. & conceſſa min. neg. conſeq. Prudentia namque eſt virtus perficiens intellectum ad benè vivendum, & in ordine ad voluntatem, & ità non reſpicit contemplationem veritatis, niſi ut conducentem hic, & nunc ad finem prædictum, ſecundum quam rationem contemplatio practica eſt, & ad praxim ordinata: Logica verò perficit intellectum ad ſpeculandum tantum, & ità diſpar eſt ratio.

Replicabis: etiam Logica ordinatur ad inſtrumenta Logicalia, quatenùs practica ſunt: ergò etiam erit practica. Prob. ant. Logica ordinatur ad inſtrumenta Logicalia, quatenùs cadunt ſub electione voluntatis imperantis intellectum ad diſcurſum, & inquiſitionem veritatis; ſed hęc inſtrumenta prout ſic practica ſunt: ergò Logica ordinatur ad ea, quatenus practica formaliter.

Reſp. negand. ant. & ad probationem diſt. maj. ſub electione voluntatis, *purè applicantis ad opus*, conc. maj. *ipſum ſpecificantis*, neg. maj. & diſt. min. prout ſic, *id eſt, ut ſpecificantis*, conc. min. *ut purè applicantis*, neg. min. & conſeq. Quia quamvis intellectus, ut conficiat inſtrumenta Logicalia, applicetur à voluntate, non tamen ipſa voluntas dat ſpeciem inſtrumento Logicali. Nàm ſivè bona, ſivè mala voluntate inſtrumenta Logicalia conficiamus, ſyllogiſmus erit bonus, modò regulas ſervemus, & ideò ſyllogiſmus ſolum quantum ad exercitium dependet à voluntate applicante, non verò quantum ad ſpeciem, & ſubſtantiam. Hoc autèm non impedit inſtrumenta Logicalia eſſe purè ſpeculativa: omnis enim ſpeculatio hoc modo à voluntate dependet, quandoquidem nihil poſſumus ſpeculari, niſi velimus. Nec valet dicere eſſe aliquos ſyllogiſmos purè practicos, illos videlicet de quibus inquit Ariſt. Peccatores paralogizari, homines verò probos benè argumentari, ut cum quis deliberat de aliquo faciendo. Huiuſmodi enim ſyllogiſmi non Logicales, ſed prudentiales ſunt; conſtant enim bona, vel mala intentione tanquàm maj. bo-

bona, vel mala deliberatione tanquàm min. & bona, vel mala electione tanquàm conſeq. & ideò non pertinent ad Logicam: quarè vir bonus, & ſi Logicę ignarus, optimè conficiet iſtiuſmodi ſyllogiſmos, & è contrà probus paralogizabitur.

Tertiò arguitur: ex D. Th. 1. Poſt. lect. 41. lit. b. ubi ait: qnod *in ſpeculativis ſcientijs nihil aliud quæritur, quam cognitio generis ſubjecti. In practicis autem ſcientijs intenditur quaſi finis conſtructio ipſius ſubjecti*; ſed in Logica quęritur aliud, quam cognitio generis ſubjecti, & in ea intenditur quaſi finis conſtructio ipſius ſubjecti, vel objecti: ergò Logica non eſt ſpeculativa, ſed practica. Prob. min. Logica non ſiſtit in cognitione ſui objecti: ergò in ea intenditur quaſi finis conſtructio ipſius objecti. Prob. ant. Logica ordinat ſpeculationem ſuam ad objecti confectionem; ad hoc enim regulas ſyllogizandi diſcimus, ut ſyllogiſmum faciamus: ergó non ſiſtit in cognitione ſui objecti, ſed eſt ſui objecti factiva, ac proindè practica, nàm ea propter medicina practica eſt, quia eſt factiva ſui objecti, ſcilicet ſanitatis.

Confirmatur: ſi Logica eſſet ſpeculativa ſimpliciter, eſſet perfectior medicina, & quocumque habitu practico; ſed hoc admitendum non eſt, cum ſcientiæ practicę habeant perfectius objectū, videlicet ens reale: ergò Logica non eſt ſimpliciter ſpeculativa. Prob. maj. Habitus ſpeculativus procedit modo reſolutorio, habitus verò practicus procedit modo compoſitivo, qui modus procedendi non eſt ità perfectus; ergò ſi Logica eſſet ſpeculativa ſimpliciter, eſſet perfectior medicina, & quocumqne habitu practico.

Reſp. ad argumentum negando min. & ad probationem neg. ant. ad cuius probationem diſt. ant. objecti confectionem, *quæ eſt ſpeculatio*, conc. ant. *quæ ſit praxis*, neg. ant. & diſt. conſeq. ſui objecti factiva *efficientia intra intellectum*, conc. conſeq. *extrà intellectum*, neg. conſeq. Quamvis enim Logica ſuum objectum conficiat, illud tamèn efficit media ſpeculatione intellectus, & ut ipſum contempletur, ideóque non deſinit eſſe ſpeculativa, non enim eſt contra rationem ſcientię ſpeculativæ, quod ſuam cognitionem ſpeculativam referat ad aliquid aliud, quod etiam ſit ſpeculatio. Et exemplum adeſt in Ariſmethi-

thica, quæ quidem non desinit esse speculativa, quamvis faciat numerum, qui est illius objectum, eo quod totum hoc per intellectum fit, & intra intellectum manet, & ad veritatem cognoscendam ordinatur. De Medicina autem dispar est ratio; quia objectum eius fit per potentias exteriores applicantes, & exequentes, quæ conducunt ad perfectam sanitatem, & ideò non tenet paritas.

Ad confirmationem Resp. dist. maj. esset perfectior *ex conceptu communi*, conc. maj. *ex conceptu particulari*, neg. maj. min. & conseq. Plura namquè sunt perfectiora ex genere, quæ ex alio capite excedunturin perfectione ab aliquo ex existentibus in genere inferiori; sicut cognitio opinativa Dei, ex genere cognoscitivi, excedit in perfectione eius amorem, & tamen amor Dei super omnia excedit cognitionem ipsius opinativam: similitèr contingit in Logica, quæ licet ex conceptu cōmuni speculativę perfectior sit habitu practico, ex alio peculiari conceptu potest resarciri excesus, quatenùs respicit imperfectissimum objectum, scilicèt ens rationis: Propterèaque Logica minus perfecta est, quam Philosophia moralis v. g. quæ est scientia practica, cuius objectum est quid reale: & nimis excedit Logicam in nobilissima directione, qua homines dirigit ad finem humanæ vitæ.

Instabis: si semel Logica speculativa est, etiam ex conceptu particulari debet excedere: ergo nulla est solutio. Prob. ant. Habitus speculativus ex conceptu particulari ordinatur ad perfectiorem finem, videlicèt ad contemplationem veritatis; sed hic finis perfectior est, quam opus ad quod ordinatur habitus practicus: ergò si semel Logica speculativa est, etiam ex conceptu particulari debet excedere.

Resp. negand. ant. & ad probationem dist. maj. ad perfectiorem finem *ex conceptu communi*, conc. maj. *ex conceptu particulari*, neg. maj. & sub eadem distinctione, neg. min. & conseq. Quia quamvis contemplatio veritatis ex conceptu communi perfectior sit, contemplatio tamen veritatis entis rationis minus perfecta est, quam opus verum, & reale; quatenùs contemplatio prædicta versatur circà diminutam, & imperfectissimam veritatem: & idcircò Logica ordinata ad talem finem, ex conceptu particulari minus perfecta est.

Il-

Illustratur hæc solutio doctrina Præcept. Ang. in 1. de Anim. lect. 1. non longè a principio, ubi ex eo prætulit scientias speculativas practicis, quia illæ, cum sint propter se ipsas, honorabiles sunt, istæ autem, quia sunt propter opus, laudabiles tantum sunt; laudamus enim utilia in ordine ad finem aliquem, honoramus verò illa, quæ sunt propter se ipsa; sed hic excessus non apparet in Logica, cum non sistat in se ipsa, sed ulteriùs adminiculum præstet ad alias scientias, illisque famulatum præstet, non secùs, ac equus homini ad iter agendum: cum ergò ex alijs capitibus in pluribus excedatur ab aliquibus ex scientijs practicis, non est cur ex conceptu peculiari non vincatur ab illis in perfectione, & honore.

§. VI.

Corollaria ex dictis.

EX dictis colligitur primò, *Logicam tantum similitudinarie, & quantum ad aliquem modum esse artem mechanicam, vel servilem*, quatenùs cum eis convenit in aliqua similitudine operis, in construendo videlicet sua artefacta, sicut & artes mechanicę, vel serviles sua artificia conficiunt: non tamen verè, & propriè esse artem mechanicam, quia artes mechanicę sunt propter necessitatem corporis, & corpus subditur animæ, ut servus Domino, Logica verò versatur circà opera ipsius animę, & est propter illius delectationem. Undè inter mechanicas artes numquam Logica numeratur: ipsæ autem sequentibus continentur.

Lana, nemus, miles, navigatio, Rus, Medicina,
Theatrum: omnia sunt hæc mechanica dicta.

Verba autem his versiculis contenta, significant lanificium, venationem, armaturam, navigationem, agriculturam, medicinam, & artem repræsentandi, quæ dicuntur artes mechanicę, vel serviles, quatenùs earum actiones exercentur per exteriora membra, & organa corporalia.

Secundò ex dictis colligitur, *Logicam absolutè loquendo esse artem liberalem*: quod docuisse videtur D. Th. 1. Post. lect. 1. dùm dicit: *Ars quædam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus rationis, per quam homo in ipso actu rationis, facilitèr, ordinatè, & sine errore procedat, & hæc est ars Logica.* Et similitèr 1. 2. q. 57. art. 3. ad 3. dum ait:

quicumque habitus ſpeculativi ordinantur ad conſtitutionem ſyllogiſmi &c. dicuntur artes liberales.

Ratione autem probatur: ars (ut docet D. Th. in corp. art. quæſt. cit.) eſt recta ratio operum faciendorum conformiter ad regulas artis; ſed Logica tradit regulas ad conficienda inſtrumenta Logicalia, diffinitionem videlicet, diviſionem, demonſtrationem, & alia, & ipſas regulas applicat ad uſum inſtrumenta conficiendo: ergò eſt ars, & maximè cum ars dirigat actus, qui poſſunt benè, vel malè fieri, ut benè fiant, & hoc Logica præſtet, tradendo regulas, & dirigendo intellectum, ut bonam diffinitionem, & hujuſmodi alia conficiat.

Ex quo conſtat eſſe artem liberalem, quia opus Logicæ non exercetur corpore, ſed intelligentia, & ratione, & conſequenter opus ſervile non eſt: ac proindè Logica non eſt mechanica, vel ſervilis, ſed ars liberalis. Liberales autem artes ſequenti verſiculo numerantur:

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, aſtra.

Quæ verba ſignificant Grammaticam, Rethoricam, Logicam, Ariſmethicam, Muſicam, Geometriam, & Aſtrologiam; quæ omnes deficiunt revera à ratione artis, quia verſantur circa opera ipſius animę: & ideò dicuntur artes liberales, ad differentiam artium mechanicarum, quæ dicuntur ſerviles, quia ſunt propter neceſsitatem corporis, liberales verò propter animę delectationem, & homo ſecundum animam eſt liber. Deficere autem à verâ ratione artis, non eſt ſimpliciter defectus, ſed potius perfectio, & ideó *non oportet ſi liberales artes ſunt nobiliores, quod magis eis conveniat ratio artis*, ut inquit D. Th. 1.2. q.57. art.3. ad 3.

Inſtabis: Philoſ. 6. Ethic. cap. 4. inquit: quod ars eſt habitus cum vera ratione factivus: ſed Logica non eſt huiuſmodi: ergò nequit eſſe ars. Prob. min. Facio (ut ſuprà diximus ex D. Th.) eſt operatio externa, quę non manet in agente; ſed operatio Logicæ interna eſt, ad intrà manens, nec tranſiens in exteriorem materiam: ergò minor vera eſt.

Reſp. Ariſtotelem loco cit. locutum fuiſſe de arte mechanica, quæ ſecundum primam, & magis notam nominis impoſitionem eſt ars, quamvis prędictum nomen etiam extenſum fuerit ad artes, quæ dicuntur *liberales*, &

& de illis propriè dicatur : ſicut hoc nomen *viſio* primò impoſitum eſt ad ſignificandum actum ſenſus viſus, deindè autem extenſum eſt ſecundum uſum loqnentium ad omnem cognitionem aliorum ſenſuum, (dicimus enim vt de quo modo ſapit, vel quomodo redolet, &c.) & etiam ad cognitionem intellectus. Similiter hoc nomen *lux* primo inſtitutum eſt, ad ſignificandum id, quod facit manifeſtationem in ſenſu viſus, & poſtmodum extenſum eſt, ad ſignificandum illud, quod manifeſtat ſecundùm quamcumque cognitionem, quo modo propriè etiam in ſpiritualibus dicitur, ut docet D. Th. 1.p. q.67. art.1. & idcircó ex doctrina Philoſophi non ſequitur Logicam non eſſe verè artem.

Ex prædicta doctrina ſequitur, artes liberales nullam exigere conditionem oppoſitam cum natura ſcientię, quandoquidem etiam artes liberales agunt per ſe primò de perpetuis, & neceſſarijs, quamvis ſecundarió extendantur ad opus exterius, & ad uſum regularum, & modo compoſitivo procedant circà ſingularia contingentia, & à nobis factibilia : hoc enim non obſtat rationi ſcientiæ, nec etiam extrahit huiuſmodi artes à linea artium liberalium, quia talia opera pertinent ad delectationem animę, & non ad neceſsitatem corporis.

ARTICULUS III.

UTRUM HABITUS LOGICÆ DOCENTIS, & utentis realitèr distinguantur ?

§. I.

Quibusdam suppositis, statuitur negativa conclusio.

DIversimodè, & variè loquuntur Authores circà distinctionem Logicæ docentis ab utente, omnes in sententia sua, & in modo illam propugnandi abundare desiderantes. Et re verà, si quod est dubium, in quo cuilibet (etiam Scholæ D. Th.) liceat in suo sensu abundare, maximè præsens, cuius resolutio pro quavis sententia stet, prætet fundamentum in littera D. Th. suis nititur haud contemnendis rationibus, quibus cum probabilitate suadetur. Sed qui negant Logicam dividi in docentem, & utentem, proculdubiò claudere videntur oculos intellectus sui lumini Solis Aquinatis in 4. Metaph. lect. 4. huiusmodi divisionem ostendentis.

Itaque supponimus primò tanquàm certum, Logicam adæquatè dividi in *docentem*, & *utentem*. Logica docens ea est, quę traddit regulas, & præcepta, & explicat naturam instrumenti Logicalis, & passiones eius demonstrat. Logica verò *utens* est, quę eiusmodi regulas applicat ad determinatam materiam, & *iuxtà illas* diffinitionem, divisionem, & argumentationem conficit. Et quia usus (ut inquit D. Th. 1. 2. q. 16. art. 1.) *est applicatio rei ad opus*, quotiescumque regulas applicamus, verè nos utentes dicimur, ipsaque Logica à prędicta applicatione, & exercitio regularum verè utens denominatur. Consultò diximus iuxta illas, necessario enim requiritur prędictam applicationem, & exercitium regularum fieri *iuxtà* regulas traditas, & cum attentione ad ilias, ut ipsarum applicatio proprie nominetur usus. Et propterea prima demonstratio, per quam adquiritur Logica, non est usus, quia regulę nondùm cognoscuntur scientificę à demonstrante, qui proindè non

non operatur formaliter *iuxtà* regulas, & cum advertentia ad illas. In quo quidem, (ſi unum, vel alterum non maximæ notę excipiamus) omnes conveniunt tanquam in ianua, per quam intratur ad intima concluſionis: in foribus autem vix eſt, qui delinquat, ut proverbialiter dicitur.

Secundò notandum eſt, uſum actualem regularum Logicalium reperiri tàm in Logica, quàm in cæteris ſcientijs; in Logica quidem, cum in exercitio fit diffinitio, vel argumentatio, vel alterum artificium Logicale: in alijs verò ſcientijs, quando proprias diffinitiones, & demonſtrationes conficiunt iuxtà Logicę præcepta. Differentia tamen inter utrumque invenitur, quia dùm Logica in propria materia conficit demonſtrationes, verè dicitur utens activè, quatenùs proprijs utitur principijs, & propriam demonſtrationem efficienter producit: quando autem aliæ ſcientiæ utuntur præceptis Logicę, ſolùm dicitur ipſa utens paſsivè, vel uſitata, eo quod ipſa non conficit uſum conformem ſuis præceptis, ſed aliæ ſcientię tàm ipſa, quàm illins præceptis utuntur. Ex quò conſtat ſolùm uſum actualem in propria materia Logicę poſſe denominare Logicam utentem, non verò uſum, quo aliæ ſcientiæ Logicę præceptis utuntur, cum talis uſus efficienter à Logica non procedat.

Inſtabis: talis actus, & applicatio regularum non eſt verè uſus: ergò non poteſt Logicam utentem denominare. Prob. ant. Talis applicatio regularum eſt propriè doctrina: ergò non eſt vere uſus. Prob. ant. Quilibet actus Logicæ in propria materia eſt vere doctrina, quia per omnem actum Logicę docemur de aliqua veritate ad Logicam pertinente; ſed prędicta regularum applicatio eſt actus Logicæ: ergò eſt propriè doctrina.

Reſp. nagand. ant. & ad probationem diſt. ant. proprie doctrina *in ordine ad idē, cuius eſt uſus*, neg. ant. *in ordine ad aliud*, conc. ant. & neg. conſeq. Quia quicumque actus Logicę iuxta regulas Logicales procedens, eſt vere doctrina, & eſt vere uſus, non tamen reſpectu eiuſdem, ſed comparative ad diverſa; doctrina quidem, in ordine ad veritatem, quam docet, & uſus, in ordine ad regulas, quibus utitur. Sicut hic ſyllogiſmus, oratio manifeſtans ignotum, eſt modus

ſcien-

sciendi; sed diffinitio est oratio manifestans ignotum: ergò est modus sciendi: habet simul rationem doctrinæ, & usus, respectu tamen diversorum, siquidem docet naturam modi sciendi, & utitur regulis demonstrationis.

Tertiò supponendum est, Logicam docentem dupliciter accipi posse, uno quidem modo, pro ea, quæ tradit regulas firmas pro quocumque syllogismo, sive demonstrativo, sive topico, vel sophistico; sicut namque evidenter ostendit syllogismum demonstrativum generare scientiam, quia procedit ex primis, veris, & necessarijs: ità ostendit evidenter Topicum generare opinionē, quia procedit ex probabilibus, & sophisticum apparientiam, quia procedit ex reverà falsis, & solum in apparientia veris. Undè Logica prædicta in parte demonstrativa reperitur, & similiter in Libris Topicorum, & Perihermenias, ut indicat D. Th. opusc. 70. q. 6. art. 1. in corp.

Alio verò modo accipitur Logica docens pro ea, quæ tradit regulas, & principia probabilia pro syllogismo probabili sine hoc, quod procedatur resolutivè usque ad prima principia, vel syllogismo apparenti prębet regulas apparientiæ congruentes: & hæc Logica solum reperitur in parte topica, vel Sophistica. Utrique doctrinę consonat D. Th. in 4. Metaph. lect. 4. Verùm hoc difficillimè à pluribus admittitur, hinc, & indè difficultatis vim effugere conantibus; non tamen mirum, cum iam simus propè intima conclusionis: circà quæ facillimum est hominem decipi.

His igitur prælibatis, quamvis Authores aliqui tàm Domestici, quam extranei in placita diversa sint partiti; quidam in uno extremo asserentes, non solum Logicam docentem, & utentum esse eundem habitum, sed eodem actu, & respectu eiusdem uti, & docere; quidam verò non solùm distinctos actus, sed etiam diversos habitus in alio extremo constituant, cum asserant docentem esse speculativam, utentem verò practicam, docentem esse scientiam, utentem verò habitum opinativum, alijque quam plures fingant distinctiones, quas longum esset referre: Nos tamen cum communiori sententia censemus Logicam docentem, & utentem non esse habitus realitèr entitativè distinctos, sed unum, & eundem realitèr. Ideoque hæc erit:

§.

§. II.

Noſtra Concluſio.

Habitus Logicæ docentis, & utentis eſt idem realitèr.

RAtione communi probatur noſtra Concluſio: quando actus ordine quodam ſe habent, unus videlicet ut primarius, & alter ut ſecundarius, nec addunt novam difficultatem, pertinent ad eundem realitèr habitum, ut indicat D. Th. 2. 2. q. 25. art. 1. ſed uſus, qui eſt actus Logicæ utentis, ſubordinatur doctrinæ, quæ eſt actus Logicæ docentis, & non addit novam difficultatem: ergò habitus Logicæ docentis, & utentis eſt idem realitèr habitus. Maj. patet per inductionem: Nàm amor Dei, & proximi pertinent ad eundem habitum charitatis; vincere timores nimios, & temerarias frænare audacias ad unam virtutem fortitudinis; Deum colere, adorare, ſacrificare, &c. ad unicam virtutem religionis, non alia ratione, niſi quia hujuſmodi actus ordine quodam ſe habent, nec unus ad alterum novam addit difficultatem. Min. quantùm ad primam partem etiam conſtat: nàm applicatio regularum ſecundariò ſe habet ad traditionem præceptorum Logicalium. Quantum ad ſecundam verò ſic prob. Si uſus regularũ Logicaliũ novã adderet difficultatẽ ſupra doctrinam, vel ea oriretur ex applicatione diverſorum principiorum, vel ex parte materiæ, quę reſiſteret, ut contingit in arte fabrili; vel ex parte potentiæ executivæ; ſed ex neutrò capite nova additur difficultas in uſu regularum Logicalium: ergò uſus non addit novam difficultatem ad doctrinam. Prob. min. quantùm ad omnes ſuas partes. Quoad primam quidem, quia uſus eadem principia applicat, quæ traduntur per doctrinam, ſi enim alia principia applicaret, quæ non pertinerent ad Logicam docentem, iam non eſſet utens tantùm, ſed docens, utpotè alia principia tradens, & eſſent diſtinctæ ſcientiæ, utpotè ex diverſis principijs procedentes, ac proindè duę docentes dicerentur, & non docens, & utens: etgó non oritur nova difficultas ex applicatione diverſorum principiorum.

Quoad 2. verò partem ſic oſtenditur: materia circà quam

quam versatur Logica, non resistit: ergò non addit novam difficultatem ex parte materię resistentis. Prob. ant. materia Logicę sunt res cognitæ; sed res cognitas ordinare possumus, prout placuerit, ex una conficiendo subjectum, ex alia prędicatum, & ex alijs syllogismum, absque eo quod resistant: ergò materia, circà quam versatur Logica non resistit, ac proinde dum quis exercetur in syllogizando, non adquirit habitum diversum ab ipsa doctrina Logicæ, sed ad summum usum expeditiorem. Sicut habens attē citharizandi, dùm frequentèr digitos applicat ad Citharam, non generat novam artem, sed dumtaxat exercitij eius tollit impedimentum, ut magis expedite digitos movere possit.

Quo ad 3. verò partem sic suadetur: quia applicatio, & executio regularum non fit per distinctam, sed per eandem potentiam intellectivam: ergò non addit novam difficultatem formalem ad doctrinam regularum. Prob. conseq. Quia tum solum in executione regularum nova invenitur difficultas, quando prædicta executio per diversam potentiam exercetur; sicut callens regulas scribendi, pingendi, vel psallendi, novam invenit difficultatem in executione regularum: quia illarum cognitio habetur per intellectum, executio autem per potentias exteriores.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntra conclusionem istam arguitur primò; ex D. Th. 4. Metaph. lect. 4. dicente, *in parte Logicę, quæ dicitur demonstrativa, solum doctrina pertinet ad Logicam; usus vero ad Philosophiam, & ad alias particulares scientias ... quædam verò partes Logicæ habent ipsam scientiam, doctrinam, & usum, sicut Dialèctica tentativa, & Sophistica.* Et paulo suprà: *Utens verò est secundm quod, modo adjuncto utitur ad concludendum aliquid probabiliter in singulis scientijs.* Quibus etiam consonat 1. Post. lect. 1. ubi ait: quod *ex processu facto in parte Logicæ, quæ dicitur inventiva, ratio totaliter declinat in unam partem contradictionis, licet cum formidine alterius, & ad hoc ordinatur Topica, sive Dialectica.* Ac denique opusc. 70. q. 6. art. 1. in corp. sic inquit: *quando inquisitio rationis usque ad ultimum termi-*

minum non perducit, ſed ſiſtitur in ipſa inquiſitione, quando ſcilicet quærenti adhuc manet via ad utrumlibet ... ſic rationalis proceſſus diſtinguitur contra demonſtrativum. Et hic eſt alius modus, quo Logica utitur in ſcientijs demonſtrativis, non quidem, ut eſt docens, ſed ut utens: ergo Logica, ut ſcientia demonſtrativa, ſolum habet doctrinam, non verò uſum, ut habetur in prima, Logica verò utens ſolùm probabiliter concludit, ac proindè opinativè, ut infertur ex ſecunda, & tertia; eiuſque proceſſus diſtinguitur contrà proceſſum docentis, ut oſtendit quarta, conſequenter que habitus Logicæ docentis, & utentis realiter diſtinguuntur.

Hoc eſt fortiſsimum bellum ex adverſo ſtans, & hæc Civitas refugij, & Turris Adverſariorum ædificata cum propugnaculis authoritatum Doct. Ang.: attamen ſi in locis citatis ſolertius inſpiciatur non tàm littera, quàm ſpiritus verborum D. Th. non contrà nos, ſed potiùs pro nobis erit, & ideo.

Ad 1. authoritatem reſp. explicand. ant. Uſus *principiorum communium, & extraneorum*, conc. ant. uſus *principiorum propriorum, ſeu directivus*, neg. ant. & conſeq. ſub eadem diſtinctione. Nam D. Th. ſolùm loquitur de uſu, quo ex principijs Logicis, *contraria ſunt circà idem* v. g. probabiliter proceditur in alijs ſcientijs, quem ut demonſtrativa non poteſt in alijs ſcientijs habere, ſed ſolum quatenùs Topica, & Sophiſtica eſt, ut docet 1. Poſt. lect. 20. lit. d. & hoc ideo, quia (ut ipſa ſubdit 4. Metaph. lect. cit.) *uſus demonſtrativæ conſiſtit in utendo principijs rerum, de quibus fit demonſtratio, quæ ad ſcientias reales pertinent, non utendo intentionibus Logicis*; intentionibus utique, quæ ſint ſubjectum Logicæ, ſed ſolùm intentionibus communibus, ut ipſe aſſerit 1. Poſt. loc. cit. Non autem loquitur D. Th. de Uſu, quo in propria materia utitur præceptis à ſe traditis, & ex proprijs principijs demonſtrative concludit; nec etiam de uſu, quo dirigit, & præbet alijs ſcientijs modum artificialem procedendi; vel formam ſyllogiſticam (ut tenet ſententia probabilis) in illis effectivè producit. Hoc enim etiam convenit parti demonſtrativè, ut indicat D. Th. tum loc. cit. Metaph. tum opuſc. 70. q. 6. art. 1. in corp.

Ad 2. reſp. quod ex quo Lo-

Logica utens, modò adjuncto, probabiliter concludat, ſolum infertur, quod reduplicativè ut utens, non ſit ſcientia; & nihil aliud videtur D. Th. intendere, ut patet ex eo, quod immediatè ſubdit; *& ſic recedit à modo ſcientiæ.*

Ad 3. reſp. verum eſſe, quod proceſſus factus in parte Logicę, quæ dicitur inventiva, non eſt cum omnimoda certitudine, ut loc. cit. prę̃mittit D. Th. ita invenitur gradus aliquis, ſecundùm quod magis & minus ad perfectam certitudinem accedítur: per huiuſmodi enim proceſſum, quandoque quidem, & ſi non fiat ſcientia, fit tamẽ fides, vel opinio ſeu probabilitas propter probabilitatem propoſitionũ, ex quibus proceditur, & ideo ratio totaliter declinat ad unam partem, licet cum alterius formidine. Ex hoc autem non ſequitur, huiuſmodi proceſſum exigere habitum realiter diſtinctum, qui ſit opinativus; non enim eſt neceſſarium omnes concluſiones habitus eſſe in eodem gradu certitudinis, & evidentiæ, nec in omnibus eſt exigenda ratio per modum mathematicum, nec per *micrologiam*, parvorum ſcilicet ratiocinationem, nec etiam per *acribologiam* diligentem ſcilicet, & certam rationem: hæc enim non debent quæri in omnibus rebus, de quibus ſunt ſcientię, ut aſſerit: Doct. S. 2. Metaph. lect. 5. Unde ex quo proceſſus factus in parte Logicæ *inventivæ* ſit cum formidine, proceſſus verò partis *demonſtrativæ* ſit cum certitudine omnimoda, utpotè per reſolutionẽ in prima principia, nõ infertur diſtinctio realis habituum elicientium huiuſmodi proceſſus, ſed ſolum diſtinctio quo ad munera, vel rationis ratiocinatæ, quod libentér fatemur. Non enim eſt inconveniens, quod idem habitus primariò eliciat proceſſum certum, & evidentem reſolutivè deducendo uſque ad prima principia, & ſecundariò eliciat diſcurſum imperfectum, ſolum diſputative, & tentativè procedentem, qualis eſt diſcurſus probabilis. Hoc quippè non obſcurè docet Præcept. Ang. 3. p. q. 9. art. 3. ad 2. per hæc verba: *Opinio ex ſyllogiſmo dialectico cauſata, eſt via ad ſcientiam, quæ per demonſtrationem adquiritur, qua tamen adquiſita, poteſt remanere cognitio, quæ eſt per ſyllogiſmum dialecticum, quaſi conſequens ſcientiam demonſtrativam, quæ eſt per cauſam, quia ille, qui cognoſcit cauſam, ex hoc etiam*

ma-

magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus. Cum ergò iuxta D. Th. in alijs scientijs ille, qui cognoscit causam, magis possit cognoscere signa probabilia consequentia demonstrationem, hoc idem evenire poterit in eadem scientia Logicę. Per quod patet etiam solutio ad 4. authoritatem.

Secundò arguitur: Potest augeri Logica docens, quin augeatur Logica utens, & è contra: ergò habitus Logicæ docentis, & utentis realiter distinguuntur, aliàs non posset vna sine altera augeri. Prob. ant. Habitus augentur per actus multiplicatos; sed possunt multiplicari actus Logicæ docentis, quin multiplicentur actus utentis, & è contrà: ergò potest augeri Logica docens, quin augeatur Logica utens, & è contra. Prob. min. Potest repetiri traditio regularum, quin repetatur usus, & potest etiam usus multiplicari circa eandem veritatem absque nova doctrina: ergò possunt multiplicari actus Logicæ docentis, quin multiplicentur actus utentis, & è contrà.

Resp. negand. ant. & ad probationem neg. min. ad cuius probationem neg. ant. & conseq. Quia multiplicatis actibus Logicæ docentis, nedum redditur intellectus facilior ad doctrinam, sed etiam ad usum, & multiplicatis actibus utentis, facilior etiam redditur ad doctrinam, & magis radicatur in eo, quod per Logicam docentem agnoverat: unde si augetur utens, etiam docens augebitur, & è contra.

Instabis; Potest quis perfectè callere regulas, & esse promptus in illarum explicatione, tardus verò in earum applicatione, & constructione syllogismorum, & per continuam applicationem facilitatem adquirere ad usum regularum; sed per applicationem, & facilitatem, quam adquirit exercitio syllogizandi, augetur Logica utens, non autem docens, quę iam perfecta supponitur: ergò potest augeri Logica utens, quin augeatur docens.

Resp. dist. maj. tardus *defectu materiæ*, conc. maj. *defectu habitus regulas applicantis*, neg. maj. & dist. min. augetur Logica *utens ex parte materiæ*, conc. min. *ex parte habitus*, neg. min. & conseq. Quando namque perfectè quis callet regulas, & promptus est in eis explicandis, etiam promptus, & facilis est in usu regularum; solumque potest habere difficultatem ex parte

materię, seu facultatis ipsam ministrantis, quatenus memoria non ità expedita est in ministrando species, quarum defectu non ita facilitèr regulas applicare potest: sicut velocissimus scriptor morosè scribet, si desit commoda papirus, calamus, attramentum, vel si materia calamo exprimenda memorię promptè non occurrat.

Dices: per applicationem, & facilitatem, quam quis adquirit exercitio syllogizandi, augetur Logica utens ex parte habitus: ergò nulla est solutio. Prob. ant. Actus Logicę utentis multiplicati generant, & augent aliquem habitum; non Logicę docentis: ergò habitum Logicę utentis.

Resp. negand. ant. & ad probationem neg. maj. Quia per repetitionem actuum Logicę utentis solùm generatur, vel augetur quędam facilitas per modum dispositionis, & expeditionis in applicatione materię, non tamen per modum habitus; quia habitus non per quoscumque actus generatur, vel augetur, sed per illos, qui per se attingunt motivum formalè habitus, non verò per eos, qui secundariò consequuntur, vel tantum dispositive se habent: nam habitus non generatur, aut augetur, nisi secundum subsantialem, & suam rationem formalem. Adest exemplum in D. Th. 2. 2. q. 144. art. 1. ubi docet, quod ex multoties verecundari, non causatur habitus distinctus à temperantia, quia verecundia non est habitus virtutis propriè, sed quasi dispositivè se habet ad temperantiam, ut inquit art. 4. sequenti ad 4. igitur actus imperfectus, & secundariùs, qualis est usus, etiam multiplicatus, non generat, vel auget novum habitum, sed solum aliquid imperfectum in genere habitus, quod est quasi dispositio, & expeditio quędam in ipso exercitio habitus.

Tertiò arguitur: Habitus Logicę docentis generatur per primam demonstrationem, per quam adquiritur Logica: sed per talem demonstrationem non producitur habitus utentis, nam hic habitus solum per usum producitur, & prima demonstratio non est usus, ut diximus in notabilibus: ergò habitus prędicti realiter distinguuntur.

Resp. negand. min. nam per illam primam demonstrationem non solum adquiritur habitus Logicę docentis, sed etiam utentis, nec probatio

su-

ſuperaddita contrarium ſuadet, quia per actum doctrinę, quę ſolum doctrina ſit, adquiritur habitus ad utrumque, ad doctrinam videlicet, & ad uſum.

Inſtabis: Habitus adquiſitus per demonſtrationem prędictam, non prębet facilitatem ad uſum, ergò non eſt habitus Logicę utentis, aliàs ad uſum facilitaret. Prob. ant. Ille habitus non per uſum, ſed ſolum per doctrinam adquiritur: argò non prębet facilitatem ad uſum. Prob. conſeq. Habitus ſolum pręſtat facilitatem ad actus ſimiles illi, per quem habitus generatur: ergò ſi ſolum adquiritur per doctrinam, non prębet facilitatem ad uſum.

Reſp. negand. ant. & ad probationem neg. conſeq. ad cujus probationem diſt. ant. Solum pręſtat *primariò* facilitatem &c. conc. ant. *ſecundariò*, neg. ant. & conſeq. ſub eadem diſtinctione. Licet enim habitus ſolum pręſtet primariò facilitatem ad actus ſimiles illi, per quem habitus generatur, ſecundariò tamen, & ex conſequenti facilitatem pręſtat ad actus ordine quodam, & ex conſequenti ſe habentes in ordine ad idem objectum, & eandem rationem formalem; & hoc modo ad actum doctrinę ſe habet uſus, qui per eandem potentiam fit, & ſpecialem non addit difficultatem, ut diximus inter probandam concluſionem.

Dices: actus Logicæ utentis, non poteſt etiam ſecundariò procedere ab habitu Logicæ docentis: ergò habitus Logicæ docentis nec etiam ſecundariò præſtare poteſt facilitatem ad uſum. Prob. ant. Actus opinativus nequit, etiam ſecundariò, procedere ab habitu Logicæ docentis; ſed actus Logicæ docentis opinativus eſt: ergò nequit etiam ſecundariò à Logica docente procedere. Prob. maj. Actus opinativus nequit, etiam ſecundariò procedere à virtute intellectuali, ab hac enim ſolum procedere poteſt actus, qui eſt determinatè, & infallibiliter verus, qualis non eſt actus opinativus; ſed habitus Logicę docentis, eſt vera virtus intellectualis, cum ſit vera ſcientia, & ſcientia vera virtus intellectualis ſit, nt docet D. Th. 1. 2. q. 57. art. 2. ergò actus opinativus nequit, etiam ſecundariò procedere ab habitu Logicæ docentis.

Reſp. negand. ant. & ad probationem, negatur utraque maj. Licet namque à

virtute intellectuali ſolum poſsit primariò procedere actus determinate, & infallibiliter verus, qualis eſt demonſtrativus, ſecundariò tamen etiam actus opinativus procedere poteſt. Non enim repugnat ex eiſdem principijs quandoque formare diſcurſum aliquem imperfectum, & non plenè reſolutorium, ſed ſolum diſputativè, & tentativè procedentem, qualis eſt actus opinativus. Sicut generans non ſolùm producit effectum perfectè ſimilem, *hominem*, v. g. *vel equum*, ſed etiam quandoque monſtruoſum, & à ſua perfectione degenerantem, non quidem ex eo, quod virtus eius perfecta non ſit, ſed propter aliquod impedimentum, vel materiæ incapacitatē, vel etiam propter applicationē agentis. Paritèr ergó poterit habitus Logicæ docentis, qui demonſtrativus, & ſcientificus eſt, uti diſcurſu, & principijs ſcientificis, non planè reſolvendo, ſed inquirendo, & tentando, qui quidem actus imperfectus eſt, & ſolum ſpecie quaſi materialiter diſtinctus à demonſtrativo, non tamen formaliter, & comparativè ad habitum.

Quartò arguitur: actus Logicæ utentis ſuperaddit difficultatem formalem ad actum Logicę docentis: ergò procedit ab habitu realiter entitative diſtincto. Prob. ant. Poſtquam quis regulas ſyllogizandi optimè callet, novam habet difficultatem inconſtruendo ſyllogiſmos: ergò actus Logicę utentis difficultatem formalem ſuperaddit. Prob. ant. Poſtquam quis benè cognovit regulas domificandi, adhuc invenit difficultatem in domibus conſtruendis: ergò pariter.

Confirmatur: Logica utens non eſt ſcientia: ergò realiter diſtinguitur à docente, quę eſt verè ſcientia.

Reſp. ad argumentum, negend. duo ant. prima, & ad probationem, conceſſo ant. neg. conſeq. Ratioque diſcriminis eſt, quia exercitium faciendi domos, non habetur per intellectum, ſed per potentias exteriores, realiter ab intellectu diſtinctas, & idcircò exercitium prędictum, ſuperaddit difficultatem cognitioni regularum, quę per intellectum habetur; ſicut in moralibus poſt judicium rectum de agendis, nova difficultas eſt in eligendo, & exequendo, quia judicium pertinet ad intellectum, electio autem pertinet ad voluntatem, & ad alias potentias exteriores pertinet executio: doctrina verò, & uſus per can-

eandem potentiam fiunt, & ideò dispar est ratio.

Ad confirmationem, resp. dist. ant. Logica utens, *reduplicativè ut utens*, conc. ant. Specificativè, neg. ant. & conseq. Habitus namque Logicæ utentis, reduplicativè ut utentis, non habet quod sit scientia ex applicatione regularum ad opus; attamen applicatio ipsa regularum ad opus, ad illum pertinet habitum, qui aliunde scientia est, ex eo quod rem per causam cognoscit: sicut charitas, reduplicativè ut est amor proximi, virtus Theologię non est, & tamen amor proximi ad charitatem pertinet, quæ virtus Theologię est, ex eo quod Deum respicit.

Quintò arguitur: Logica docens, & utens habent fines diversos: ergò sunt habitus realitèr distincti. Patet conseq. Quia habitus realitèr differunt ex ordine ad finem, ad quem ex propria natura ordinantur. Ant. vero prob. finis docentis est cognitio regularum, finis autem utentis est constructio syllogismi: ergò Logica docens, & utens habent fines diversos.

Confirmatur: habitus formalitèr distinguuntur per actus, & objecta formalitèr distincta: sed actus, & objecta Logicæ docentis, & utentis formalitèr distinguuntur: ergò etiam habitus. Prob. min. Actus docentis est scientificus, cum sit objecti contemplatio, objectumque illius est scibile; actus verò utentis, non est contemplatio objecti, nec scire, sed uti, objectumque illius non est scibile: ergò actus, & objecta utriusque habent formalem distinctionem.

Resp. ad argumentum, dist. ant. fines diversos *inter se subordinatos*, conc. ant. *non subordinatos inter se*, neg. ant. & conseq. Constructio namque syllogismi sequitur ad cognitionem regularum, & illi subordinatur, ideoque ad eundem habitum pertinere possunt.

Ad confirmationem resp. dist. maj. per actus, & objecta *ex æquo distincta*, conc. maj. *distincta solum penes primarium, & secundarium*, neg. maj. & dist. min. distinguuntur *penes primarium, & secundarium*, conc. min. *ex æquo*, neg. min. ad cuius probationem dist. ant. quo ad 2. partem. Actus utentis non est contemplatio, objectumque illius non est scibile, *in recto, & immediatè*, conc. ant. *mediatè, & in obliquo*, neg. ant. & conseq. Quia licet actus Logicæ utentis non respiciat per se primò, & immediatè

ſcibile ut tale, nec ſit immediatè, & in recto objecti contemplatio, eo quod non eſt ipſa ſpeculatio, & perceptio veritatis: mediatè tamen, & in obliquo objecti contemplatio eſt, quatenus conſtructio ſyllogiſmi ad ipſam contemplationem objecti ordinatur. Pariterque mediatè, & in obliquo objectum ſcibile reſpicit, & ad ipſum ordinatur; quod ſatis eſt, ut actus eius, & objectum ex æquo formaliter non diſtinguantur ab actu, & objecto docentis, ab eodemque habitu procedant.

§. IV.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in articuli diſcurſu colligitur, Logicam tantum directivè concurrere ad actus aliarum ſcientiarum, proponendo regulas, & præcepta, quibus utuntur aliæ ſcientiæ ad ſuas demonſtrationes efficienter producendas; ſicut intellectus, in communiori doctrina, tantùm directivè concurrit ad actum voluntatis, proponendo bonum, quod proſequitur voluntas, quæ ſola efficienter ad proprium actum concurrit.

Ratio autem ea eſt; quia in ſyllogiſmo demonſtrativo *Philoſophiæ* v. g. tria tantum diſtinguuntur, videlicet materia, ex qua conſtat; aſſenſus, quo intellectus præmiſſis adhæret, & concluſioni; & forma, ſeu diſpoſitio illius materiæ; ſed totum hoc eſt à Philoſophia, & non à Logica: ergò aliæ ſcientiæ efficienter ſuas demonſtrationes producunt. Prob. min. quantum ad omnes ſuas partes. Quo ad primam quidem; quia cognitio ſcientiæ non fertur extrà ſuum objectum; ſed materia Philoſophiæ eſt extrà objectum Logicæ; ergò illius cognitio ad Philoſophiam, & non ad Logicam pertinet. Quo ad 2. partem ſic oſtenditur: aſſenſus, quo intellectus adhæret præmiſſis & concluſioni Philoſophiæ, eſt actualis cognitio materiæ Philoſophiæ: ſed talis cognitio non pertinet ad Logicam; ergò nec aſſenſus.

Tertia verò pars, in qua maior eſt difficultas, ratione communi ſic ſuadetur: forma rationis conſtitutiva demonſtrationis in materia Philoſophiæ producitur efficienter ab habitu Philoſophiæ: ergò non ab habitu Logicæ. Prob. ant. Habitus Philoſophiæ producit efficienter proprias demonſtrariones formaliter, quatenus tales; ſed demonſ-

monstratio formalitèr constituitur per formam rationis: ergó forma rationis constitutiva demonstrationis in materia Philosophię producitur efficienter ab habitu Philosophię. Prob. maj. Habitus Philosophiæ producit suas demonstrationes, ut artificiosas formaliter, siquidem producit illas, ut convincentes intellectum, & ut habent rationem scientię actualis formaliter objectivè: ergò producit illas, quatenus demonstrationes formaliter.

Instabis: forma rationis non continetur sed abstractione Philosophię, nam talis forma non continetur sub abstractione à materia singulari cum concernentia materię sensibilis, quæ est abstractio Philosophię: ergò nequit talis forma per habitum Philosophiæ produci.

Resp. dist. ant. non continetur *subjectivè*, conc. ant. *connexivè*, neg. ant. & conseq. Quia licet forma rationis non contineatur sub habitu Philosophię ratione sui, & formaliter subjectivê, continetur tamen formalitet connexivè, quatenus habitus Philosophiæ non potest propria principia, ut inferentia cognoscere, nisi in illis attingat rectam dispositionem necessarió exactam ad inferendum, quarè attingendo propria principia, & sub abstractione propria, formam rationis attingit.

ART. IV.

UTRUM LOGICA SIT UNA SCIENTIA specie athoma?

§. I.

Quibusdam suppositis statuitur affirmativa conclusio.

CIrcà præsentem difficultatem, quæ difficillima â pluribus habita est, & diversorum Authorum placitis, & explicationibus facta est implicatior, nulla certè deberet esse inter Doctores controversia, cum omnes fateri teneantur, Logicam esse unam scientiam. Nihilominus tamen, nt certa ab incertis separemus, non erit abs re obiter adnotare parti-

tionem scientiarum. Habitus intellectuales quadrupliciter secari possunt. Primò ex genere rationis medij quo procedunt, quemadmodum distinguit Arist. 1. Poster. inter scientiam, & opinionem. Secundo ex parte subjecti, in quantum perficiunt intellectum secundum diversos gradus, sicut distinguuntur quinque virtutes intellectuales, scilicet, scientia, sapientia, intellectus, prudentia, & ars. Tertiò etiam genere ex parte finis, sicut 2. Metaph. lect. 2. distinguit D. Th. inter scientiam practicam, & speculativam. Quartò, quod ad rem pertinet, scientiæ tàm speculativæ, quàm practicæ ex parte objecti distinguuntur, (secantur enim scientiæ sicut res, ut dicitur in 3. de Anima) & indè sortiuntur species.

Pro cuius clariori intelligentia, notandum est ex D. Th. opusc. 70. q. 1. de divisione scientiæ art. 1. unitatem, vel distinctionem potentiarum, & habituum, non esse desumendam ab objecto materialiter, & in esse entis, sed formaliter in esse objecti; undè idem intellectus absque distinctione formali omnia entia attingit sub ratione propria entis, quamvis talia objecta inter se specificè materialiter distinguantur; & eadem potentia visiva percipit omnes species coloris, & idem auditus omnes species sonitus, eo quod in ratione objecti habent unitatem, & formalem convenientiam.

Similiter notandum est D. Th. claritate (qua solet) explicasse abstractiones diversarum scientiarum 1. p. q. 85. art. 1. ad 2. ubi ipse videri potest: non enim materia ista lata indiget explicatione, eo quod ex his, quæ in simili de unitate specifica Metaphisicæ, & Philosophiæ (ad quas mittimus Lectorem) dicuntur, & in præsenti dicendis facillime constat.

His breviter prælibatis, triplex in hac difficultate solet versari sententia. Prima Nominalium, asserentium tot esse Logicas, quot sunt objecta materialia, & particularia Logicæ; sicut eadem ratione asserunt in virtutibus moralibus aliam esse abstinentiam circà carnes, aliam circa pisces &c.: sed hi sermones profectò indigni sunt, qui in Scholis doceantur, utpotè quos extrà Scholas proferre non auderemus. Secunda censet Logicam esse unam tantum generice. Tertia verò asserit, quod quantumcumquè admittantur in Logica plures habitus partiales, (de quo art.

art. ſequenti dicimus) nihilominus ſimpliciter, & abſolutè eſt una ſcientia. Ità ferè omnes Thomiſtæ, cùm quibus hęc erit.

§. II.

Concluſio noſtra.

Logica eſt una in ſpecie athoma.

CONcluſionem iſtam docuit Ang. Doct. 1. Poſt. lect. 41. alijſque pluribus locis; cuius doctrina probatur. Scientia ſumit ſpecificam unitatem ab objecto in eſſe objecti formaliter; ſed objectum Logicæ, prout ad omnes ſuas partes extenditur, eſt idem in eſſe objecti formaliter: ergò Logica eſt una, unitate ſpecifica athoma. Prob. min. Objectum Logicæ ut ad omnes ſuas partes extenditur, habet eandem abſtractionem formaliter: ergò eſt idem in eſſe objecti formaliter; nam objectum in eſſe talis, conſtituitur per ſpecialem abſtractionem à materia. Prob. ant. Omnia, quæ tractantur in Logica, continentur ſub eadem abſtractione ab omni materia negativè, nàm omnia ſunt entia rationis, & hęc propter ſuam imperfectionem, & incapacitatem habendi materiam, abſtrahunt ab omni materia negativè: ergò objectum Logicæ, pro ut ad omnes partes extenditur, idem eſt in eſſe objecti formaliter.

Dices: omnia objecta Logicæ contineri ſub eadem abſtractione generica, non tamen ſub eadem ſpecifica abſtractione, nam tractatus de prędicabilibus diſtinctam, & maiorem abſtractionem habet, quàm tractatus de demonſtratione, quatenùs abſtrahit ab illis, à quibus abſtrahit demonſtratio, & inſuper à compoſitione ipſius demonſtrationis.

Sed contrà eſt: quia abſtractio à materia formaliter ſpecificè eadem eſt, quando determinatur per eadem ſpecifice principia; ſed principia Logicę ſunt eadem formaliter, videlicet principia ſecundarum intentionum, de quibus per ſe primò Logica agit: ergò abſtractio ſpecificè eadem eſt. Prob. min. Principia ſunt eadem formaliſsimè, quando unum derivatur ex alio, vel utrumque ex uno tertio; ſed omnia principia Logicæ derivantur ex principio communi modi ſciendi objectivi: ergò eadem formaliter ſunt. Quam Doctrinam deducimus ex D. Th. 1. Poſt. lect. 41. ubi inquit: *cum ſcibilę ſit proprium objectum ſcien-*

ſcientiæ, non diverſificabuntur ſcientiæ ſecundum diverſitatem materialem ſcibilium, ſed ſecundum diverſitatem eorum formalem, ſicut enim formalis ratio viſibilis ſumitur ex lumine, per quod color videtur, ità formalis ratio ſcibilis accipitur ſecuudum principia, ex quibus aliquid ſcitur. Et ideò quantumcumque ſint aliqua diverſa ſcibilia per ſuam naturam, dummodò per eadem principia ſciantur, pertinent ad unam ſcientiam, quia non erunt jam diverſa in quantum ſuut ſcibilia. Et paulò infrà. *Si verò aliqua ſint eadem ſecundum naturam, & tamen per diverſa principia conſiderentur, manifeſtum eſt, quod ad diverſas ſcientias pertinent.* Propterea-que, quamvis diverſę proprietates in Logica probentur per diffinitiones diverſas, non per ipſas probantur, niſi ut formaliter convenientes in rationi communi modi ſciendi, non quidem tanquam ratione inferente, ſed tanquam in ratione conveniendi, & ſub qua ad inferendum ordinantur. Et ideò omnes Logicæ tractatus eandem abſtractionem habent, non maiorem, nec minorem: quæ omnia loc. cit. Metaphiſicæ, & Phiſicæ ſatis declarata ſunt.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntrà concluſionem noſtram arguitur primó: Retorica, & Grammatica habent eandem abſtractionem à materia, objectum enim utriuſque ſunt orationes, & voces ſignificativę, quæ ſunt ſigna ad placitum conſtituta per formã rationis, & tamen diſtinguuntur ſpecie: ergò idem dicendum erit de Logica.

Reſp. Retoricam, & Grammaticam habere eandem abſtractionem materialiter, formaliter tamen diverſam, quia objecta utriuſque, licet ſint eadem ſecundùm naturam, orationes, ſcilicet, & voces, formaliter tamen diverſa ſunt in ratione objecti: objectum enim Grammaticę ſunt orationes congruę ex fine rectè loquendi; objectum verò Retoricæ, ſunt orationes ornatæ, aut figuratæ ex fine perſuadendi veritatem, quod quidem non habet Logica, & ideò diſpar eſt ratio.

Sed inſtabis: Diffinitio, Diviſio, & argumentatio, ſpecificè diſtinguuntur in ratione modi ſciendi, quę eſt ratio à quà habitus ſumit ſpeciem,

ſpeciem, nàm modus ſciendi in diffinitionem, diviſionem, & argumentationem dividitur, tanquam in ſpecies proprias: ergò objecta, de quibus Logica agit, in ratione formali habitus, & comparativè ad ipſum diſtinguuntur ſpecie.

Reſp. Diffinitionem, diviſionem, & argumentationem, ſpecificè differre, conſiderata materialiter, & in eſſe rei, in ratione modi ſcien. di, ut eſt totum potentiale diviſibile per earum differentias, habere tamen univocam convenientiam in ratione prędicta conſiderata formaliter in eſſe objecti, & conſtituta per ſpecialem abſtractionem à materia negativè, ſub qua inſpiciuntur à Logica, & quatenùs conveniunt in ratione modi ſciendi, non autem ſecundum peculiares differentias, in quibus ad invicem diſtinguuntur. Idemque dicendum de cæteris partibus Logicæ, de illis enim Logica tractat ſub eadem ratione formali objecti, ſicut ſcientia unica, de homine tractat de capite, cęteris eius membris, ac proprietatibus ſub eadem ratione.

Secundò arguitur: non eſt dabilis ſpecialis abſtractio, quæ conſtituat objectum Logicę unum unitate ſpecifica: ergò nec Logica talem unitatem habebit. Prob. ant. Si aliqua abſtractio aſsignari poſſet, maximè abſtractio ab omni materia; ſed hæc conſtituit objectum Metaphiſicæ: ergò nulla eſt dabilis, quæ conſtituat objectum Logicæ unum, unitate ſpecifica.

Reſp. negand. ant. & ad probationem diſt. maj. ab omni materia, negativè, conc. maj. ab omni materia, poſitivè, neg. maj. & diſt. min. Sed hæc, abſtractio, ſcilicet, ab omni materia poſitive, conſtituit objectum Metaphiſicæ, conc. min. abſtractio ab omni materia negativê, neg. min. & conſeq. Quia licet ea, de quibus Metaphiſica agit, ſint realiter in materia, illa tamen Metaphiſica conſiderat, quatenus poſitivè abſtrahunt à materia, & ab illa ſeparantur; Logica verò, ſua attingit objecta, ut abſtrahentia ab omni materia negativè propter ſuam imperfectionem, & incapacitatem habendi materiam, per quod etiam diſtinguuntur à Theologia, cuius objectum, licet abſtrahat ab omni materia negativè, non ſic abſtrahit propter imperfectionem, ſed potius propter maximam ſui perfectionem. Quapropter abſtractio ab omni materia negativè eo modo, quæ conſti-

tituit objectum Logicæ unum unitate ſpecifica, Metaphiſicę, & Theologię non competit.

Sed inſtabis: ſi ſemel ens rationis abſtrahit ab omni materia negativè, debet eſſe propter perfectionem: ergò nulla eſt ſolutio. Prob. ant. abſtractio ab omni materia negativè, eſt abſtractio ab omni imperfectione: ergò ſi ens rationis abſtrahit ab omni materia negativè, debet eſſe propter perfectionem. Prob. ant. Abſtractio ab omni materia, eſt abſtractio ab omni potentialitate, omnis enim potentialitas provenit à materia: ergò eſt abſtractio ab omni imperfectione, quia omnis imperfectio ortum ducit à potentialitate objecti.

Reſp. abſtractionem ab omni materia, tam Phiſica, quàm Metaphiſica, eſſe abſtractionem ab omni imperfectione; verum ens rationis non abſtrahit ab omni materia Metaphiſica, ſed potius metaphiſice maximè potentiale eſt, eo quod eſt valdè diminutum, & fictum ab intellectu, propterea que propter ſui imperfectionem abſtrahit ab omni materia phiſica, ad quam capacitatem non habet, cum ſit materia realis.

Tertiò arguitur: Unitas ſpecifica non ſumitur ex parte principiorum: ergò quam. vis principia Logicæ ſint eadem ſpecificè, non infertur, quod Logica ſit una ſpecie. Prob. ant. ſi ex parte principiorum ſumeretur unitas ſpecifica, quęcumque derivantur ex principijs communibus alicujus rei, continerẽtur ſub eadem ſcientia ſpecie; ſed hoc eſt falſum: ergò etiam, quod unitas ſpecifica ſumatur ex parte principiorum. Prob. min. Res ſpirituales, & corporales derivantur ex ijſdem principijs ſubſtantię: quantitas continua, & diſcreta, ex principijs communibus quantitatis; & tamen nec hujuſmodi ſubſtantiæ, nec hujuſmodi quantitates continentur ſub eadem ſcientia ſpecie: ergò falſum eſt, quod contineantur ſub eadem ſcientia ſpecie, quæ derivantur ex principijs communibus alicujus rei.

Reſp. negand. ant. & ad probationem diſt. maj. Ex principijs communibus alicujus rei, in eſſe rei, vel ſecundùm abſtractionem univerſalitatis totalem, neg. maj. in eſſe objecti, & intrà eandem abſtractionẽ formalem, conc. maj. Nàm ut aliqua pertineant ad unam ſcientiam, non ſufficit derivari ex principijs quo-

quomodocumque communibus, ſcilicet in eſſe rei, vel ſecundùm abſtractionem univerſalitatis totalem, ſeu in prędicando, ſed requiritur, quod ſint communia in eſſe objecti, & intra eandem abſtractionem formalem, ſiquidem ex abſtractione formali, ſumitur ratio ſcibilitatis, non verò ex abſtractione totali. Quapropter, quamvis res ſpirituales, & corporales conveniant in ratione communi ſubſtantiæ; quantitas continua, & diſcreta in eadem quantitate, ſecundum eandem rationem prędicamentalem, quia tamen non conveniunt in eadem abſtractione formali, ſub eadam ſpecificè ſcientia non continentur: omnia verò de quibus Logica agit, conveniunt in principijs communibus, non ſolum quantum ad abſtractionem totalem; ſed etiam quantum ad eandem abſtractionem formalem, & ideò diſpar eſt ratio.

ART. V.

UTRUM LOGICA SIT SIMPLEX qualitas?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis ſtatuitur affirmativa concluſio.

AD intelligentiam articuli, primò ſupponendum eſt, ad aſſenſum ſcientificum concurrere tria, potentiam videlicet intellectivam, habitum ſcientificum, & ſpeciem repræſentantem objectum; ex quibus habitus ſe tenet ex parte potentię, ut potè virtus, & habilitas illius, ipſam inclinans ad cognitionem ſcientificam veritatis: ſpecies verò, utpotè objecti ſimilitudo, ſe tenet ex parte objecti, & ipſum repręſentando, determinat intellectum ad objecti cognitionem.

Secundò notandum eſt, (quidquid aliqui reclament, tàm Domeſtici, quàm extranei, qui videri poſſunt apud Cayetanum ſuper 1. 2. q. 54. art. 4. §. *in eodem 4. art.* & deinceps) ſcientiam formaliter ſumptam, non conſiſtere in ſpeciebus antecedentibus de-

demonſtrationem, vel conſequentibus illam, quia ſcientia ſumpta formaliter eſt virtus intellectualis per demonſtrationem adquiſita, præſtans facilitatem ad cognitionem demonſtrativam objecti, quod ſpecies habere non poteſt.

Inſuper etiam de habitu ſupernaturali infuſo, & de habitu ſcientiæ acquiſito eadem ratio videtur, quantum ad conſiſtere, vel non conſiſtere in collectione ſpecierum, conſtat autem habitus ſupernaturales non conſiſtere in prædicta collectione, cum Parvuli baptizati ſpeciebus careant ad Deum credendum, & amandum, in quibus tamen fides, ſpes, & charitas reperiuntur, & alij habitus, qui conſequuntur ad gratiam. Poteſt tamen dici, ſcientiam conſiſtere in collectione ſpecierum præſupoſitivè, vel antecedenter, quatenus ſpecies ad actum ſcientificum requiruntur, per quem ſcientiæ habitus generatur, & etiam concomitanter, vel conſequenter ſecundum quod ſpecies requiruntur, ut habitus prorrumpat in actus.

His breviter prænotatis, præſens difficultas inquirit, an Logica ſit ſimplex, vel compoſita qualitas, id eſt, an quando habitus Logicæ acquiſitus per primam demonſtrationem, extenditur ad novas concluſiones eiuſdem ſcientiæ, ſupperaddantur alii habitus partiales, vel uniti cum præcedenti, medio aliquo nexu; vel habitus alii ordine quodam ſe habentes, & ad eundem totalem finem expectantes, ad cognoſcendum videlicèt totum modum ſciendi, & alia ad Logicam pertinentia: vel habitus acquiſitus per primam demonſtrationem ſufficiat ad omnes veritates Logicæ ſcientificè cognoſcendas.

In qua controverſia duplex invenitur ſententia: alia docet, quod ſingularum concluſionum Logicæ ſunt ſinguli habitus, ideóque Logica eſt compoſita qualitas ex pluribus habitibus ordine quodam ſe habentibus reſultans. Quæ ſententia tam inter Patres Societatis, quàm inter Scoti diſcipulos communiſsima eſt.

Alia verò defendit Logicam talem non eſſe, ſed potiùs eundem habitum ſufficere, & ſolum illum requiri ad omnes veritates Logicæ ſcientificè demonſtrandas. Quæ ſententia eſt omnium ferè Thomiſtarum, & aliquorum etiam extrà Scholam D. Th. cum quibus.

***
***

§. II.

§. II.

Noſtra Concluſio.

Logica eſt una ſimplex qualitas?

CONcluſionem iſtam docet Ang. Doct. 1.2. q. 54. art. 4. in corp. per hęc verva: *Si conſideremus habitum ſecundum ea, ad quæ ſe extendit, ſic inveniemus in eo quandam multiplicitatem. Sed quia illa multiplicitas eſt ordinata ad aliquid unum, ad quod principaliter reſpicit habitus, inde eſt, quod habitus eſt qualitas ſimplex non conſtituta ex pluribus habitibus, etiam ſi ad multà ſe extendat. Non enim unus habitus ſe extendit ad multa, niſi ordine ad unum ex quo habet unitatem.* Et in reſp. ad tertium, loquens de habitu ſcientiæ in particulari, ſic ait. *Ille qui in aliqua ſcientia acquirit per demonſtrationem ſcientiam concluſionis unius, habet quidem habitum, ſed imperfectè: Cum verò acquirit per aliam demonſtrationem ſcientiam concluſionis alterius, non aggeneratur in eo alius habitus, ſed habitus, qui prius inerat, fit perfectior, utpotè ad plura ſe extendens, eo quod Concluſiones, & demonſtrationes unius ſcientiæ ordinatæ ſunt, & una derivatur ex alia.* Quę verba clariſsima ſunt pro ſententia noſtra, & totam continent doctrinam Thomiſtarum.

Prætereà ratione communi ex doctrina D. Th. loc. cit. deſumpta probatur concluſio noſtra. Idem habitus omninò ſimplex poteſt attingere omnia objecta, quæ cadunt ſub eadem ratione formali; ſed omnia objecta Logicæ cadunt ſub eadem ratione formali, ut vidimus articulo præcedenti: Ergò habitus Logicæ eſt una ſimpliciſsima qualitas. Prob. maj. Habitus debet proportionari cum potentia in ordine ad attingentiam objecti; ſed eadem potentia intellectiva omninò ſimplex ſufficit ad attingenda omnia, quæ cadunt ſub eadem ratione formali; ut intellectus omnia entia ſub ratione veri: Ergò idem habitus omninò ſimplex poterit attingere omnia, quæ cadunt ſub eadem formali ratione. Prob. mai. Omnis perfectio proportionatur ſuo perfectibili in ea ratione, in qua unum eſt perfectio, & aliud eſt perfectibile; ſed habitus eſt perfectio potentiæ in ordine ad attingentiam objecti, cum illam juvet, & facilitet ad objectum attingendum; ergò debet proportionari cum potentia in ordine ad attingen-

gentiam objecti. Et hæc etiam eſt ſententia Philoſophi 2. de Anima diſtinguentis eodem modo potentias, & habitus per obiecta.

Tandem à ſimili concluſio noſtra probatur: habitus infuſi ſunt ſimplices qualitates reſpectu omnium objectorum eiuſdem rationis, licèt habeant diſtinctas difficultates in diverſis materiis vincendas, ſicut fides diſtinctam habet difficultatem in credendo unum articulum, quam alium, ut inquit D. Th. 2.2. q. 1. art. 6. in corp. Et ſimiliter charitas diſtinctam habet difficultatem in diligendo inimicum, quàm amicum: quod etiàm contrarii fatentur: Ergò idem dicendum de habitu acquiſito Logicæ. Ac denique, in virtutibus moralibus acquiſitis id manifeſtiſſimè apparet: iuſtitia enim, & temperantia, v. g. quamvis unaquæque diverſos habeat materias, in quibus vincendæ ſunt difficultates diverſæ, quælibet tamen non eſt, niſi una ſimplex qualitas, & habitus propter unitatem rationis formalis in eſſe moris, quis enim dicere audebit plures eſſe habitus iuſtitiæ commutativæ in homine, alium ad frumentum emendum, & alium ad vendendum oleum; aliamque eſſe temparantiam ad comedendum lenticulam, & aliam ad bibendum aquam? Ergò ſimiliter propter unitatem rationis formalis, quàm ineſſe ſcibilis, habent omnia objecta Logicæ, ſufficiet idem habitus omninò ſimplex ad omnia illa attingenda.

Reſpondent plures adverſariorum, cum P. Loſſada, diſparem eſſe rationem inter potentiam, habitus infuſos, virtutes morales, & habitum Logicæ. Quia habitus infuſi, & potentia, non acquiruntur noſtris actibus, ſicut ſcientia, ideóque non acquiritur partialis habitus, nec partialis potentia, ſicut acquiritur partialis ſcientia: alioquin ſi aliquid probaret ratio noſtra, etiam probaretur unum habitum ſufficere ad omnes actus ſcientiarum, ſicut ſufficit una potentia. Similiterque, admittunt virtutes morales eſſe qualitates ſimplices, quia ſub eodem motivo ad ſua tendunt objecta, negant verò habitum Logicæ talem eſſe quia tendit ſub diverſis mediis ad diverſas concluſiones demonſtrandas.

Sed evaſiones iſtæ ſoliditatem rationis noſtræ infringere nullatenùs poſſunt. Nam quod potentia non acquiratur noſtris actibus, habitus verò acquiratur, non eſt ſufficiens diſcrimen; hoc enim ſo-

ſolùm pertinet ad modum, quo producitur effectivè potentia, vel habitus, non autem ad formalem rationem, undè ſumitur talis unitas, & diſtinctio; cum adhuc reſtet videndum, an actus, quibus habitus acquiritur, ſint etiam plures ad producendam entitatem habitus, an ſolùm entitas uno actu poſsit acquiri, relíqui verò non generent entitatem novam, ſed præcedentem perficiant. Quod autem habitus pluribus actibus perficiatur, per accidens eſt, nam etiam unico actu poteſt à Deo produci habitus perfectus. Nec etiam exemplificamus habitum cum potentia, quantùm ad vniverſalitatem, & extenſionem, ſed ſolùm quantùm ad hoc, quod ſi potentia, cum ſit cauſa, ſed univerſalior quolibet habitu, ut ad plura ſe extendat, ſufficit, quod ſit qualitas ſimplex, ſimili tèr ſufficiet in habitu, quod ſit ſimplex qualitas, ut ſe extendat ad omnes actus, qui cadunt ſub eadem ratione formali.

Similitèrque licèt habitus infuſus, utpote dans totam virtutem ad ſupernaturalitatem operis, habeat quemdam modum potentiæ, tamen re vera eſt habitus intra latitudinem ſuæ operationis habens diſtinctas difficultates vincendas in diverſis materiis, & actibus, ut dictum eſt, ad quos omnes propter unitatem rationis formalis ſufficit virtus unicæ qualitatis: ergò paritèr in habitu ſcientifico ſufficiet propter unicam rationem formalem in eſſe ſcibilis.

Idemque pariformiter dicimus de habitu ſcientię comparativè ad virtutes morales, ſicut namque virtutes morales, in quocumque objecto partiali, & in quolibet actu habent idem motivum formaliter, & ſolùm materialiter diſtinctum, ita etiam in habitu ſcientię contingit, (ut articulo præcedenti probatum relinquimus) & ſicut victa difficultate formali in abſtinentia à carnibus, v. g. licèt adhùc reperiatur difficultas in abſtinentia à pomis, & aliis delectabilibus, non eſt neceſſarius novus habitus temperantię, ita, licèt, victa difficultate formali circà primam concluſionem, maneat difficultas circà ſecundam, ad hanc difficultatem vincendam novus habitus ſcientiæ neceſſarius non erit.

§. III.

Solvuntur argumenta contra rationem iſtam.

CONtrà præfatam rationem arguitur primò: Ex ratione Divi Thomæ non probatur habitum non eſſe compoſitum ex pluribus habitibus ſolo numero diſtin-

tinctis; ergò non probatur ex illa Logicam esse simplicem qualitatem. Prob. ant. Ex ratione D. Th. tantùm probatur unitas specifica non verò unitas numerica habitus: Ergo ex ea non probatur habitum non esse compositum ex pluribus habitibus solo numero distinctis. Prob. ant. Ratio D. Th. solùm procedit ex proportione habitus cum potentia per ordinem ad objectum; sed ex proportione habitus cum potentia per ordinem ad objectum, solùm probatur, quòd habitus habeat specificam unitatem, non verò numericam, cum hæc desumatur à subjecto, à quo omnia accidentia habent individuationem, & numericam unitatem: Ergo ex ratione D. Th. tantùm probatur unitas specifica non verò unitas numerica habitus.

Ad hoc argumentum. omissis solutionibus Authorũm diversis viis ad ipsum enodandum procedentium, Resp. negand. duo ant. prima, & ad probationem, dist. min. ex proportione habitus cum potentia, *absolutè considerata*, in ordine ad objectum, solùm probatur. quod habeat unitatem specificam, conc. minor. ex proportione habitus cum potentia, *una numero, & specie*, neg. min. & conseq. Ratio namque D. Th. non fundatur in proportione habitus cum potentia secundum sè considerata, sed in proportione habitus cum potentia una numero, ex qua quidẽ proportione immediatè probat unitatem numericam habitus. Nam si potentia una specie, & numero est potens attingere omnia objecta, quę cadunt sub eadem ratione formali specificativa: cum sit proportio inter habitum, & potentiam, poterit similitèr habitus unus specie, & numero attingere omnia, quę cadunt sub sua ratione formali: vel, si hoc habitui non convenit, nulla erit proportio inter perfectionem, & perfectibile. Et ratio huius est, quia intentum D. Th. non est probare, quod non detur, nisi unus numero habitus Logicę, vel Philosophiæ &c. absolutè loquendo, hoc enim est apertè falsum: cum dentur tot habitus Logicæ, vèl Philosophiæ numero, quot sunt intellectus hujusmodi sciẽtias habentes: Ergò quia intentum D. Th. solum est probare, q od habitus Logicæ, vel Philosophiæ, &c. in hac numero potentia intellectiva, non sit compositus ex pluribus, sed sit unus numero, & consequentèr non probat ex proportione habi-

bitus cum potentia absolutè considerata.

Sed instabis: Ex quo habitus sit perfectio potentiæ unius numero, illique proportionetur, non infertur esse unum numero, sicut est ipsa potentia: ergò solutio nititur principio falso. Prob. ant. Habitus non proportionatur potentiæ; nec est perfectio illius nudè sumptæ, sed ut actuatæ per species repræsentantes objecta: sed potentia prout sic non est una, & simplex, sed composita: ergò.

Resp. neg. nd. ant. & ad Probationem dist. maj. per species, *ut convenientes in eadem ratione formali in ordine ad objectum habitus*, conc. maj, *ut inter se differentes*, neg. maj. & dist. min. una, & simplex, *æquivalentèr*, conc. min. *formalitèr*, neg. min. & conseq. Quia habitus non est perfectio potentiæ, nec proportionari debet cum illa, ut actuata per species repræsentantes objecta, quatenus species illæ distinguuntur inter se, sed ut conveniunt in eadem ratione formali in ordine ad objectum habitus, de materiali se habente specierum diversitate. Et licet potentia, prout sic, sit virtualitèr vel æquivalentèr multiplex, quatenùs intellectus determinatur, & actuatur speciebus repræsentantibus diversa objecta, formalitèr tamèn non est, nisi una numero multiformitèr perfectibilis, quomodo habitus est perfectio potentiæ, illique proportionatur, ut inquit Cajetanus supèr 12. q. 54. art. 4.

Secundò arguitur: salva proportione inter habitum, & potentiam, potest habitus multiplicari, non multiplicata potentia: ergò ratio D. Th. non probat assumptum. Prob. ant. primò: Salva proportione inter habitum, & potentiam, potest habitus esse intensibilis, & remisibilis, quin intellectus possit intendi, & remitti: ergò potest etiam multiplicari non multiplicata potentia.

Secundò probatur ant. actus est perfectio potentiæ cum illa proportionatus, & tamen intrâ eandem scientiam reperiuntur plures actus: ergò idem quod priùs.

Respondeo ad argumentum: proportionem inter habitum & potentiam servandam esse in his, quæ utrique possibilia sunt; esse autem intensibilem, & remissibilem, nequit convenire potentiæ, quæ capax remissionis, & intensionis non est: & ideò in hoc, non est servanda proportio.

Ad ſecundam probationem, reſp. diſt. maj. perfectio potentiæ, per modum termini, conc. maj. per modum principij neg. maj. & conceſſa min. neg. conſeq. Nàm actus eſt perfectio potentiæ, per modum termini, & actualis exercitij, & actus ſecundi, de cujus ratione eſt limitatio iuxta determinationem objecti, quod actualiter attingitur, non autem perficit potentiam per modum principij, ideoque non debet actus proportionari cum potentia in ordine ad plura, habitus verò eſt perfectio potentię per modum principij, ſe tenentis ex parte potentiæ, & ideò in extenſione ad plura debet cum illa proportionari, cum de ratione principij major ſit amplitudo.

§. IV.

Argumentis contra concluſionem occurritur.

COntrà ipſam concluſionem arguitur primò: in Logica dantur plures habitus: ergò Logica non eſt ſimplex qualitas. Prob. ant. Secunda demonſtratio etiam producit habitum ſicut prima: ergò in Logica dantur plures habitus. Prob. ant. Secunda demonſtratio eſt eiuſdem activitatis cum prima, quandoquidem utraque eſt eiuſdem ſpeciei; ſed prima producit habitum: ergò etiam ſecunda illum producit.

Reſpondetur negando duo antecedentia prima, & ad probationem neg. conſeq. Quia licet ſecunda demonſtratio, quantum eſt de ſe, habeat virtutem productivam habitus, de facto tamen illum non producit, quia ipſum iam invenit productum, ſed ſolum ad novam materiam ipſum extendit. Et ratio eſt, quia duo accidentia ſolo numero diſtincta, non poſſunt eſſe in eodem ſubjecto; cumque habitus per ſecundam productibilis ſolo numero diſtinguatur ab habitu producto per primam, inde fit ſecundam demonſtrationem non producere habitum, quem poteſt. Præterquamquod ſi argumentum aliquid probaret, probaret etiam, quod diverſi aſenſus numero eiuſdem concluſionis, diverſos habitus generarent, cum utrique eandem habeant activitatem, quod ipſi negant Authores, quibus cum in præſenti contendimus.

Sed inſtabis: in intellectu datur capacitas ad ſecundum habitum: ergò ſecunda demonſtratio debet producere illum. Prob. ant. in intellectu datur capacitas ad habitum erroris circà ſecundam con-

conclusionem: ergò datur capacitas ad alium habitum scientię.

Resp. negand. ant. & ad probationem neg. conseq. Nàm habitus erroris specifice distinguitur ab habitu scientiæ, ideoque suppositò habitu scientię, manet in intellectu capacitas ad habitum erroris, cum duo accidentia specie distincta, benè possint esse in eodem subjecto, sicut in anima sunt simul intellectus, & voluntas: habitus verò per secundam demonstrationem producendus, solo numero distinguitur ab habitu producto per primam, undè dispar est ratio.

Dices: Si semel habitus erroris potest compati cum habitu scientiæ, per secundam demonstrationem debet habitus scientiæ produci: ergò nulla est data solutio. Prob. ant. Habitus erroris non potest expelli nisi per habitum scientificum per secundam demonstrationem productum: ergò per illam debet produci habitus scientiæ. Prob. ant. Habitus erroris non potest expelli per habitum productum per primam demonstrationem, siquidem cum illo compatitur; ergò non potest expelli, nisi per habitum per secundam demonstrationem productum. Nàm habitus primę demonstrationis, ad secundam conclusionem non se extendit, alias habitum erroris expelleret antecedenter ad secundam demonstrationem.

Resp. negand. duo ant. prima, & ad probationem dist. ant. nō potest expelli per habitum productum per primam demonstrationem, *secundum se*, conc. ant. *ut applicatum*, *& extensum ad secundam veritatem*, neg. ant. & conseq. Quia habitus erroris expellitur per habitum scientię per primam demonstrationem productum, non quidem secundum se, sed ut applicatum de novo per secundam demonstrationem ad secundam veritatem, sicut enim cum fide circà unam veritatē revelatam stare potest error invincibilis circà aliam nondùm sufficienter promulgatam, quin ex hoc exigatur ab Adversarijs novus habitus fidei, sed solum quod prędexistens ad illam veritatem extendatur; ità, licèt cum scientia circà unam conclusionem stare possit error circà aliam nondùm debitè per alteram demonstrationem applicatam, non exigendus est novus habitus pro illa, sed solum quod prędexistens per secundam demonstrationem extendatur. Et hoc docet Ang. Prędcept. dùm 1. 2. q.

54. art. 4. ait : Cum acquirit per aliam demonſtrationem ſcientiam concluſionis alterius, non aggeneratur in eo alius habitus, ſed qui prius inerat ad plura ſe extendit. Undé habitus, qui prius inerat ex vi primę demonſtrationis, radicaliterque extendebatur ad ſecundam concluſionem, dùm ad illam per ſecundam demonſtrationē formaliter extenditur, expellit habitum erroris.

Secundò arguitur : Per habitum productum per primam demonſtrationem, non vincitur tota difficultas formalis : ergò per ſecundam & alias debet habitus produci. Prob. ant. Talis habitus non attingit difficultatem formalem totam, & totaliter : ergò per illum non vincitur tota difficultas formalis. Prob. ant. Talis habitus ſolum attingit rationem formalem ut contractam ad veritatem, quæ per primam demonſtrationem probatur : ergò non attingit difficultatē formalem totam, & totaliter.

Reſp. negand. ant. & ad probationem diſt. ant. totam, & totaliter extenſivè, conc. ant. intenſivè, neg. ant. & conſeq. Licet namque habitus, per primam demonſtrationem productus, non attingat totam rationem formalem extenſivè, quatenùs habitus in principio non attingit rationem prędictam, ut applicatam omni objecto materiali ; attingit tamen illam rationem totam, & totaliter intenſivè, nàm tota ratio formalis objectiva Logicæ ſecundum omnem perfectionem ſubſtantialem reperitur in objecto primę demonſtrationis : qua propter habitus ut primò productus, attingit rationem formalem totam, & totaliter intenſivè. Sicut quia tota perfectio eſſentialis naturę humanę reperitur in Petro, qui illam ut in Petro cognoſcere, attingeret eſſentialem perfectionem hominis totam, & totaliter intenſivè.

Sed inſtabis : Si habitus productus per primam demonſtrationem circà diffinitionem v. g. factam, attingere totam rationem formalem totaliter, & intenſivè, nedum facilitaret ad diffinitionem, ſed etiam ad ſyllogiſmum ; ſed talis habitus non facilitat ad ſyllogiſmum : ergò non attingit rationem formalem totam, & totaliter intenſivè. Prob. min. Poſtquam intellectus eſt facilis in diffiniendo, ſæpè difficultatem habet in conſtruendo ſyllogiſmum : ergò habitus facilitans ad diffinitionem, non facilitat ad ſyllogiſmum.

Reſp.

Resp. negand. min. & ad probationem dist. ant. Difficultatem habet, materialem, & extrinsecam, conc. ant. formalem, & intrinsecam, neg. ant. & conseq. Duplex namque est difficultas, alia intrinseca, & formalis; alia verò extrinseca, & materialis. Prima est ex defectu rationis formalis, seu inclinationis ad objectum formale scientię, secunda verò ex defectu applicationis ad materiam, vel ex defectu exercitij, aut ex aliqua circunstantia accidentali se tenente ex parte operantis, quę reddit difficiliorem operationem circà talem materiam; primo modo, habitus, qui facilitat ad rationem formalem in diffinitione repertam, tollit difficultatem circà syllogismum, & alia, prętatque facilitatem, siquidem ad omnia inclinat sub eadem ratione formali; nam ratio formalis Logice demonstrandi proprietatem diffinitionis, est essentia diffiniens, quia est modus sciendi, & ratio formalis demonstrandi Logice proprietatem syllogismi est essentia syllogismi, ut est, & quia est modus sciendi. Secundo verò modo, ille, qui facilis est in diffiniendo, potest habere difficultatem in syllogizando, & probando alias veritates Logicę, sed hęc difficultas solum erit ex defectu specierum, & applicationis, & usus, aliorumvè, quę requiruntur ex parte operantis, ut in actu secundo prodeat in actum. Ad hanc autem difficultatem vincendam, non est necessarius novus habitus, ut etiam ipsi adversarij fateri tenentur; ipsi namque asserunt, unicum habitum charitatis facilitare ad diligendum amicum, & inimicum, quamvis sæpè difficultas sit materialis in diligendo inimicum. Similiterque quamvis sit difficultas materialis in diversis objectis temperantię v. g. nihilominùs admittunt unicam temperantiam sufficere, propter unitatem, & coordinationem talium objectorum sub eodem motivo: cum ergo conclusio, & demonstratio circà syllogismum, utpotè unius scientiæ Logicę, ordinata sit, ex alia que derivetur, non est cur ad illam novus habitus exigendus sit.

Tertiò arguitur: Per secundam demonstrationem habitus pręexistens augetur realiter per talem extensionem erga aliud objectum: ergò per aliquid reale de novo superadditum ipsi habitui, & ità iam non erit qualitas simplex. Prob. ant. Per secundam demonstrationem habitus prę-

existens formaliter se extendit ad id, ad quod anteà non extendebatur: ergò augetur realiter per talem extensionem. Prob. conseq. Nàm iuxtà D. Th. 1. 2. q. 52. art. 2. in corp. Cum aliquis plures conclusiones Geometriæ addiscit, augetur in eo habitus eiusdem scientiæ secundum speciem: ergò pariter dicendum erit de habitu Logicę, cum utriusque eadem ratio sit.

Resp. augmentum extensivum habitus non fieri per additionem realitatis, sed per eandem formam de novo applicatam ad distinctam materiam, sicut eadem lux potest illustrare diversos colores extensivè sine additione novæ lucis, & eadem anima informare novam partem materiæ sine additione novæ partis informantis. Itaque ista additio, & augmentum fit per additionem extrinsecam non intrinsecam formę ad formam, sed novæ applicationis ad materiam, quæ sibi subijcitur. Unde quando D. Th. scientiam admittit augeri secundum se ipsam per additionem, sicut habitus Geometriæ, ly secundùm se ipsam, ut inquit M. à S. Thoma, est idem, quod secundum ordinem ad objectum extensivum, & materiale. Dicitur autem ordo ad objectum convenire formæ secundum se ipsam, quia ordo ad objectum tenet se ex parte specificationis; ordo autem ad subjectum ex parte individuationis.

Et si dicas: Secunda, vel tertia demonstratio est nova actio; sed nova actio novam postulat formam effectam: ergò habitus augetur per additionem formę ad formam.

Resp. non esse necesse, quod omnis actio sit productiva novi effectus, vel novæ formæ, sed sufficere, quod sit applicativa, vel unitiva, ut patet in fide, quando extenditur ad nova credibilia, & in anima, quando extenditur ad diversas partes materiæ informandas: sed si mavis secundam, vel tertiam demonstrationem habere terminum productum, dicimus, habere quidem novum effectum, non quia novum habitum entitativè producat, sed quia præexistentem perfectiorem reddit, ut insinuat D. Th. 1. 2. q. 54. art. 4. in resp. ad 3. dum ait: *Cum verò acquirit per aliam demonstrationem scientiam conclusionis alterius, non aggeneratur in eo alius habitus, sed habitus, qui prius inerat fit perfectior, utpotè ad plures se extendens.*

)(o)(

AR-

ART. VI.

UTRUM OBJECTUM LOGICÆ SIT ENS rationis?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis ſtatuitur concluſio.

IN difficultate iſta, quæ gravior effecta eſt varietate ſententiarum, ante omnia præmittendum eſt, ſubjectum, objectum, & materiam ſcientiæ per ſe primò inſpectam ab illa pro eodem uſurpari, nàm objectum dicitur, ſecundum quod objicitur ſcientiæ, ut ab ea cognoſcatur, ſubjectum verò nominatur, non quia ſcientia recipiatur in illo, ſed quia paſsiones de illo demonſtrat, materia autem appellatur, quia eſt id circà quod ſcientia verſatur.

Secundò notandum eſt, objectum ſcientię dividi in materiale, & formale; materiale eſt illud, *quod attingitur ratione alterius*, ſicut corpus attingitur à potentia viſiva ratione coloris: formale eſt illud, *quod per ſe attingitur à potentia, vel habitu*, ſicut color per ſe attingitur à potentia viſiva. Objectum materiale eſt duplex; aliud denominabile, & aliud dirigibile: Denominabile eſt illud, *quod in ſe recipit formale, & ab illo denominatur*, ut corpus recipit in ſe colorem, & à colore coloratum denominatur. Dirigibile eſt illud, *quod dirigitur ab arte*, ſicut operationes manuales diriguntur ab artifice. Objectum formale etiam eſt duplex: aliud formale *quod*, aliud formale *quo*: objectum formale *quod*, eſt illud, *quod per ſe attingitur*, dependenter tamen ab alterius determinatione, ſicut color, per ſe *attingitur, dependenter tamen à luce*. Objectum formale *quo*, eſt illud, *ratione cujus ultimò denominatur objectum, ut poſſit attingi*, ſicut lux ultimò complet viſibilitatem coloris. Rurſus objectum formale dividitur in *adæquatum*, & *inadæquatum*: objectum *adæquatum* eſt, quod *attingitur per ſe, & ratione cujus cætera omnia attinguntur*, ſicut color per ſe videtur, & ratione ipſius videntur cætera à potentia viſiva. Objectum *inadæ-*

adæquatum eſt pars objecti formalis, ſicut albedo eſt ſpecies particularis contenta ſub colore.

Tertiò notandum eſt, objectum formale, aliud eſſe primarium, & aliud ſecundarium: primarium eſt illud, *quod ratione ſui, & independentèr ab alio attingitur ab habitu, vel potentia*, ſicut ens reale reſpectu metaphiſicæ, Secundarium eſt illud, *quod ſolum attingitur à potentia, vèl habitu dependentèr ab objecto primario, & per ordinem ad ipſum*, ſicùt ens rationis attingitur à metaphyſica per ordinem ad ens reale, & dependentèr ab illo. Objectum primariũ dividitur in objectum attributionis, & principalitatis: Objectum attributionis eſt illud, *cui attribuuntur omnia, quæ in ſcientia pertranctantur, & de omnibus illis ſivè in recto, ſivé in obliquo prædicatur tale objectum*, ſicut ens reale eſt objectum attributionis metaphyſicæ, & Deus reſpectu Theologiæ. Objectum principalitatis eſt illud, *cujus cognitio principaliter intenditur intèr omnia illa objecta, quæ continentur ſub objecto attributionis*, ſicut ſubſtantia eſt objectum principalitatis metaphyſicæ.

Quartò ſupponendum eſt, Logicam duplicem habere finem; alium proximum, & intrinſecum, alium verò médiatum: finis proximus, & intrinſecus, eſt cognitio modi ſciendi, & proprietatum illius. Finis verò mediatus, proprius tamen Logicæ eſt dirigere operationes intellectus. In qua tamèn directione plura concurrunt, voces, videlicèt ſignificantes, & conceptus formales, (actus ſcilicèt, & conceptus intellectus) & etiam objecta repræſentata, quę conceptus objectivi appellantur, & ultra hęc, reperitur etiam in directione prędicta actio dirigens, vel directiva intellectus, & extrinſeca denominatio, qua per talem actionem extrinſecè directa denominantur: Inſuperque intrenſeca forma rationis, ex tali directione reſultans in conceptibus ordinatis, per quam intrinſecè diſponuntur in modum artificij Logicalis, & intrinſecè manent ad invicem ordinati. Ex qua rerum conjunctione oritur diverſitas ſententiarum, nedùm circa objectum formale, verùm etiam circa materiale.

Ad cujus pleniorem intelligentiam, quintò notandum eſt, omnia entia, ſivè realia, ſivè rationis, pertinere ad objectum Logicæ materiale, quia omnia ea poſſunt denominari ab aliqua intentione ſubjecti,

vel

vel prędicati generis, vel differentię, & huiuſmodi alijs, quæ in Logica recenſentur, cum nullum ſit ens reale, vel rationis, quòd ab aliqua illarum non poſsit denominari, & ratione illius à Logica attingi. Undè Ang. Prœcep. 4. metaph. lect. 4. & 1. Poſt. lect. 20. Logicam agere de omni ente aſſerit, ex eo quod omnia entia naturę ſub conſideratione, rationis cadunt, cumque Logica ſit de operationibus rationis, etiam erit de intentionibus rationis, quæ ad omnes res ſe habent.

Et ſi dicas: Diverſæ ſcientiæ diverſum objectum materiale aſsignari debet; ſed entia realia ſunt objectum materiale aliarum ſcientiarum: ergò pertinere nequeunt ad objectum Logicæ materiale.

Reſpondetur, admittendo maj. & diſt. min. entia realia *eo modo, quo ſunt materia Logicæ* ſunt objectum materiale aliarum ſcientiarum, neg. min. *ſub alia conſideratione*, conc. min. & neg. conſeq. Reverà eadem materia poteſt ad diverſas ſcientias pertinere, nam de hac propoſitione terra eſt rotunda, inquit D. Th. 1. poſt. in calce lect. 41. quod pertinet ad Aſtrologum, & ad Philoſophum naturalem; ſed dato, quod diverſæ ſcientię aſsignetur diverſa materia, dicimus, quod entia realia dupliciter conſiderari poſſunt: uno modo, ut poſſe cognoſcibilia ſunt in ſe, & ſic ſunt materia aliarum ſcientiarum. alio modo, quatenùs poſſunt artificioſè diſponi in modum diffinitionis, propoſitionis, Syllogiſmi, &c. & prout ſic aſſerimus pertinere ad objectum Logicę materiale.

Tandem ſupponimus, operationes intellectus, quatenùs ab objectis diſtinguntur per tinere ad objectum materiale dirigibile, quod quidem in principio Poſt. docet D. Th. per hęc verba: *Ars quædam neceſſaria eſt quæ ſit directiva ipſius actus rationis, per quam homo in ipſo actu rationis, facilitèr ordinatè, & ſine errore procedat; & hæc eſt ars Logica, id eſt rationalis ſcientia.* In quibus verbis, & doctrina noſtra & illius ratio probativa continetur.

His igitur prænotatis circà præſentem dificultatem, tres ſunt præcipuę ſententiæ. Prima Nominalium, aſſerentium, voces eſſe objectum formale Logicę. Sed hæc ferè obſolevit, cum non de vocibus, ſed de rebus per eas ſignificatis agant ſcientiæ, eſto, quia res ad Scholas trahere non poſſumus, vocibus utantur loco rerum. Secunda

ſen-

ſententia, quæ eſt omnium ferè Ieſuitarum, aſſerit, objectum formale Logicæ eſſe aliquid reale; ſed eius defenſores in trivio poſiti ſunt: aliqui enim tenent objectum formale Logicę eſſe actus intellectus, & conceptus formales, quatenùs conformantur objectis, quæ conformitas realiter invenitur in conceptibus, & actibus. Quidam verò cenſent objectum formale eſſe conceptus objectivos, ut dirigibiles per actionem intellectus. Alij verò autumant eſſe ipſos conceptus objectivos, ut extrinſecè directos, quæ omnia aliquid reale ſunt. Tertia ſententia affirmat, objectum formale Logicæ non eſſe aliquid reale, ſed ſecundam intentionem rationis reſultantem in rebus ordinatis per actionem intellectus: hęc eſt omnium Thomiſtarum, quibus adhęrent plurimi extrà Scholam D. Th. cum quibus hæc erit.

§. II.

Prima Concluſio.

Objectum formale Logicæ non eſt aliquid reale.

COnclusionem iſtam eſſe mentem D. Th. manifeſtum eſt apud omnes, conſtabitque ex dicendis in ſecunda concluſione, modò autem ratione illam probamus: non eſt dabilis ſpecialis abſtractio ſub qua ens reale poſſit Logicam ſpecificare: ergò ens reale nequit eſſe Logicæ objectum, cum objectum illius ſub aliqua ſpeciali abſtractione illam debeat ſpecificare, & per ipſam attingi. Prob. ant. omnis abſtractio poſsibilis enti reali debet eſſe, vèl à materia ſenſibili, vel à materia ſingulari, vel ab omni materia poſitivè, aut ab omni materia negativè propter perfectionem objecti; ſed ſecundum primam abſtractionem ſpecificat Mathematicas, ſub ſecunda, Philoſophiam, ſub tertia, Metaphiſicam, ſub quarta Theologiam: ergò nulla eſt dabilis abſtractio, ſub qua Logicam ſpecificare poſsit.

Secundò probatur Concluſio noſtra ratione: Objectum formale Logicæ conſiſtere debet in aliquo ex illis quę concurrunt ad directionem intellectus, cum Logica ſit directiva rationis; ſed in nullo reali ex his, quę prædictam directionem ingrediuntur conſiſtere poteſt: ergò non poteſt eſſe aliquid reale. Prob. min. Objectum formà-

male Logicæ debet eſſe forma illa, per quam formaliter conſtituitur artefactum Logicale, objectum enim formale cuiuſcumque artis, eſt forma conſtitutiva artefacti, quod per talem artem producitur; ſed nihil reale ex his quę prędictam directionem ingrediuntur, poteſt eſſe forma conſtitutiva artefacti Logicalis: ergò in nullo reali ex his poteſt conſiſtere objectum formale Logicæ. Prob. min. forma conſtitutiva artefacti Logicalis ea eſt, per quam partes diffinitionis v. g. ad invicem ordinantur; ſed talis ordo nequit eſſe realis: ergò nihil reale ex his, quæ ingrediuntur directionē intellectus, poteſt eſſe forma conſtitutiva artefacti Logicalis. Prob. min. Animal, & rationale, quæ ſunt partes diffinitionis, identificantur realiter; ſed eiuſdem ad ſe ipſum realiter non eſt relatio realis: ergò talis ordo nequit eſſe realis.

Tandèm probatur concluſio, ſententias contrarias per ordinem impugnando: objectum formale Logicæ nequit conſiſtere in conceptibus formalibus, & objectivis, quatenùs dirigibiles ſunt; nec in illis quatenús extrinſece directi denominantur: Ergò conſiſtere nequit in aliquo reali ex illis, quę directionem intellectus ingrediuntur. Prob. ant. quantùm ad primam partem. Objectum formale Logicæ eſt forma, quam in materia introducit, ſicut objectum formale artis domificandi, vel pingendi eſt forma, quæ per tales artes introducitur in materia; ſed dirigibilitas conceptus, tam formalis, quam objectivi, non introducitur in ipſis per Logicam, cum hęc nihil aliud ſit, quàm capacitas illorum, ut per artem dirigantur, quę quidem convenit illis ab intrinſeco, & per propiam eorum naturam: ergò conſiſtere nequit objectum formale Logicę in conceptibus formalibus, & objectivis, quatenùs dirigibiles ſunt. Quod clariſsimè conſtat in arte domificatoria, cuius objectum formale non ſunt lapides, & ligna, quatenùs per artem dirigibilia, hoc enim habent, dùm ſunt in caverna laci, & in nemoribus, antequàm objectum artis domificandi in rerum natura exiſtat.

Secundò prob. ant. principale: objectum formale Logicæ ſunt inſtrumenta Logicalia, diffinitio, videlicet, diviſio, & argumentatio; ſed conceptus, ut dirigibiles, licèt poſsint eſſe, non tamèn ſunt inſtrumenta Logicalia:

Er-

Ergò idem quod priùs.

Quantùm ad ſecundam veró partem ſic prob. principale ant. Objectum formale Logicæ eſt forma, qua conſtituitur artefactum Logicale, Syllogiſmus v. g.; ſed forma conſtitutiva artefacti Logicalis nequit eſſe extrinſeca denominatio proveniens ab actione directiva: ergó conſiſtere non poteſt in conceptibus, ut extrinſecè directis. Prob. min. Nullum artefactum conſtituitur formalitèr per extrinſecam denominationem provenientem ab actione, qua producitur, aliàs conſtitueretur per eandem actionem, qua fit: ergò forma conſtitutiva artefacti Logicalis nequit eſſe denominatio extrinſeca proveniens ab actione directiva.

§. III.

Argumentis contra Concluſionem iſtam occurritur.

ARguitur primò contrà primam partem Concluſionis: Actus, & conceptus intellectus, ut dirigibiles, ſub objectum formale Logicę directivę tam conceptus, quàm actus: ſed prout ſic ſunt entia realia: ergò objectum formale Logicæ eſt aliquid reale. Prob. maj. Objectum formale intellectus eſt ens intelligibile, & amabile eſt objectum formale voluntatis: ergò actus, & conceptus intellectus debent eſſe objectum formale Logicæ directivę.

Reſp. neg. maj. & ad probationem neg. conſeq. Quia ens intelligibile, & bonum amabile, non ſolum dicunt capacitatem, ut unum extrinſecè intelligatur, & aliud extrinſecè ametur, ſed inſupèr in ſe ipſis habent, unum quidem intrinſecam intelligibilitatem, & veritatem, quæ per ſe, & ratione ſui inſpicitur ab intellectu, & alterum bonitatem, quę ratione ſui amatur â voluntate, nam objectum intellectus ipſum movet, & prędcedit quantum ad rationem movendi; ſimilitèrque voluntas hominis movetur à bono præexiſtenti in rebus, ejuſque amor prędſuponit bonitatem in toto, vel in parte, inquit D. Th. 1.2. q. 110. art. 1. in corp.; ſed actus, & conceptus intellectus, quatenùs dirigibiles ſunt non habent in ſe ipſis rectitudinem intrinſecam modi ſciendi, quam per ſe primó intendit Logica; ſed ſolùm capacitatem ad formam prædictam, & ad extrinſecam denominationem provenientem ab actione directiva,

pro-

propterea que non poſſunt eſſe objectum formale Logicę.

Sed inſtabis: objectum formale eſt id ratione cuius attingitur objectum materiale; ſed actus, & conceptus intellectus attinguntur à Logica, quia dirigibiles ſunt: ergò actus, & conceptus intellectus ſunt objectum formale Logicę directivę, quatenùs dirigibiles ſunt, Prob. min. Quęrenti, quare Logica verſatur circa actus, & conceptus intellectus; Optimè reſp. quia poſſunt dirigi, & diſponi in modum artificij Logicalis; ergò attinguntur à Logica, quia dirigibiles ſunt.

Reſp. diſt. min. Ly *quia dicente rationem primariam attingendi*, neg. min, *dicente rationem ſecundariam*, conc. min. & neg. conſeq. Nam licet conceptus, & actus, quatenùs dirigibiles, attingantur à Logica, non tamen ratione dirigibilitatis primariò attinguntur ab illa, ſed ſolùm ſecundariò, quia dirigibilitas non eſt ratio formalis attingendi tales conceptus, niſi dependenter à forma rationis, qua poſſunt intrinſecè dirigi, & per ordinem ad ipſam, undé petenti, quare actus intellectus à Logica conſiderantur; Non ſatisfacis, ſi tantùm dicas, quia ſunt materia dirigibilis, & diſponibilis in modum artificij Logicalis: rurſus enim inquirere poteſt, quare conſiderat ea, quæ ſic deſervire poſſunt artificio Logicali? Et reſpondebis, quia finis per ſe intentus a Logica, eſt cógnitio formæ rationis, quę plenè obtineri nequit, ſi non cognoſcantur ea quę per modum materiæ dirigibilis ei deſervire poſſunt. Qua propter dirigibilitas actuum, & conceptuum non eſt prima ratio attingendi, cum adhuc dependeant ab alio titulo priori, ſcilicèt à forma rationis.

Secundò arguitur: Logica eſt ars directiva, ut inquit D. Th. 1. Poſt. lect. 1. ergô conceptus, & actus ut dirigibiles, erunt ejus objectum formale. Prob. conſeq. Sicut comparatur dirigens ad directum, comparatur directivum ad dirigibile; ſed objectum formale actus dirigentis eſt directum: ergò objectum formale Logicę directęctivę debet eſſe dirigibile.

Reſp. neg. conſeq. & ad probationem diſt. maj. Ly *ſicut, parificante quoad aliquid*, conc. maj. *quoad omnia*, neg. maj. & conceſſa min. neg. conſeq. Nam proportio ſolùm ſalvatur in eo, quod materia directivi ſunt ac-

actus, & conceptus dirigibiles, ſicut materia dirigentis ſunt actus ſuſcipientes actu directionem, & hoc ideò, quia ſicut quod attingit exercitè dirigens eſt res directa, ita quod reſpicit directivum, eſt dirigibile per ipſum: non tamen proportio conſiſtit in eo, quod objectum formale directivi ſit dirigile, ſicut directum eſt objectum dirigentis, quia idem debet eſſe objectum formale habitus directivi, & actus dirigentis, ac proinde, ſi objectum formale actus dirigentis, eſt directum, etiam objectum formale directivi erit directum,, non dirigibile.

Tertiò arguitur contrà alteram partem Concluſionis: Conceptus objectivi, ut extrinſecè directi, pertinent ad objectum formale Logicæ; ſed ut ſic aliquid reale ſunt; ergò objectum formale Logicæ eſt aliquid reale. Prob. mai. Conceptus illi, ut extrinſecè directi, ſunt artificiosè diſpoſiti; ergò pertinent ad objectum formale Logicæ. Prob. ant. Paries extrinſecè viſus denominatur viſus formalitèr: ergò conceptus objectivi, ut exrinſecè directi, denominantur formalitèr artificiosè diſpoſiti.

Reſp. neg. maj. & ad probationem neg. ant. ad cujus probationem diſt. conſeq. artificioſe diſpoſiti *extrinſecè, & in fieri*, conc. conſeq. *intrinſecè, & in facto* eſſe, nego conſeq. Conceptus namquè objectivi, ut extrinſecè directi, ſolum denominantur artificioſe diſpoſiti extrinſecè, & in fieri ab actione intellectus diſponentis, & dirigentis, non tamen denominantur intrinſecè, & in facto eſſe diſpoſiti ab extrinſeca directione, ſed ſolum à forma in illis reſultante, quæ quidem non realis, ſed forma rationis eſt, & hæc ſola conſtituere debet objectum formale Logicæ, nam illam Logica per ſe primò intendit introducere in conceptibus objectivis, & ad eam tanquam ad finem proprium ordinatur.

Sed inſtabis: per extrinſecam diſpoſitionem conſtituuntur conceptus objectivi in ratione inſtrumenti cauſativi ſcientiæ: ergò ut ſic diſpoſiti pertinent ad objectum formale Logicæ. Prob. ant. Per extrinſecam directionem conſtituuntur termini diſpoſiti in modo, & figura, & ſyllogiſmus, ex vi talis diſpoſitionis conſtat ex primis veris, cauſiſque concluſionis: ergò per extrinſecam diſpoſitionē conſtituuntur conceptus objectivi in ratione inſtrumen-

menti cauſativi ſcientiæ.

Reſp. diſt. ant. in ratione inſtrumenti *vialiter, & in fieri, aut fundamentaliter,* conc. ant. *in facto eſſe, & formaliter,* neg. ant. & conſeq. Sicut namque paries per dealbantis actionem, & extrinſecam denominationem indè provenientem, dicitur albus in fieri, ſed in facto eſſe ſolùm dicitur albus per albedinem receptam intrinſecè, ità per extrinſecam directionem conſtituuntur conceptus objectivi in ratione inſtrumenti cauſativi ſcientię vialiter, & in fieri; & termini diſpoſiti in modo, & figura eodem modo: ſimiliterque ſyllogiſmus conſtans ex primis, veris cauſiſque concluſionis. Sed formaliter, & in facto eſſe, ſolum hoc habent per formam rationis intrinſecè introductam in illis, non enim datur ſyllogiſmus formaliter, niſi præmiſſæ cognoſcantur in ordine ad concluſionem, & unus terminus cum ordine ad alterum, quod completè, & in facto eſſe ſolùm per formam rationis haberur.

Dices: ut conceptus objectivi dicantur ad invicem ordinati formalitèr, ſufficit extrinſeca directio: ergò ut formalitèr, & completè intelligantur in ratione inſtrumenti cauſativi ſcientię, eadem ſufficere debet. Prob. ant. Sola extrinſeca impoſitio ſufficit, ut ſignum ad placitum ordinetur formaliter ad ſignatum, ut tenet ſententia probabilis: ergó etiam ſufficiet extrinſeca diſpoſitio, ut conceptus objectivi dicantur ad invicem ordinati formaliter.

Reſp. negand. ant. & ad probationem neg. conſeq. Quia relatio ſigni ad ſignatum, eſt relatio tranſcendentalis, ut dictum eſt in quęſtionibus diſputatis Dialecticę, & ità ad talem relationem fundandam ſufficit extrinſeca denominatio, ſicut ſufficit, ut argentum plus, vel minus æſtimetur; relatio verò inter partes artificij Logicalis reperta, eſt relatio ſecundum eſſe, quę ſemper fundatur ſuper formam intrinſecam.

§. IV.

Statuitur ſecunda Concluſio.

Objectum formale quod Logicæ eſt aliquid rationis.

UT concluſionem iſtam poſsibili claritate oſtendamus, oportet prius nominum ſimilitudines quaſi ramos obviantes abſcindere, nè ſemitam diſputatio-

nis noſtræ vocabulorum conſonantium ſilva, frondoſis imaginibus videamur intexere. Nomine *entis rationis* non intelligimus illud ens rationis, cujus genitivus accipitur ſubjectivè, & effectivè, quales ſunt conceptus formales, quos intellectus in ſe ipſo efficit, & producit, hęc enim non dicuntur ſimpliciter entia rationis, cum ſint verè qualitates realitèr inhærentes ſubjecto; ſed intelligimus artificioſam diſpoſitionem, quam ratio facit in rebus cognitis, dùm eas ordinat in modum prædicati, ſubjecti, generis, ſpeciei, & ſimilium. Hęc dicitur ens rationis, quia non eſt in rebus, ſed ſolum in intellectu eam apprehendente, etiam dicitur ſecunda intentio, quia afficit res, non ut ſunt in ſe, ſed ut ſunt in mente. Undè immeritò quidam, ut Thomiſtas impugnent, dicunt eos habere pro objecto formali Logicæ chimeras: Non enim chimeras fingimus, ſed proponimus rem, quam quilibet quotidiè experitur in ſe ipſo. Nam cùm ſyllogiſmum facit, quid aliud facit, quam artificioſam diſpoſitionem propoſitionum, & terminorum in modo, & figura?

Concluſionē ſic explicatā eſſe de mē. D. Th. valida ſuadent ipſius Ang. Præcept. teſtimonia, cujus verba, quia non mediocriter illam illuſtrant, de verbo ad verbum ſcribere non pigebit. in 4. Metaphiſicæ lect. 4. ſic inquit D. Ang.: *Ens eſt duplex, ens naturæ, & ens rationis. Ens rationis propriè dicitur de illis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus conſideratis, ſicut intentio generis, & ſpeciei, & ſimilium, quæ quidem non inveniuntur in rerum natura, ſed conſiderationem rationis conſequuntur. Et hujuſmodi, ſcilicet ens rationis, eſt proprie ſubjectum Logicæ.* Quę verba etiam repetit D. Th. in opuſc. 42. cap. 4. & in Proœm. ethic. ſimilia habet Doct. Ang. ubi aſſerit, quod *ordo quadrupliciter ad rationem comparatur; eſt enim quidem ordo, quem ratio non facit, ſed ſolum conſiderat, ſicut eſt ordo rerum naturalium: Alius ordo eſt, quem ratio conſiderando facit in propnio actu, putà, cum ordinat conceptas ſuos ad invicem, & ſigna conceptuum, quæ ſunt voces ſignificativæ. Tertius ordo eſt, quem ratio conſiderando facit in operationibus voluntatis. Quartus autem ordo eſt, quem ratio conſiderando facit in exterioribus rebus, ſicut in arca, in domo &c. ordo, quem ratio conſiderat, ſed non facit pertinet ad Philoſophiam naturalem, or-*

ordo quem ratio conſiderando facit in proprio actu pertinet ad rationalem Philoſophiam (id eſt Logicam) ordo actionum voluntatis pertinet ad conſiderationem moralis Philoſophiæ. Ordo demum quem ratio facit in rebus exterioribus pertinet ad artes mechanicas. Quibus conſonat ipſe D. Th. 1. Poſt. lect. 20. per hæc verba: *quia circa omnia, quæ ſunt, habet negotiari ratio, Logica autem eſt de operibus rationis, Logica etiam erit de his, quæ communia ſunt omnibus, id eſt, de intentionibus rationis, quæ ad omnes res ſe habent.* Ergó ordo, quem ratio conſiderando facit in proprio actu; qui ordo non eſt ipſa realitas conceptus, nec relatio realis illi ſuperveniēs, ſed ſecunda intentio rationis conſideratione ipſa facta, & formata, eſt objectum formale *quod* Logicæ.

Reſpondent Adverſarij, D. Th. loqui de objecto materiali, vel ſi loquitur de objecto formali, ſumit ens rationis pro ipſo actu intellectus; vel (ut alij volunt) loquitur de ente rationis ſumpto pro extrinſeca denominatione, vel (ut malunt aliqui) pro vocibus ſignificativis, de quibus tanquam de inſtrumentis agit Logicus, quarum intentiones etiam aliquid rationis ſunt: non ergò intelligenda eſt nomine *entis rationis* illa intentio, quam ratio facit, & adinvenit in rebus conſideratis. Ità P. Loſſada.

Sed contra eſt; nam D. Th. dicit, quod *hujuſmodi ens rationis eſt proprie ſubjectum Logicæ*: non ergò loquitur de objecto materiali, de hoc enim ſtatim ſubdit loc. cit. metaphiſicę, quod eſt ens naturæ, *& quod omnia entia naturæ ſub conſideratione rationis cadunt*: ſimiliterque aſſerit, quod intentiones de quibus agit Logicus, non inveniuntur in rerum natura, actus autem intellectus in rerum natura inveniuntur; fruſtrà ergò explicatur D. Th. de opere intellectus, etiam ut habente artificium rationis, niſi ipſum artificium dicatur ens rationis, & ſic habemus intentum, quia illud artificium eſt formale, ratione cujus ille actus conſideratur à Logica. Et propter eandem rationem propriam dicitur, quod loquatur D. Th. de ente rationis ſumpto pro extrinſeca denominatione: nam hęc, vel invenitur in rerum natura, quatenùs extrinſeca eſt, & ſic de illa non agit Logica, vel non invenitur, ſed formatur à ratione, & ſic eſt ens rationis, quod nos dicimus. Nec etiam

dici poteſt, quod D. Th. ſolum loquatur de intentione vocum ſignificativarum, cum loquatur de intentionibus, quę ſequuntur ipſas operationes intellectus, & ratio facit in proprio actu, ut includente objectum, ſive in rebus conſideratis adinvenit, ut patet in locis ſuprà citat. Quarè de mente Prec. Ang. non poteſt dubitari, quod ponit ens rationis pro objecto formali Logicæ.

Ratione verò probatur concluſio noſtra. Objectum formale Logicę debet eſſe forma illa, qua formaliter conſtituitur artefactum Logicale, ſicut objectum formale domus, eſt forma illa intrinſeca, qua partes domus adinvicem ordinantur, & ratione cujus conſtituitur domus in ratione artefacti proprij artis; ſed forma intrinſecè conſtitutiva artefacti Logicalis, ſolum eſt forma rationis: ergò objectum formale Logicę eſt aliquid rationis. Prob. min. ea forma eſt intrinſecè conſtitutiva artefacti Logicalis, per quam partes artificij intrinſecè diſponuntur, & adinvicem ordinantur; ſed forma per quam partes artificij Logicalis diſponuntur, & ordinantur intrinſecè, eſt ſola forma rationis: ergò forma intrinſecè conſtitutiva artefacti Logicalis eſt forma rationis. Maj. patet. Nàm omne artificium conſtituitur intrinſecè per formam, per quam partes ipſius artificij intrinſecè diſponuntur. Min. verò prob. Partes diffinitionis, v. g. animal rationale, ſolùm diſponuntur, & ordinantur intrinſecè in modum diffinitionis, quatenùs habent formaliter rationem generis, & rationem differentiæ, eo quod diffinitio conſtituitur ex genere, & differentia; ſed intentiones generis, & differentię ſunt relationes rationis: ergò forma, per quam partes artificij Logicalis diſponuntur, & ordinantur intrinſecè eſt ſola forma rationis.

§. V.

Solvuntur argumenta contrà concluſionem iſtam.

COntra concluſionem iſtam arguitur primò: Objectū formale *quod* Logicę contineri debet ſub aliqua abſtractione ad Logicam pertinente; ſed ens rationis non continetur ſub aliqua abſtractione ad Logicam pertinente: ergò nequit eſſe objectum formale *quod* Logicæ. Prob. min. ens rationis con-

continetur ſub abſtractione ab omni materia poſitivè; ſed hæc non pertinet ad Logicam: ergò non continetur ſub aliqua abſtractione ad Logicam pertinente. Prob. maj. Ens rationis attingitur à metaphiſica; ſed nulla ſcientia poteſt attingere objectum nō contentum ſub illius abſtractione, alias excederet propriam rationem formalem: ergò ens rationis continetur ſub abſtractione ab omni materia poſitive.

Reſp. neg. min. & ad probationem diſt. maj. continetur *ſubjectivè*, neg. maj. *ut dicens ordinem ad illam*, cōc. maj. ad cujus probationem diſt. maj. attingitur *ſecundariò*, conc. maj. *primariò*, neg. maj. Nam ut metaphiſica ſecundariò attingat ens rationis, non eſt neceſſe ipſum contineri ſubjectivè ſub abſtractione propria metaphiſicę, ſed ſatis eſt importare ordinem ad illam, & ad objectum metaphiſicæ primarium, quod eſt ens reale. Inſtantia eſt in Theologia, quæ ſecundariò creaturas attingit, quamvis nulla creatura contineatur ſubjectivè ſub abſtractione ab omni materia negativè propter perfectionem, quæ eſt propria Theologiæ, ſed ſolùm quatenùs dicunt ordinem ad illam, & ad Deum primò cognitum.

Sed inſtabis: Duplex ſcientia circà idem objectum ſuperfluit; ſed metaphiſica, licet ſecundariò agit de ente rationis: ergò Logica non poterit ipſum habere pro objecto formali *quod*.

Reſp. diſt. min. de ente rationis, *ſub ratione communi entis, & ex parte rationis quæ*, conc. min. *ſub ratione particulari, & ex parte rationis ſub qua*, neg. min. & conſeq. Nàm metaphiſica agit de ente rationis ſub ratione communi entis, ſecundum quam habent radicare paſsiones communes veri, & boni, &c., quomodo nulla ratio, quantumvis rationis, dātur non attacta per metaphiſicam, non tamen agit de ente rationis ſub ratione particulari, ſub qua Logica attingit, quatenùs ſcilicet, radicat paſsiones proprias modi ſciendi, vel alterius artefacti Logicalis, & propterea ad illud ſub hac ratione attingendum Logica ſuperflua non eſt, ſed ipſum prout ſic poteſt habere pro objecto. Exemplum adeſt in ente mobili naturali, quod ſub ratione entis attingitur à metaphiſica, & tamen hoc non obeſt, quod ſub abſtractione particulari attingatur à Philoſophia primariò.

Secundo arguitur: Scien-

tia realis ſpecificari non poteſt ab aliquo rationis; ſed Logica eſt ſcientia realis: ergò objectum formale illius non poteſt eſſe aliquid rationis. Prob. maj. Specificativum præſtat perfectionem, & ſpeciem; ſed ens rationis non poteſt præſtare perfectionem, & ſpeciem alicui enti reali: ergò ſcientia realis ſpecificari non poteſt ab aliquo rationis.

Reſp. neg. maj. & ad probationem diſt. min. perfectionem, & ſpeciem, *per modum cauſæ formalis intrinſecæ*, conc. min. *per modum cauſæ formalis extrinſecæ*, neg. min. & conſeq. Duplex namque eſt ſpecificativum habitus, vel ſcientiæ, aut potentiæ intellectivæ, unum quidem intrinſecum, quod eſt ipſa habitudo, vel reſpectus, quem habitus dicit ad objectum, & terminum extrinſecum, & hæc habitudo neceſſario debet eſſe realis, quia nihil aliud eſt, quam ipſe habitus, ſcientia, vel potentia, quatenùs reſpicit objectum, & ab illo dependet: aliud autem eſt ſpecificativum extrinſecum, quod eſt ipſum objectum, vel terminus habitudinis, & tale ſpecificativum bene poteſt eſſe rationis, quia nulla repugnantia eſt in eo, quod ens rationis ſit objectum, vel terminus alicujus entis realis, cum ens rationis ſit vere, & ſimpliciter ſcibile, conſequenterque poſsit primariò terminare habitudinem ſcientiæ realis. Adeſt exemplum in cognitione, quæ primariò terminatur ad ens rationis, quæ ab ipſo ſpecificari debet tanquam ab extrinſeco termino, & tamen cognitio illa realis eſt.

Sed inſtabis: ſpecies habitus Logicæ, eſt vera ſpecies, veraque perfectio realis; ſed ens rationis, etiam per modum cauſæ extrinſecæ nequit præſtare ſpeciem, & perfectionem realem: ergò Logicam ſpecificare non poteſt. Prob. min. Specificativum etiam per modum cauſæ extrinſecæ debet in ſe præhabere perfectionem illam, quã præſtat ſpecificato; ſed ens rationis in ſe habere non poteſt aliquam perfectionem realem: ergò etiam per modum cauſæ extrinſecę nequit præſtare ſpeciem, & perfectionem realem.

Reſp. neg. min. & ad probationem diſt. maj. debet in ſe præhabere, *objectivè, & terminativè*, conc. mai. *formaliter, & ſubjectivè*, neg. maj. & diſt. min. in ſe habere non poteſt *formalitèr, & ſubjective*, conc. min. *obiective, & terminative*, neg. min. &

con-

conſeq. licet namque ens rationis, utpotè ſpecificativum extrinſecum, non poſsit ſubjectivè, & formaliter in ſe præhabere perfectionē realē tanquam ſubjectum illius, eo quod non eſt capax, ut ſit perfectum realiter; poteſt tamen tale ſpecificativum per modum ſubjecti, vel termini prædictam perfectionem continere, nam ſic illam continere, nihil aliud eſt, quam eſſe terminum primarium habitus, vel potentiæ, quod enti rationis non repugnat, cum habeat veras paſsiones primariò demonſtrabiles de ipſo.

Dices: ens rationis non habet paſsiones primò demonſtrabiles de ipſo; ergò non poteſt eſſe terminus primarius alicuius habitus, ac proinde nec continere objectivè, & terminativè perfectionem realem. Prob. ant. hujuſmodi paſsiones, vel eſſent reales, vel rationis; ſed nequeunt eſſe reales, aliàs eſſent nobiliores ente rationis, nec rationis, aliàs idem eſſet paſsio ſui ipſius: ergò ens rationis nō habet paſsiones primariò de ipſo demōſtrabiles.

Reſp. neg. ant. & ad probationem dicimus, hujuſmodi paſsiones eſſe entia rationis, quin ex hoc inferatur idem eſſe proprietatem ſui ipſius, nam ſub ente rationis plura ſunt entia, in quibus unum eſt paſsio alterius, ſicut oppoſitio, æquipollentia, & converſio ſunt proprietates propoſitionis, & prędicabile eſt paſsio univerſalis.

Urgebis: ens rationis, nedum in eſſe entis, verum etiam in eſſe ordinis, & habitudinis proportionatum non eſt cum habitu Logicę: ergò nullatenùs poteſt eius habitudinem terminare. Prob. ant. Habitus Logicę non poteſt dicere ordinem realem ad ens rationis: ergò etiam in eſſe ordinis proportionatum non eſt cum habitu Logicæ. Prob. ant. ordo realis petit terminum realem: ergò habitus Logicę non poteſt dicere ordinem realem ad ens rationis.

Reſp. negand. duo ant. prim. & ad probationem diſt. ant. ordo realis *prædicamentalis*, conc. ant. *tranſcendentalis*, neg. ant. & conſ. infra quid dē dicemus, quid ſit ordo prędicamentalis, & tranſcendentalis; interim ordo prędicamentalis, eſt ratio quędam adveniens rei ad poſitionem alterius, ut nato filio reſultat in Patre relatio Paternitatis; & hęc petit terminum realiter exiſtentem: ordo tranſcendentalis, eſt ipſa rei entitas, in quantum ordina-

tur ad aliud, ut ſcientia ad ſuum objectum; & hic ordo poteſt terminari etiam ad ens rationis, ut patet in actu, quo formo chimeram, quo fabulas fingo, & tracto de ente rationis, hic enim actus mera entia rationis reſpicit, & tamèn realis eſt.

Tertiò arguitur: Diffinitio, diviſio, & argumentatio ſunt objectum formale Logicæ; ſed iſtæ ſunt operationes intellectus: ergò operationes intellectus ſunt objectum formale Logicæ. Prob. min. Diffinitio nihil aliud eſt, quam actus, quo diffinio, diviſio, actus, quo divido, &c. ergò ſunt operationes intellectus.

Reſp. diſt. maj. Diffinitio, diviſio, & argumentatio *effectiva*, neg. maj. *effecta*, conc. maj. & diſt. min. iſtę *effectivæ*, conc. min. *effectæ*, neg. min. & conſeq. Sępè nomen operis effecti tribui ſolet actioni qua tale opus fit: ſicut pictio vocatur non ſolum imago facta, ſed etiam actio pictoris imaginem formantis. In hoc igitur ſenſu argumentatio v. g. dicitur non ſolum oratio in qua ſic propoſitiones diſponuntur, ut una inferat aliam, ſed etiam actus intellectus, quo fit talis oratio. Attamen diſtinctionis gratia actum argumentantem vocamus *argumentationem effectivam*, orationem verò per talem actum formalem, *argumentationem effectam*, vel (ut alij volunt) actum argumentantem vocamus, *argumentationem formalem*, orationem verò per talem actum formatam, *argumentationem objectivam* quod in idem redit. Sic igitur dicimus, objectum formale Logicę non eſſe diffinitionem, diviſionem, & argumentationem effectivam vel formalem, id eſt, actus, quibus intellectus conficit diffinitionem &c. ſed eſſe diffinitionem, diſtinctionem, & argumentationem effectam, & objectivam artificiosè ab intellectu diſpoſitam per formam rationis reſultantem ex operatione intellectus, quæ forma rationis eſt, & de qua Logica ſolicita eſt, non verò de natura illius actus quo diffinimus, hoc enim magis ad animaſticum pertinet.

Sed inſtabis: argumentatio effecta v. g. non eſt objectum formale Logicæ: ergò non tenet ſolutio. Prob. min. Illa argumentatio eſt objectum Logicę, quę facit ſcire; ſed argumentatio effectu non facit ſcire; ergò non eſt objectum formale Logicæ. Prob. min. Ens rationis non poteſt facere ſcire; ſed talis argumen-

mentatio eſt tantum ens rationis : ergò argumentatio effecta non facit ſcire. Prob. maj. Ens rationis non poteſt producere ens reale ; ſed ſcientia eſt ens reale : ergò ens rationis non poteſt facere ſcire.

Reſp. neg. ant. & ad probationem neg. min. & ad ejus probationem diſt. maj. non poteſt facere ſcire *per modum cauſæ efficientèr, vèl objectivè generantis ſcientiam*, conc. maj. per modum conditionis ſine qua non, neg. mai. argumentatio namque ſumpta ſubjectivè pro actibus intellectus cauſat ſcientiam efficientèr, quatenùs aſſenſus prę̃miſſarum, ut infrà dicemus, concurrit efficientèr ad aſſenſum concluſionis, qui quidem actus intellectus verè eſt aliquid reale : argumentatio verò ſumpta objectivè, cauſat ſcientiam objectivè, movendo per modum objecti ad aſſenſum veritatis, & ſic objectivè concepta, realitèr cauſat ſcientiam ratione veritatis objectivè, quæ verè realis eſt in objectis diſpoſitis, & illa ſola concurrit per modum cauſę̃ realis ad realitèr objectivè cauſandam ſcientiam : cę̃terùm illa diſpoſitio artificioſa, quam *ens rationis* vocamus, & in qua formaliter conſiſtit argumentatio, eſt conditio, ſine qua res ipſę̃, ex quibus fit ſyllogiſmus, ſcientiam non cauſarent, ſicùt licèt figura gladii non ſit cauſa vulneris, attamen eſt conditio ſine qua ferrum non vulneraret.

Quartò arguitur : Ens fictitium non poteſt eſſe objectum formale Logicæ ; ſed ens rationis eſt quid fictitium : ergò nequit eſſe objectum formale Logicæ. Prob. min. Cognoſcere in rebus, quod non eſt in ipſis, eſt fingere ; ſed ens rationis in eo conſiſtit, quod cognoſcatur in rebus id, quod non eſt in ipſis: ergò eſt quid fictitium, ac proinde Chimeras fingimus pro objecto formali Logicæ, ut improperant adverſarii.

Reſp. neg. min. & ad probationem, diſt. mai. Cognoſcere in rebus *gratis*, & *ſine fundamento*, conc. mai. *cum ratione*, & *fundamento*: neg. mai. & diſt. min. quod non eſt in ipſis *actualitèr*; conc. min. *fundamentaliter*, neg. min. & conſeq. Nam cognitio cum ratione, & fundamento, non cenſetur fictio, ſed artificioſa, & ratione plena diſpoſitio, ideoque licet res in eſſe non ſint actualitèr diſpoſitæ in modum diffinitionis v. g. vèl ſyllogiſmi,

qui, quia tamen ita exigunt ordinari, quando concipiuntur, ut rectè discurramus, quid fictitium non facimus, dùm illas sic ordinamus.

Instabis: intellectus errat faciendo entia rationis: ergó sunt quid fictitium. Prob. ant. errare, est attingere rem aliter ac est in se; sed intellectus dùm facit ens rationis, attingit rem, ut prædicatum, vel subjectum, quod in re non est: ergò errat faciendo entia rationis.

Resp. neg. ant. & ad probat. dist. mai. aliter ac est in se, *ex parte rei intellectæ*, conc. maj. *ex parte intelligentis*, neg. mai. Tunc enim intellectus errat, quando intelligit rem ésse alitér quàm sit, sicùt si sic abstraheret speciem lapidis à materia, ut intelligeret eam non esse in materia, ut ponebat Plato; secùs autem, si ly *aliter* accipiatur ex parte intelligentis, ita ut quendam ordinem tribuamus ipsis rebus in intellectu nostro, quem non habent in se ipsis, quo quidem modo à nobis fit ens rationis: Undè illud faciendo nõ erramus, sed solũ disponimus, & ordinamus ea, quę ex se ipsis adinvicem dispositа, & ordinata sunt. Quæ solutio consonat doctrinæ traditæ à D. Th. 1. p. q. 85. art. 1. ad 1.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis colligitur primò, conceptus formales, ut repręsentantes objecta, & voces, quatenùs eadem significantes, ut adinvicem ordinatà per formam artificialem, non pertinere ad objectum formale Logicę: nam objectum formale Logicę est forma intrinsecè constitutiva artefacti Logicalis; sed talis forma non invenitur intrinsecè in conceptibus, & vocibus, sed solum extrinsecè, quatenus repręsentant objecta ordinatam per formam artificialem: ergó prout sic pertinere nequeunt ad objectum formale Logicę. Prob. min. Talis forma solum reperitur in conceptibus, & vocibus repręsentativè, & tanquam in signo, quatenus repræsentant formam, & ordinem repertum in conceptibus objectivis: ergó non invenitur intrinsecè in conceptibus, & vocibus, sed solùm extrinsecè, & tanquàm in signo sui, sicut urina tantum extrinsecè est sana, quia sanitas tantum in ipsa repetitur, ut in signo.

Cæterum, si voces, & conceptus considerentur, non ut significantes, & repręsentantes

tes objecta, sed secundùm quod sunt quædam res, benè possunt subinduere intentionem subjecti, vel prædicati, ut in his propositionibus: *terminus est vox*, *conceptus est ens reale*; sed prout sic adhuc non pertinent ad objectum primarium Logicę, sed solùm ad secundarium, & ab illa attinguntur in ordine ad modum sciendi objectivum, & dependenter ab illo.

Dices: finis Logicæ est ipsius objectum formale; sed conceptus formales, & operationes intellectus sunt finis Logicæ: ergò sunt ipsius objectum formale. Prob. min. Finis Logicę est ille, qui ab ipsa intenditur; sed Logica ad hoc tendit, ut dirigat conceptus, & operationes intellectus: ergò conceptus formales, & operationes intellectus sunt finis Logicę.

Respond. dist. maj. finis *proximus*, conc. maj. *remotus*, neg. mai. & disting. min. sunt finis *remotus* conc. min. *proximus*, neg. min. Nam objectum formale Logicę debet esse finis proximus illius, non verò finis remotus, vel ex consequenti se habens, & huiusmodi sunt operationes, & conceptus intellectus, quia Logica per se primò intendit modum sciendi objectivum, ad cujus perfectam cognitionem habendam, intendit ex consequenti operationes intellectus dirigere, ut sic perveniat ad perfectam objecti cognitionem.

Instabis: illud est objectum formale, quod est capax directionis; sed solum operationes, & conceptus sunt capaces directionis, non verò objecta, in quibus nec potest esse error, nec confusio: ergò operationes, & conceptus sunt objectum formale Logicę.

Resp. dist. min. error, nec confusio: *formalis*, con. min. *objectiva*, *& occasionans* formalem errorem, neg. min. & conseq. quia licet in objectis non possit esse error, & confusio formalis, quæ solùm reperitur in actibus Intellectus, potest tamen esse in objectis error, & confusio objectiva, & occasionem præstans ad formalem errorem: illa enim dicuntur occasionare errorem intellectus, quæ nata sunt videri, aut qualia non sunt, aut quę sunt, ut aurum falsum v. g. in quo exteriùs apparet color auri, cùm tamen interiùs natura auri non subsistat, ut inquit. D. Th. q. 1. de veritat. art. 10. Cum que objecta non benè ordinata, & dispositа nata sunt fal-

fallam facere apprehenſionem per ea, quę de ipſis apparent, indè eſt, quod in ipſis poteſt eſſe error occaſionalis, & ad hunc errorem tollendum ordinatur Logica per ſe primò.

Secundò ex dictis colligitur, objectum primarium, & attributionis Logicæ eſſe modum ſciendi objectivum in diffinitione, diviſione & argumentatione repertum, quia omnia alia conſiderat per ordinem ad modum ſciendi, vel quatenùs ordinantur ad manifeſtationem artificioſam veritatis; quod inſuper conſtat ex eo, quod objectum primarium Logicę, debent eſſe artefacta, quæ per ſe conducunt ad ſcientias adquirendas; quod ſolùm habent diffinitio, & argumentatio.

Dices: Diffinitio, & diviſio, ordinantur ad argumentationem: ergò ſola argumentatio eſt objectum attributionis. Prob. ant. imperfectum ordinatur ad perfectum; ſed diffinitio, & diviſio ſunt imperfectiores argumentatione: Erg. ad illã ordinãtur.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. min. imperfectiores *ſecundum rationes particulares*, conc. min. *ſecundum rationem communem*, neg. min. & ſub eadem diſt. neg. conſeq. Diffinitio namque, & diviſio ſecundùm rationem communem, non ordinantur ad argumentationem, ſed æqualiter cum illa conveniunt in ratione modi ſciendi, & ſolùm ad eam ordinantur ſecundùm rationes particulares, in quibus minus perfectæ ſunt, & exceduntur ab illa, & ita, ordinantur ad eam, ſicut imperfectum ad perfectum.

Tandèm infertur ex dictis: ſolum ſyllogiſmum demonſtrativum eſſe objectum principalitatis Logicæ, & ratio eſt, quia (ut inquit D. Th. 1. Periherm. lect. 1.) prima, & ſecunda operatio ordinantur ad tertiam, ut ad principalem, in qua perficitur diſcurſus, qui rectè per ſyllogiſmum diſponitur, & certò ac firmiter per demonſtrationem reſolvitur. Cum ergò Logica ſit directiva rationis, illud erit eius objectum principale, ubi principaliùs invenitur diſcurſus cum certitudine, & ſine errore, error autem vel eſt ex defectu formę, vel ex contingentia materiæ: ergò ex parte formæ objectum principale Logicę erit ſyllogiſmus rectè diſpoſitus, ex parte verò materiæ, demonſtratio, in qua invenitur diſcurſus ſine errore; ac proinde ſyllogiſmus demõſtrativus erit principaliter intentus inter omnia illa, quæ continentur ſub objecto attributionis Logicæ.

LI-

LIBER SECUNDUS

DE ENTE RATIONIS IN TOTA SUA LATITUDINE, & in eo quæstio prima de quidditate entis rationis & illius existentia.

ARTICULUS I.

An dentur entia rationis?

Sensus difficultatis apperitur, & statuitur affirmativa conclusio.

§. I.

OMnia, quæ à ratione dependent, vel sunt rationis objectum, possunt entia rationis appellari, & ideò triplicitèr contingit aliquid ens rationis nominari, ut inquit D. Th. opusc. 48. cap. 1. de Prædicamentis; subjective videlicet, effective, & objectivè: subjectivè quidem, quatenùs in ratione recipitur, sicut dicimus, quod scientia est in anima, actus intelligendi, vel verbum, quæ omnia sunt in ratione, sicut accidens in subjecto. Effectivè etiam, quatenùs ab intellectu efficienter producuntur, sicuti dicimus, quod actus intellectus sunt à ratione, & arca antequam fiat, est in mente artificis. Objectivè verò, sicut omnia objecta, quæ ab intellectu cognoscuntur, sicut lignum intellectum dicitur esse in ratione objectivè. Duobus primis modis, ens rationis, est ens reale. Si verò tertio modo sumatur, adhuc est assignandum discrimen, nàm plura cognoscuntur ab intellectu, quæ habent esse in rerum natura, ut lignum, Petrus, &c.; vel illud habere possunt, sicut creaturæ possibiles, quę licet de facto non habeant aliud esse, saltim existentię præter esse cognitum ab intellectu, possunt tamen habere esse à parte rei, ideoquè enter entia realia computantur. Sunt etiam alia objecta, quę pręter esse cognitum, & objectivum, quod habent in intellectu, non habent aliud esse, nec illud possunt habere, sicut chimerę, & omnia illa, quibus repugnat existere à parte rei, & solum de ente rationis in hac ultimata acceptione in pręsenti disputamus.

Ex quo constat ens rationis

nis optimè diffiniri à D. Th. 1. 2. q. 8. art. 1. ad 3. per esse id, *quod non est ens, in rerum natura, accipitur tamen ut ens in ratione*; vel (ut cum omnibus loquamur) per esse *id, quod tantum habet esse objectivè in intellectu.* Ly ens, vel habet esse, ponitur loco generis, quia in hoc convenit ens rationis cum ente reali; alia verò particula, loco differentiæ ponitur, nam per illam distinguitur ens rationis ab ente reali, quod haberet esse in rerum natura, vel illud habere potest.

His prælibatis, aliqui affirmarunt nulla dari entia rationis, à quibus non multum distant, qui illud putant consistere in denominatione extrinseca, vel aggregato ex rebus realibus. Nihilominus cõmuni Logicorum, & Theologorum consensu, cum eorum Primate Angelico, scilicet Præceptore, entia rationis dari constat, cum omnes distinguant ens reale ab ente rationis per hoc, quod illud existit in rerum natura, hoc existentiam in re non habet, sed solùm cognoscitur, & fingitur: à quorum sententia nobis recedere non licet, & ideo hæc sit.

§. II.

Nostra conclusio.

Vere dantur entia rationis.

COnclusio ista probatur: plura dantur entia, quæ non habent esse in re, sed solùm habent esse objective in intellectu: ergó verè dantur entia rationis. Prob. ant. Relatio generis ad species, & speciei ad individua, distinctio inter attributa divina, & hujusmodi alia, non habent esse à parte rei, nec illud habere possunt: ergò plura dantur entia, quæ non habent esse a parte rei, sed solum habent esse objectivè in intellectu. Prob. ant. Animal à parte rei, non refertur ad species, nec species refertur ad individua, nec unum divinum attributum est ab altero distinctum: ergò relatio generis ad species, & speciei ad individua, & distinctio intér attributa divina, non habent esse à parte rei, nec illud habere possunt. Quod etiam ipsa experientia convincit, cum videamus plura nos imaginari, & cognoscere, puta mortem, tenebras, Hircocervum, montem aureum, &c., quę omninò impossibilitatem habent ad existendum in rerum natura, de quibus tamen loquimur ac si essent entia.

Secundó probatur conclusio: in hac propositione, homo est species, quod affirmatur de subjecto, est aliquid rationis: ergò vere dantur entia rationis. Prob. ant. Quod affirmatur de subjecto in tali pro-

propositione, non est prædicatum reale, aliàs convenire individuis, quia prędicata realia, quæ competunt naturę secundum se, competunt in omni statu; individuis autem non convenit esse species: ergò quod affirmatur de subjecto in prędicta propositione, est aliquid rationis.

§. III.

Solvuntur argumenta.

ARguitur primò: Ex quo dentur entia rationis, sequitur non dari entia rationis: ergò implicat dari entia rationis. Prob. ant. Ex quo dentur entia rationis, sequitur non dari negationem entis rationis; sed negatio entis rationis est ens rationis: ergò ex quo dentur entia rationis, sequitur non dari entia rationis. Prob. min. Quęcumque negatio formaliter sumpta est ens rationis, ut articulo sequenti dicemus: ergò negatio entis rationis, est ens rationis,

Resp. neg. ant. & ad probationem dist. maj. Sequitur non dari negationem entis rationis, *sumptam remotivè*, conc. maj. *per modum formæ positivæ*, neg. mai. & dist. min. negatio entis rationis *accepta per modum formæ positivæ*, conc. min. *remotivè accepta*, neg. min. Nam ex quo dentur entia rationis, solùm sequitur non dari negationem eorum per modum removentis, secundùm quam considerationem, non est ens rationis, sed solùm accepta per modum formæ positivæ: & quamvis dentur entia rationis, potest illorum negatio concipi ad modum formæ positivę, licèt sine fundamento, undè negatio entis rationis, eo modo quo ens rationis est, numquam aufertur.

Instabis: negatio entis rationis remotivè accepta, necessariò est aliquid rationis: ergò si ex quo dentur entia rationis, sequitur non dari negationem entis rationis remotivè, etiam sequitur non dari entia rationis. Prob. ant. Negatio entis rationis remotivè accepta, nequit esse aliquid reale: ergò necessariò est aliquid rationis, nam intèr esse reale, vèl rationis, non est assignabile medium. Prob. ant. negatio entis rationis remotivè accepta, solũ habet esse objectivè in intellecta, & nullo alio modo verè existere potest: ergò nequit esse aliquid reale.

Resp. neg. duo ant. prima, & ad probationem dicimus, negationem entis rationis remotivè acceptam, non ex-

exiſtere actualitèr vere, & propriè, poſſe tamen abſolutè exiſtere verè, quia ſi nullus (ut potuit) daretur intellectus creatus, nullum ens rationis exiſteret, eo quod entia rationis in communiori ſententia, ſolùm fiunt ab intellectu creato, in quo quidèm eventu verè exiſteret negatio entis rationis ſumpta remotivè, ſiquidèm omnia entia rationis removerentur in hypoteſi dicta.

Secundò arguitur: ex quo dentur entia rationis, ſequuntur contradictoria: ergò non poſſunt dari entia rationis. Prob. ant. Ex quo dentur entia rationis, ſequitur aliquid concipi ab intellectu, quod non poteſt ab intellectu cognoſci, & aliquid cognoſci, quod priùs non fuerit cognoſcibile; ſed hæc contradictorié opponuntur: ergó ex quo dentur entia rationis, contradictoria ſequuntur. Prob. mai. quantùm ad primam partem. Non poteſt aliquid concipi ab intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu, quia omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu; ſed entia rationis, cum in re non ſint, non poſſunt in ſenſibus eſſe: ergò ex quo dentia rationis, ſequitur aliquid concipi ab intellectu, quod ab illo concipi non poteſt.

Mai. quantùm ad ſecundam partem probatur: quod non eſt, etiam non eſt cognoſcibile; ſed ens rationis non eſt priùs quàm ab intellectu cognoſcatur, cum ſolùm, dùm cognoſcitur, habeat eſſe: ergò ex quo dentur entia rationis, ſequitur aliquid cognoſci, quod priùs non fuerit cognoſcibile.

Reſp. ad argumentum, neg. ant. & ad probationem, neg. mai. ad cuius probationem, diſt. mai. Quod priùs non fuerit in ſenſu *per ſpeciem propriam, vèl alienam*, conc. mai. *per ſpeciem propriam præciſè* neg. mai. & diſt. min. non poſſunt in ſenſibus eſſe *per ſpeciem propriam*, conc. min. *per ſpeciem entis realis*, neg. min. & conſeq. Nam ut aliquid concipiatur ab intellectu, non eſt neceſſe, quod priùs fuerit in ſenſu per ſpeciem propriam, ſed ſatis eſt, quod priùs fuerit in ſenſu per ſpeciem alterius, & ens rationis, antequam concipiatur, fuit in ſenſu per ſpeciem entis realis, ad cujus ſimilitudinem poteſt cognoſci ab intellectu: ſicut priuſquam Deum concipiamus, fuit Deus in ſenſu per ſpeciem rei materialis, & non per propriam, & Pater à filio poſthumo cognoſcitur non per ſpeciem

pro-

ipse Deus per omnem actum proprij intellectus faceret ens rationis; sed hoc dicendum non est, ut etiam pluriès ipsi Adversarij fatentur: ergò nec, quod illa denominatio ponat in subiecto aliquid rationis. Undè dicimus, quod licet cognitio, à qua provenit talis denominatio, non sit forma realis realiter informans rem cognitam, est tamen forma realis, quę realitèr denominat illam, siquidem obiectum realitèr denominatur cognitum, sicut etiam intellectus realiter cognoscit objectum: & sic, estò denominatio prædicta non proveniat à forma realitèr inhęrente, quia tamen provenit à forma denominante realiter, erit aliquid reale, & non aliquid rationis.

Confirmatur ratio suprà facta conclusionis: denominatio dextri, vel sinistri est denominatio realis: ergò idem de omni alia dicendum. Prob. ant. Nullo intellectu considerante, nec aliqua potentia apprehendente, columna dicitur dextra, si sit ad dexteram manum, & sinistra, si sit ad latus sinistrum: ergò denominatio dextri, vel sinistri est denominatio realis,

Dices: columnam nullam realem habitudinem importare ad manum, a qua denominatur dextra, vel sinistra, nec manum importate habitudinem ad columnam: ergò columna non potest à manu realiter denominari dextra, vel sinistra.

Sed contra est: quia verè à parte rei columna approximatur magis ad unam, quàm ad alteram manum, propinquitas autem, vel approximatio ista est aliqua realis habitudo, sicut etiam distantia inter duo extrema, album, v. g. & nigrum, realis habitudo est.

§. II.

Solvuntur argumenta.

COntrâ conclusionem arguitur primó. Aliqua denominatio extrinseca est aliquid rationis: ergò ens rationis potest consistere in aliqua denominatione extrinseca. Prob. ant. Habitus Logicę denominatur extrinsecè specificatus ab ente rationis, quod est obiectum specificativum illius, ut diximus in art. ultim. lib. 1. cum de obiecto Logicæ ageremus, sed talis denominatio est aliquid rationis: ergò aliqua denominatio extrinseca est aliquid rationis. Prob.min. Prædicta denominatio non distinguitur à forma denominante; sed forma denominans, à qua provenit, est forma rationis, ipsum scilicet obiectum

Logica ſpecificans habitum realem : ergò prędicta denominatio aliquid rationis eſt.

Reſp. prędictam denominationem eſſe aliquid rationis, cum non ſit diſtincta ab objecto denominante, ac proinde debet eſſe entitativè rationis, ſicut & ipſum objectum, à quo provenit, quod libentèr fatemur: in præſenti enim non loquimur de quacumque extrinſeca denominatione, ſed de illa tantum, quę provenit à forma reali.

Secundò arguitur : denominatio extrinſeca cogniti eſt aliquid rationis: ergò denominatio extrinſeca, quæ provenit à forma reali, eſt aliquid rationis. Prob. ant. Talis denominatio habet tantum eſſe in intellectu, & ſolùm exiſtit, dùm intellectus cognoſcit objectum : ergò denominatio extrinſeca cogniti eſt aliquid rationis.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. ant. habet tantum eſſe *ſubiectivum*, conc. ant. *obiectivum*, neg. ant. & conſeq. Nàm ens rationis ſolum habet eſſe obiectivum in intellectu ; denominatio autem extrinſece cogniti non ſolum habet eſſe obiectivum, ſed etiam habet eſſe ſubiectivum in intellectu, eo quod eſt eadem entitas cum cognitione denominante, & ſicut cognitio intrinſecè in intellectu recipitur, ità etiam denominatio extrinſeca cogniti.

Inſtabis : quando ens rationis poſteà eſt extrinſecè cognitum, illa denominatio cogniti tantùm habet eſſe obiectivum in intellectu : ergò nulla eſt data ſolutio. Prob. ant. Hęc propoſitio : *ens rationis eſſe extrinſecè cognitum eſt aliquid reale* : eſt falſa ; ergò illa denominatio extrinſeca in ente rationis cognito tantùm habet eſſe obiectivum in intellectu. Prob. ant. In prędicta propoſitione extrema non ſupponunt pro eodem: ergò prędicta propoſitio eſt falſa. Prob. ant. In propoſitione prędicta prædicatum ſupponit pro ente reali, ut patet, & ſubiectum ſupponit pro ente rationis, ſiquidem ſupponit pro ſubiecto denominationis prædictę, quod eſt ens rationis cognitum, eo quod omnia concreta pro ſuo ſubjecto ſupponunt : ergò in propoſitione prędicta extrema non ſupponunt pro eodem.

Reſp. neg. omnia antecedentia, quia in prędicta propoſitione ly *eſſe extrinſecè cognitum* appellat conceptum proprium denominationis extrinſecæ, ideòque propoſitio eſt vera, quia ſubjectum ſupponit pro illo eſſe

esse extrinseco reali, vèl pro subiecto materiali, reduplicativè ut habente tale esse extrinsece cognitum, secundum quam considerationem est aliquid reale : undè subjectum, ut in tali propositione ponitur, pro aliquo reali supponit, ac proindé extrema supponunt pro eodem & propositio vera est,

Tertiò arguitur : Denominatio extrinseca visi non non ponit aliquid reale etiam extrinsecum in subjecto, quod denominat ; sed hæc denominatio provenit à forma reali, scilicét à visione, quæ realis est ; ergò non omnis denominatio extrinseca proveniens à forma reali ponit aliquid reale etiam extrinsecum. Prob. mai. Quidquid est reale, vel est substantia, vèl accidens, sed illa denominatio non ponit aliquid quód sit substantia, vel accidens in subjecto, quod denominat : ergò non ponit aliquid reale etiam extrinsecum in subjecto, quod denominat. Mai. patet. Minor quantùm ad utramque partem sic probatur. Quoad primam quidem, quia talis denominatio non habet esse per se : ergò non ponit aliquid, quod sit substantia, cum substantiæ debeatur esse per se. Quantum ad secundam verò sic ostenditur. Talis denominatio non inhæret intrinsecè subjecto extrinsecé denominato : ergó non ponit aliquod accidens, quia de ratione accidentis est inhærere.

Resp. neg. mai. & ad prob. neg. min. ad cuius probationem concesso entimmemate primo, neg. conseq. secundi. Denominatio namque extrinseca visi ponit in subjecto, quod denominat, aliquod accidens, licèt extrinsecum, quia talis denominatio importat visionem ipsam, ut extrinsecè objecto applicatam ; visio autem est verum accidens : nèc necessarium est, denominationem, & accidens prædictum inhærere objecto, sed satis est, quòd inhæreat in potentia visiva, eo quod accidens debet inhærere subjecto, in quo recipitur, & à quo substentatur in esse, non tamèn in subjecto illo, quod extrinsecè afficit.

Tandèm arguitur : Denominatio duplicis corporis, ut simul coexistentis, solam habitudinem rationis importat : ergò in illa poterit ens rationis consistere. Prob. ant. Talis denominatio nullam importat habitudinem realem : ergò solam importat habitudinem rationis. Prob. ant. Ta-

lis habitudo oritur ex ſimultate exiſtentię utriuſque corporis; ſed ex quo ſimúl exiſtant Hiſpanus v.g. & Gallus nullam habitudinem realem importare poteſt Hiſpanus ad Gallum, aliàs eadem ratione poſſet dicere diverſas habitudines reales ad alia corpora coexiſtentia, & ſic uſque in infinitum: ergò prædicta denominatio nullam importat habitudinem realem.

Reſp. neg. duo antecedentia, prima, & ad probationem neg. min. Quia duo corpora ſimul exiſtentia dicunt habitudinem realem ad tempus, tanquam ad menſuram ſimul menſurantem utrumque, & à qua utrumque extrinſecè denominatur coexiſtens; coexiſtere namque unum alteri eſt unum dicere habitudinem ad menſuram temporis, ut etiam alterum menſurantis: cumque Hiſpanus exiſtat in eodem tempore, in quo exiſtit Gallus, in re dicere poteſt habitudinem ad tempus ſimùl utrumque menſurans, & à quo coexiſtentes denominantur, quin ex hoc liceat inferre, quod in ipſo dentur habitudines reales infinitę, quia unica habitudine coexiſtentiæ poteſt alia corpora coexiſtentia reſpicere, ſicut pater unica relatione reſpicit plures filios, etiam de novo natos.

ARTICULUS IV.

Utrum Ens rationis conſiſtat in aggregato ex extrimis realibus, & cognitione intellectus, ea falsò adunante?

§. I.

Statuitur negativa concluſio.

AFfirmant communitèr recentiores Ieſuitę, ens rationis conſiſtere in pluribus entibus realibus falsò adunatis per actionem intellectus, propterea que ens rationis eſſe aggregatum per accidens ex extremis prædictis, & cognitione intellectus, per quam falsò iudicantur unita realitèr, aut realitèr identificata, cum tamen realitèr identificata non ſint, nec poſsint talem identitatem habere. Cæterum Thomiſtæ oppoſitum unanimi conſenſu defendunt, cum quibus erit noſtra ſententia, & concluſio.

§. II.

Ens rationis non conſiſtit in aggregato ex extremis realibus & cognitione intellectus ea falsò adunante.

PRobatur concluſio noſtra: Magis diſtat ens rationis

nis ab ente reali, quàm accidens à ſubſtantia, indiviſibile à diviſibili, ſpirituale à materiali; ſed ex duplici accidenti nequit reſultare ſubſtantia, & ex duplici indiviſibili non poteſt diviſibile, & èxtenſum reſultare, neque ex duplici ente ſpirituali ſubſtantia, vel ens materiale reſultare poteſt, ut per inductionem videri poteſt: ergò ex extremis, quorum unumquodque eſt reale, & actione intellectus utrumque adunante non poteſt reſultare aliquid rationis formaliter, ac proindè in aggregato prædicto nequit ens rationis conſiſtere.

Ulterius probatur concluſio noſtra ratione; ens rationis, ut diſtinctum ab ente reali *tantum habet eſſe obiectivè in intellectu*, ut diximus cum D. Th. art. 1. huius quæſt. & etiam ipſi adverſarij fatentur; ſed prædictum aggregatum non habet tantum eſſe obiectivè in intellectu: ergò in illo ens rationis conſiſtere non poteſt. Prob. min. Extrema realia realitèr exiſtunt, & actio realis intellectus, per quam adunantur extrema, etiam exiſtit realitèr, & non ſolùm obiectivè; ſed prædictum aggregatum nihil aliud includit, etiam in ſententia contraria, præter hæc enumerata: ergò non habet tantum eſſe obiectivè in intellectu.

Reſpondent Adverſarij, extrema falsò adunata ſeorſim ſumpta realitèr exiſtere, non tamen exiſtere realitèr ut terminata cognitionem, hæc namque terminatur ad illa, non accepta diviſivè, ſed potiùs quatenùs unita, & identificata realitèr, quę unio, & identitas realiter impoſsibilis eſt.

Sed contrà eſt: ergò ideò cognitio prędicta facit ens rationis, quia concipit extrema ut unita, & identificata realitèr, & hęc unio realiter impoſsibilis eſt; ſed talis identitas eſt entitativè diverſa ab extremis realibus, & cognitione falsò adunante: ergò non in his conſiſtit ens rationis, ſed in aliquo ſuperaddito entitativè. Prob. min. Talis identitas non eſt realis; ſed aliquid purè obiectivũ, & cui eſſentialitèr repugnat exiſtere à parte rei: ergò entitativè diſtincta eſt ab extremis, & cognitione adunante, aliàs illi non repugnaret exiſtere, ſicut non repugnat extremis, & cognitioni adunanti.

Ulterius promovetur ratio probativa noſtrę concluſionis: ens rationis non poteſt realitèr exiſtere; ſed prædictum aggregatum poteſt exiſtere realitèr: ergò ens rationis non conſiſtit in prædic-

to aggregato. Prob. min. Aggregatum nihil aliud eſt præter partes; ſed ſingulę partes poſſunt exiſtere realitèr: ergò & ipſum aggregatum poteſt realitèr exiſtere. Veritas minoris clareſcit, quin illam obſcurare, obſiſterevè poſsit reſponſio Adverſariorum dicentium, aggregatum nihil aliud eſſe prętèr partes ut unitas, illaſque prout ſic realitèr exiſtere non poſſe. Quia partes ut unitę realitèr exiſtere poſſunt, ſi unio partium realitèr poteſt exiſtere; ſed unio prędictorum extremorum realitèr exiſtere poteſt: ergò & aggregatum quoad ſingulas ſuas partes. Prob. min. Unio prędictorum extremorum eſt actio realis intellectus; ſed hæc realitèr exiſtit, ut per ſe patet, & realitèr apprehendit extrema: ergò unio prædictorum extremorum realitèr exiſtere poteſt.

Dices: actio intellectus non unit verè, & realitèr extrema, ſed tantum falsò, & ex modo, quo tendit ad illa, & conſequentèr totum ex illis coaleſcens realitèr exiſtere non poteſt.

Contrà tamen eſt: quia ſi ſolutio tenet, ipſa cognitio ſumpta entitative non erit unio, nàm ſecundum iſtam rationem realitèr exiſtere poteſt, ſed ſolùm erit unio ex modo tendendi, & quatenus extrema ut unita cognoſcit; ſed talis unio cognita non eſt realis, quia unioni paſsivę cognitę repugnat exiſtentia realis: ergò ens rationis non conſiſtit in aggregato ex entibus realibus, ſed in aliquo alio ſuperaddito entitativè.

Inſtant Adverſarij unanimiter aſſerentes, quod ut cognitio uniat ex modo tendendi, non requiritur, quod unionem obiectivam attingat, ſed ſatis eſt, quod modo unitivo tendat ad extrema.

Sed contra: quia cognitio illa unitiva (iuxta ipſos Adverſarios) falſa eſt; ſed ab eo quod res non eſt, dicitur falſa cognitio: ergo cognitio unitiva attingit unionem, quæ non eſt, nec poteſt realitèr eſſe. Sed in illa unione conſiſtit ens rationis: ergò conſiſtit in aliquo, quod nec eſt, nec poteſt eſſe, ac proindè non in aggregato ex entibus realibus, ſed in aliquo ſuperaddito entitativè debet ens rationis conſiſtere.

Inſiſtunt adhuc dicentes, quod cognitio illa unitiva obiectivam unionem attingit, non tamen fictam, ſed veram, & realem, falsò tamen applicatam extremis.

Sed contrà eſt: quod unio illa applicata ut ſic applicata realiter exiſtere nequit:

quit: ergò prout sic vera, & realis non est, alias realiter existere posset.

§. III.

Argumenta contrariorum solvuntur.

COntra conclusionem nostram arguitur primo: coexistentia, quam possumus apprehendere Petri seorsim possibilis, & illius carentiæ seorsim etiam possibilis, est aliquid rationis: sed coexistētia prędicta nihil aliud includit pręter carentiam, & Petrum, ut falsò adunata per actionem intellectus: ergò in aggregato ex extremis realibus, ut falsò adunatis per actionem intellectus, debet ens rationis consistere. Prob. min. Existente modo Petro, & non illius carentia, deficit coexistentia utriusque; sed non deficit coexistentia prędicta per defectum Petri, qui modo est, sed præcisè per defectum carentiæ, quæ modo non est simul cum Petro: ergò prædicta coexistentia nihil aliud includit pręter carentiam, & Petrum, ut falsò adunata per actionem intellectus.

Resp. neg. min. & ad prob. dist. min. per defectum Petri *quantum ad entitatem*, conc. min. *quoad ordinem realem ad idem tempus*, neg. min. & conseq. Quia coexistentia utriusque extremi, Petri scilicet, & illius carentię, importat ordinem realem ad idem instans, vel ad idem tempus, ut mensuram utriusque, qui ordo non reperitur in Petro, deficiente illius carentia, & ideò deficiente carentia deficit coexistentia utriusque, non solùm propter defectum carentię, sed etiam propter defectum Petri quantum ad ordinem realem ad idem tempus, ut mensuram utriusque, qui ordo in Petro non est deficiente carentia.

Instabis: deficit coexistentia utriusque præcisè per defectum alicuius, quantum ad entitatem: ergò nulla est data solutio. Prob. ant. Objectū huius propositionis, Petrus *existit, vel existit eius carentia*, deficit pręcisè per defectum cuiuslibet quantum ad entitatem: ergò etiam coexistentia Petri, & illius carentię pręcisè deficit per defectum alicuius quantum ad entitatem. Prob. conseq. Propositio copulativa, & disiunctiva eiusdem materiæ non differunt ex obiecto, sicut non differunt, existit Petrus, vel Paulus existit, & Petrus, & Paulus simul existunt: ergò sicut deficit obiectum illius propositionis, *Petrus existit, vel existit eius carentia*, præcisè per defectum cuiuslibet quantùm ad entitatem, ità etiam in hac

Petrus exiſtit, & exiſtit eius carentia, deficiet coexiſtentia utriuſque præciſe per defectum alicuius quantum ad entitatem.

Reſp. neg. ant. & ad prob. neg. conſeq. ad cuius probationem diſt. ant. non differunt ex obiecto *materialiter ſumpto*, conc. ant. *formaliter accepto*, neg. ant. & conſeq. Propoſitio namque copulativa, & diſiunctiva eiuſdem materiæ, licet non differant in obiecto ex parte extremorum materialiter, benè tamen ex parte illorum formaliter, quia in obiecto copulativè importatur ordo realis coexſtentiæ, vel ſimultatis in exiſtendo, & in obiecto diſiunctivè talis ordo non reperitur, ſicut etiam in obiecto copulativè importatur aliquid impoſsibile, ſcilicet, quod ſimul ſit verum, Petrum exiſtere, & exiſtere eius carentiam, quia requirit utramque partem eſſe veram, quod quidem in obiecto diſiunctivè non importatur.

Secundò arguitur: ex extremis, quorum unumquodque eſt reale, poteſt reſultare aliquid rationis: ergò in aggregato ex extremis realibus falsò adunatis poterit ens rationis conſiſtere. Prob. ant. Ex ſimplicibus, & incorruptibilibus poteſt reſultare compoſitum corruptibile: ergò ex extremis, quorum unumquodque eſt reale, poterit reſultare aliquid rationis. Ant. patet, quia homo componitur ex materia, & forma, quarum quælibet ſimplex, & corruptibilis eſt. Conſeq. verò probatur. Magis diſtat incorruptibile à corruptibili, & ſimplex à compoſito, quam ens reale ab ente rationis, ſiquidem incorruptibile differt genere à corruptibili, ut dicit D. Th. 10. Metaphiſ. lect. 12. & quod convenit ſimplici nequit convenire compoſito, ut ipſe D. Th. ait 1 p. q. 3. art. 7. ens verò rationis convenit genere cum ente reali, ut dictum eſt art. 1. huius quæſtionis: ergò ſi ex ſimplicibus, & incorruptibilibus poteſt reſultare compoſitum corruptibile, multò magis ex extremis, quorum unumquodque eſt reale, poterit reſultare aliquid rationis.

Reſp. neg. ant. & ad prob. neg. conſeq. ad cuius probationem dicimus, maiorem eſſe diſtantiam inter ens reale, & rationis, quàm inter corruptibile, & incorruptibile, ſimplex, & compoſitum, quia incorruptibile, licet differat in genere phiſico à corruptibili, poteſt cum illo convenire in una ratione communi, vel ſubſtantiæ, vel qualitatis, vel alicuius huiuſmodi, ut

lect.cit. inquit D. Th.; ſimiliterque licet aliqua denominatio conveniat ſimplici parti, quę non convenit toti compoſito, ſive homogeneo, ſive ęthereogeneo, tamen ſimplex, & compoſitum convenientiã habent nedum in genere logico, ſed etiam phiſico; ſed ens rationis ſolùm convenit cum ente reali in prædicato communiſsimo entis; unde ex ſimplicibus poteſt reſultare compoſitum, quia ens compoſitum ſubſtantiale, & per ſe tale reſolvitur in partes ſimplices, & illas neceſſariò requirit. Et rurſus partes ſimplices poſſunt uniri, & ſi ſemel uniuntur, debet reſultare cõpoſitum, nàm compoſitio eſt diſtinctorum unio, & ideò ex ſimplicibus poteſt compoſitũ reſultare, cui repugnet denominatio ſimplicis; quæ eſt propria partis, ut diſtinguitur à toto, ſive homogeneo, ſive ęthereogeneo. Similiter extrema incorruptibilia poſſunt corruptibiliter uniri, quatenùs forma poteſt amiſsibiliter informare materiam, & ità propter unionem corruptibilem, & defectibilem poteſt ex incorruptibilibus corruptibile reſultare; verum ex extremis realibus nequit reſultare aliquid rationis, quia extrema realia etiam uniuntur unione reali, videlicet per actionem ipſam intellectus falsò realiter adunantis.

Ex quibus conſtat, denominationem *ſimplicis* eſſe propriam partium, ſicut illarum propria eſt denominatio *partis*, conſequenterque toti convenire non debere; denominationem verò *realis* poſſe, & debere eſſe partibus, & toti communem, ſi partium unio realis eſt, & ideò toti debere convenire, ſi ſuprà partes reales ſolùm ſuperaddit unionem realem, nàm in hoc eventu totum nihil non reale importat, cum totum nihil aliud ſit pręter partes ut unitas: unde cum Adverſarij non ſolùm partes reales, ſed etiam unionem realem ſtatuãt media cognitione falſa, conſequens fit nihil non reale ex illis reſultare.

Tertiò arguitur: coexiſtentia gratiæ cum peccato eſt aliquid rationis; ſed hęc coexiſtentia nihil involvit præter gratiam, & peccatum, & actionem intellectus falsò adunantem: ergò in eggregato prędicto conſiſtit ens rationis.

Reſp. neg. min. quia in coexiſtentia gratię cũ peccato, præter gratiam, & peccatum, & actionem intellectus falsò adunantem reperitur ordo ad idem tempus, ut menſuram utriuſque, qui ordo realiter impoſsibilis eſt cum nõ poſsit exiſ-

exiſtere à parte rei, nec poſsit eſſe in re aliqua conventio lucis gratiæ ad tenebras peccati, & ità talis coexiſtentia, præter extrema enumerata, includit aliquid impoſsibile ab extremis condiſtinctũ, quod propterea mirum non eſt eſſe aliquid rationis.

Dices prædicta coexiſtentia, quatenus ficta formalitèr, eſt ens rationis, ſed quatenùs ficta eſt, nihil non reale importat: ergò ex extremis purè realibus poteſt reſultare coexiſtentia rationis. Prob. min. coexiſtentia illa, quatenus ficta eſt, conſtituitur per fictionem, & de materiali gratiam, & peccatum importat; ſed gratia, & peccatum ſunt realia, & fictio etiam realis eſt: ergò coexiſtentia, quatenus ficta, nihil non reale importat.

Reſp. neg. min. & ad prob. diſt. maj. per fictionem, *terminativè ſumptam*, conc. mai. *activè ſumptam*, neg. mai. & diſt. min. & fictio, *activè ſumpta*, etiam realis eſt, conc. min. *terminativè accepta*, neg. min. & conſeq. Quia licet fictio activè ſumpta ſit actio realis, terminativè tamèn accepta realis non eſt; ſed potius eſt aliquid fictum productum per fictionem intellectus: cumque coexiſtentia, quatenùs ficta, conſtituatur formaliter per terminum, & ens rationis conſequutum ad actionem fingentem, & per illam productum, indè fit coexiſtentiam, ut fictam per aliquid reale non conſtitui, ſed formam rationis adinventam, & productam, tanquam ſui conſtitutivum involvere.

ARTICULUS V.

Utrum ens rationis conſiſtat in aliquo ficto, realitèr impoſsibili, & ab omni poſsibili condiſtincto?

§. I.

Statuitur affirmativa Concluſio.

EX dictis in articulis præcedentibus conſtare poterat ſtatuta concluſio; quia ſi ens rationis non conſiſtit in aliqua denominatione extrinſeca proveniente à forma reali, nec in aggregato, ex pluribus realitatibus compoſito, neceſſariò debet conſiſtere in aliquo diſtincto ab omni ente reali, & conſequẽtèr in aliquo impoſsibili, & ficto, nam omnia entia poſsibilia, & vera entia realia ſunt. Quapropter hæc erit.

§.

§. II.

Noſtra concluſio.

Ens rationis conſiſtit in aliquo ficto, realitèr impoſsibili, & ab omni poſsibili condiſtincto.

PRobatur Concluſio noſtra : ens rationis illud eſt, quod tantùm habet eſſe objectivè in intellectu, in qua doctrina perpetuus fuit Ariſt. & non aliam unquam tradidit D. Th. & ex eo conſtat, quod ſi prætèr eſſe objectivum haberet aliud eſſe, ipſum haberet extra intellectum, aut â parte rei, conſequentèrque verè haberet eſſe reale, & non eſſet ens rationis; ſed eſſe puré objectivum eſt eſſe fictum, & eſſentialitèr impoſsibile; ergò ens rationis conſiſtit in aliquo ficto, & impoſsibili, adæquatè diſtincto ab omni poſsibili. Prob. min. Eſſe puré objectivum non poteſt exiſtere à parte rei, aliàs non eſſet purè objectivum: ſed eſſet verum ſubjectivum, & reale: ergò eſſe puré objectivum eſt eſſe fictum, & eſſentialitèr impoſsibile, nam ſoli impoſsibili repugnat eſſentialitèr exiſtentia realis.

Secundò probatur ex doctrina Adverſariorum : nam ideò non poſſet ens rationis conſiſtere in aliquo eſſe ficto, & impoſsibili, ab omni poſsibili condiſtincto, quia tale objectum non poteſt ab intellectu cognoſci : ſed poſſe ab intellectu cognoſci tenentur Adverſarij concedere: ergò in tali eſſe ficto, & impoſsibili debet ens rationis conſiſtere. Prob. min. Dùm Adverſarii negant poſſe cognoſci tale objectum, ipſum neceſſariò cognoſcunt, quia de objecto non cognito nihil poteſt intellectus affirmare, vel negare: ergò tale objectum poſſe ab intellectu cognoſci tenentur Adverſarii concedere.

Confirmatur utraque ratio: cum dicimus, *Mons eſt aureus*, *homo eſt equus*, *alter Deus eſt poſsibilis*, entia rationis formamus; ſed talia entia rationis conſiſtunt in entitate impoſsibili ab omni poſsibili condiſtincta; & idem de omni alio dicendum : ergò omne ens rationis conſiſtit in aliquo impoſsibili entitativè ab omni poſsibili condiſtincto. Prob. min. Talia entia rationis conſiſtunt in identitate, quam conſtituimus inter *hominem*, & *equum*. aut inter *montem*, & *aurum*; ſed hęc identitas eſt quædam entitas impoſsibilis diſtincta à quocum

cumque possibili: ergò talia entia rationis consistunt in entitate impossibili ab omni possibili condistincta. Prob. min. Talis identitas entitative distinguitur ab entitate hominis, & equi, & ab omni alia possibili: ergò est entitas impossibilis ab omni possibili condistincta. Prob. ant. De eadem entitate non potest verificari, quod existit & non existit, ut unanimiter asserunt Adversarii; sed de tali entitate verificatur modò, quòd non existit, aliàs homo, & equus de facto identificarentur realiter, & de entitate hominis, & equi verificaretur existere: ergò idētitas prædicta entitative distinguitur ab entitate hominis, & equi, & ab omni alia possibili: nàm de quacumque alia possibili potest verificari, aliquandò existit, sed de hac identitate semper est verum, nunquam existere.

Respondent Adversarii cum P. Lossada, quod dùm dicimus: *Mons est aureus, homo est equus, & alter Deus est possibilis*, non formamus entia rationis, sed solùm falsò attingimus objecta prædicta affirmando de subjecto prędicatum, quod illi convenire non potest.

Sed hæc solutio etiam in ipsorum doctrina impugnationem, & falsitatem invenit, nam ipsi asserunt ens rationis consistere in aggregato ex extremis realibus, ut falsò adunatis per actionem intellectus, ita ut conjunctio, vel simultas utriusque non distinguatur ab extremis ipsis: sed dùm dicimus, *homo est equus, alter Deus est possibilis*, extrema hęc falsò adunantur per actionem intellectus: ergò, dùm talia dicimus, entia rationis formamus.

Respondent alii: prędictos actus esse falsos, & entia rationis formare, non tamen attingere aliquod entitative impossibile, sed solùm attingere entitates hominis, & equi, montis, & auri quarum unam de altera affirmant.

Sed contrà est; quia dùm dicimus, *mons est aureus, homo est equus*, attingimus identitatem inter extrema prędicta; sed talis identitas est entitas impossibilis, ut antecedenter vidimus: ergò attingimus aliquid entitativè impossibile. Prob. mai. Id attingimus, quod per actus affirmamus; sed per actus prædictos affirmamus montem identificari cum auro, & equum cùm homine: ergò attingimus identitatem inter extrema predicta. Prob. min.

min. Hominem esse equum, est identificari cum equo, & non aliud; sed per actus prædictos, affirmamus hominem esse equum, & montem esse aureum: ergò affirmamus identificari extrema prędicta.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntra conclusionem arguitur primò: Implicat objectum positivum purè fictum, & ad omni possibili condistinctum: ergo in tali objecto nequit ens rationis consistere. Prob. ant. primò. Implicat objectum, ex cuius positione sequuntur: contradictoria; sed ex quo detur objectum positivum purè fictum distinctum ab omni possibili, *alter Deus*, v. g. duo contradictoria sequuntur: ergò implicat tale objectum. Prob. min. Sequuntur contradictoria sequentia: *si daretur alter Deus, existeret; si daretur alter Deus, non existeret*, quia ex impossibili sequitur utrumque: ergò duo contradictoria sequuntur.

Secundò prob. ant. Omne objectum positivum debet esse saltim apparenter ens, sed objectum pure fictum distinctum ab omni possibili non est apparenter ens: ergò implicat tale objectum. Prob. min. Quod est apparenter ens, licet non sit verè ens, verè tamen est apparentia entis, & illius similitudo, sicut imagò Div. Th. licet non sit verè D. Th. est tamen vera illius similitudo. Sed objectum purè fictum ab omni possibili condistinctum nequit esse verè apparentia entis, eo quòd tale objectum est nihil verum, & nihil verum nequit esse vera apparentia alicuius: ergò objectum purè fictum ab omni possibili condistinctum non est apparenter ens.

Resp. ad arg. neg. ant. & ad prob. neg. min. ad cujus prob. neg. suppositum, quod, scilicet illæ propositiones, *si daretur alter Deus, existeret, si daretur alter Deus non existeret*, sint contradictoriæ, cum copula, & particula conditionalis in nulla earum negetur, quod ad contradictionem conditionatam erat necessarium, ut in Dialectica dictum est, essent tamen contradictoriæ conditionatæ, si in secunda diceretur, *non si daretur alter Deus, existeret*, quę propositio falsa est, nam si daretur alter Deus, existeret, & non existeret simúl, & ita fal-

falsum est, quod non si daretur, existeret, & non existeret, quod significatur per illam propositionem: non si daretur, existeret.

Ad secundam probatiònem ant. resp. neg. min. & ad prob. dist. mai. verè est apparentia entis, *veritate enuntiativa*, conc. mai. *subiectiva*, neg. mai. & dist. min. verè *veritate subjectiva*, conc. min. *enuntiativa*, neg. min. & conseq. Quia quamvis objectum positivum purè fictum, & ab omni possibili condistinctum non habeat in se, & subjectivè ullam veritatem transcendentalem, nec aliquam apparentiã, & similitudinem veram, cum hoc sit proprium entis, quod dividitur per decem prædicamenta, & quod in re aliquid ponit, sed solùm apparentiam, & similitudinem fictam, sicut ipsum esse rationis; habet tamèn veritatem objectivam, & enuntiabilem, verèque veritate enuntiativa est apparentia, & similitudo entis, secundum quod *ens* significat veritatem rei, vel quod aliquod dictum est verum, ut inquit D. Th. 5. Metaph. lect. 9. Nam hęc propositio: Ens rationis est apparentia, & similitudo ficta, verissima est: sicut etiam est hæc. Cæcitas est in oculo, quę exempli causa ponitur à D. Th. tùm hic, tũ trac. de ente, & essent. Cap. 1. & 1. p. q. 48. art. 2. ad 2.

Secundò arguitur: Dùm intellectus affirmat hominem esse equum, facit identitatem rationis; sed talis identitas impossibilis, & ficta non est: ergò non omne ens rationis consistit in aliquo ficto, & impossibili, ab omni possibili condistincto. Prob. min. Dùm intellectus affirmat hominem esse equum, affirmat identitatem possibilem, & realem nam si fictam identitatem affirmaret, propositio non esset falsa, siquidem inter extrema prædicta datur identitas ficta: ergò talis identitas impossibis & ficta non est.

Resp. neg. min. & ad probationem dist. ant. possibilem, & realem *apparenter*, conc. ant. *verè possibilem, & realem*, neg. antec. & conseq. Nam identitas, quam intellectus affirmat, solùm est possibilis, & realis apparenter, sed in rei veritate impossibilis, & ficta est, ideoque propositio affirmans hominem esse equum falsa est, quia identitatem fictam, & rationis tanquam veram identitatem affirmat, saltùm ex modo proferendi, & ex vi cognitionis, & assertionis directæ:

cum

in aliquò fictò realitèr impoſ. cum tamen identitas illa vèra non ſit.

Inſtabis: prædicta propoſitio affirmat identitatem realem verè talem: ergò nulla eſt ſolutio. Prob. ant. Iſtæ propoſitiones: *homo eſt equus homo non eſt equus*, ſunt contradictoriæ, cum ſint eiuſdem de eodem, pugnentque in veritate, & falſitate: ſed ſecunda negat identitatem realem verè talem: ergò prima identitatem realem verè talem affirmat, & non fictam, quia contradictoriæ neceſſariò debent habere idem objectum. aliàs contradictoriè non eſſent.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. mai. contradictoriè *pro formali*, conc. mai. *pro ſubſtracto*, & *materiali* neg. mai. & conc. min. diſting. conſeq. & non fictam, ut *talem*, conc. conſeq. ut *veram* neg. conſeq. Illis namque propoſitionibus: *homo eſt equus homo non eſt equus*, repugnat formalitèr eſſe ſimùl veras, & ſimùl eſſe falſas, cum ſint ſimilis quantitatis, ſimilis ſitus, & acceptionis terminorum, primaque affirmet identitatem fictam tanquam veram ex modo aſſerendi, & enuntiandi, & ex parte ipſius obiecti hæc identitas tamquam vera reluceat, & attingatur pro formali; ſecunda verò, neget identitatem veram pro formali, ac proindè pro formali ſibi invicem contradicunt, cum una neget, ut veram identitatem, quam altera, ut veram, affirmat. Verùm pro materiali, & ſubſtracto prædictæ propoſitiones non affirmant, & negant idem de eodem, quia prima affirmat identitatem fictam, ſecunda verò negat identitatem veram, & ita poſſunt eſſe ſimùl veræ, & non ſibi invicem contradici: ſicut iſtæ: homo eſt albus, homo non eſt albus, homo eſt probus, homo non eſt probus: quas 2. Periherm. lect. 11. aſſerit D. Th. eſſe ſimùl veras.

Tertiò arguitur: Impoſſibile non exigit ex conceptu talis entitativè diſtingui à quocumque poſsibili: ergò ex quo ens rationis conſiſtat in eſſe fictò, & impoſsibili, non infertur conſiſtere in aliquo ab omni poſsibili entitativè diſtincto. Prob. ant. Si Petrus modo exiſtens ſupponeretur ſimùl exiſtens, & non exiſtens, daretur aliquod impoſsibile; ſed hoc impoſſibile non diſtingueretur à Petro poſsibili, & modo exiſtente: ergo impoſsibile ex conceptu talis non exigit entitativè diſtingui à quocumque poſsibili. Prob. min. Impoſ-

possibile prædictum non distingueretur ab ea entitate, de qua in hypotesi illa verificaretur existere simùl, & non existere; sed illa entitas esset eadem entitas Petri existentis, aliàs entitas Petri modò existentis non esset in illâ hypotesi facta impossibilis: ergò illud impossibile non distingueretur à Petro possibili, & modo existente.

Resp. neg. antec. & ad probat. dist. min. non distingueretur *sub conditione impossibili identitatis*, conc. min. *illa secluſa*, neg. min. & conseq. Certissimum namque est quod si Petrus modo existens supponeretur; simúl existere & non existere, esset idem entitativè cum impossibili, sed hoc haberet sub conditione identitatis impossibilis, nam qui supponit Petrum modo existentem existere, & non existere simùl, supponit Petrum identificatum cum existentia, & non existentia, & consequentèr cum impossibili, & ideo probat Petrum identificari cum impossibili, suppositâ identitate cum illo, & quod suppositâ identitate idem sit, mirum non est, sed potiùs est necessarium: nunquam tamen impossibile identificatur cum possibili absolutè, & secluſa impossibili conditione, quod nos asserimus, & cuius oppositum, qui arguit, probare debebat. Qua solutione facile occurri potest aliis incommodis, quæ ex conclusione nostrâ dedisscunt Adversarii.

Quarto arguitur: ens purè fictum, & adæquatè distinctum à quocumque possibili, non est verè intelligibile, sed ens rationis est verè intelligibile: ergò non consistit in aliquo impossibili adæquatè distincto à quocumque possibili. Probat. mai. primo. Quod est verè intelligibile, est intelligibile non fictè; sed ens purè fictum non est intelligibile non fictè: ergò ens purè fictum, & adequatè distinctum à quocumque possibili non est verè intelligibile. Prob. min. Quidquid est intelligibile non fictè est realiter intelligibile, idem namque est esse tale non fictè, & esse realiter tale, quia id quod verè, & non fictè est tale, tale est antè operationem intellectus, & à parte rei; sed ens purè fictum non est realitèr intelligibile: ergó non est intelligibile non fictè.

Secundò probat. mai. Quidquid est cognoscibile, priùs debet esse cognoscibile, quàm cognitum; sed ens purè fictum non est priùs

cog-

cognoſcibile, quam cognitum quia antequam cognoſcatur, non eſt: ergò prædictum ens non eſt verè cognoſcibile.

Reſp. ad argumentum diſt. mai. non eſt verè intelligibile *intrinſecè*, con. mai. *extrinſecè*, neg. mai. & ſub eadem diſtinctione min. neg. conſeq. Ad primam verò probationem diſt. mai. *eo modo quo verè intelligibile*, conc. mai. *alio modo* neg. mai. & diſt. min. *non fictè intrinſecè*, conc. min. *extrinſecè* neg. min. Nam eo modo, quo ens rationis eſt verè intelligibile extrinſecè, denominatione ſumpta à potentia verè potente ipſum cognoſcere, eo inquam, modo eſt intelligibile non fictè, ſed potiùs eſt cognoſcibile vere à potentia vere cognoſcente ipſum; licet intrinſece, & ſubjective ſit intelligibile fictè, quatenus entitas, & illius intelligibilitas eſt ficta per intellectum, & ideo hæc intelligibilitas non eſt anrè operationem intellectus, illi dantis eſſe verè fictum, verè objectivum, verèq; cognoſcibile.

Ad 2. prob. diſt. mai. prius debet eſſe cognoſcibile *extrinſecè*, vel *intrinſecè*, quàm cognitum, conc. mai. *intrinſecè præcisè*, neg. mai. & diſt. min. prius cognoſcibile *intrinſecè*, conc. min. *extrinſecè* neg. min. & conſeq. Quia cognoſcibilitas intrenſeca identificatur cum entitate, & ideo ſicut entitas rationis non eſt antequam cognoſcatur, & fiat per fictionem intellectus, ita non eſt intrinſecè antecedentèr cognoſcibilis; eſt tamen cognoſcibilis extrinſecè antè prædictam actionem, quia ſicut potentia ante realem actionem eſt potens intelligere, & cognoſcere, ita objectum ante talem actionem, etiam extrinſecè cognoſcibile eſt. Quæ ſolutio conſonat cum ea, quam tradit D. Th. 1. p. q. 16. art. 3. ad 2. ubi inquit: *Non ens non habet in ſe unde cognoſcatur, ſed cognoſcitur in quātū intellectus facit illud cognoſcibile. Undè verum fundatur in ente, in quantum non ens eſt quoddam ens rationis, apprehenſum ſcilicèt à ratione.* In quibus verbis indicat Præcp. Ang. totam ſolutionem noſtram, ſcilicèt, quod ens rationis non præhabet cognoſcibilitatem intrinſecam, cum non habeat in ſe, undè cognoſcatur, bene verò extrinſecā cognoſcibilitatem cū cognoſcatur in quantum intellectus facit illud cognoſcibile. Paritèrque ex verbis D. Th. colligitur, quod licet ens rationis non præcedat cognitionem practicam, factivā ſui, benè tamen cognitionē ſui ſpeculativam, quę ipſum iam factum poteſt ſpecula-

ri, & contemplare. Quod præ oculis semper habendum est, ut præpediantur aliquę objectiones, quibus Adversarij solent occurrere nobis.

Sed instabis: quidquid cognoscitur ab intellectu, cognoscitur quia est: ergò nullo modo est cognoscibile aliquod objectum, antequam sit. Prob. ant. Quidquid cognoscitur ab intellectu, cognoscitur sub ratione entis, quod est intellectus objectum: ergo cognoscitur, quia est.

Resp. dist. ant. quia est *motivè*, vel *terminativè* conc. ant. quia est *motivè tantum*, neg. ant. Quia ens, quod est objectum intellectus, est ens commune ad ens reale, & rationis, quorum illud movet intellectum, & eius cognitionem terminat, istud verò terminat, sed non movet ad sui cognitionem, & ideò ens motivum intellectus, est tantùm ens reale, terminativum verò est etiam ens rationis, cuius existentia per cognitionem producta ipsam cognitionem terminat, ad quam tamen solùm movet ens reale, per cuius speciem impressam ipsum ens rationis cognoscitur, ut dictum est art. 1. huius quęst. Undè ens rationis, licet non cognoscatur, *quia fit*, cognoscitur tamen *ut fit*: sicut etiam quidquid causatur à Deo, illi subjicitur, *quia ens*, & tamen creaturę non sunt entia, priusquam causentur, sed potius causantur, ut sint entia.

Tandem arguitur, & contra dicta replicatur, ideo ens verum est verè cognoscibile, quia ens verum est; sed ens fictum distinctum ab omni possibili non est verum ens: ergò non est verè cognoscibile.

Resp. dist. maj. quia ens verum est *veritate enuntiationis*, *vel entis*, conc. maj. *veritate entis præcisè*, neg. maj. & dist. min. non est verum ens, *veritate entis*, conc. min. *veritate enuntiationis*, neg. min. & conseq. Quia ens verum non ideò præcisè est verè cognoscibile, quia verum est veritate entis, vel sumpto ente pro eo, quod dividitur, in decem prædicamenta, sed quia verum est veritate enuntiationis, vel sumpto ente pro eo, quod verificat propositionem, aut illam constituit veram, quod etiam convenit enti ficto ab omni possibili distincto, ut diximus cum D. Th. in responsione ad 2. probationem antecedentis argumenti primi huius articuli, hoc enim modo est verum ens, & verè

cog-

cognoſcibile.

Inſtabis : ens fictum non eſt verum ens veritate entis ; ſed quod non eſt verum veritate entis, nequit eſſe verum veritate enuntiationis, vel ſumpto ente pro eo, quod propoſitionem verificat : ergò ens fictum nequit eſſe verum ens, ſumpto ente pro eo, quod propoſitionem verificat. Prob. min. Quod in ſe non eſt, non poteſt propoſitionem verificare, nàm ab eo, quod res eſt, dicitur vera propoſitio : ergò quod non eſt verum veritate entis, nequit eſſe verum ens veritate enuntiationis, vel ſumpto ente pro eo, quod propoſitionem verificat.

Reſp. neg. min. & ad probationem diſt. ant. propoſitionem *affirmantem eſſe verum ens*, conc. ant. *affirmantem eſſe fictum, & talè ſecundum quid*, neg. ant. & conſeq. Quia talis propoſitio ideò vera eſt, quia ipſum obiectum non eſt verum, ſed potiùs fictum per actionem intellectus, ac proinde propoſitio affirmans, ens fictum eſſe ſecundum quid ens, eſt æquè vera, ac ea, quæ affirmat, ens verum, quod ſignificat ſubſtantiam rei, eſſe ſimpliciter ens.

Inſiſtes cum Adverſarijs; ſi doctrina tradita vera eſt, incognoſcibile tâm intrinſecè, quam extrinſecè, eſſe etiam verè cognoſcibile ; ſed hoc non concedimus : ergò nulla eſt doctrina à nobis tradita. Prob. maj. Incognoſcibile tàm intrinſecè, quàm extrinſecè verificat propoſitionem : ergò verè cognoſcibile erit, ſi doctrina traddita vera eſt. Prob. ant Hæc propoſitio eſt neceſſariò vera : *incognoſcibile tam intrinſecè, quam extrinſece non eſt verè cognoſcibile* : ergò incognoſcibile tàm intrinſece, quâm extrinſecé propoſitionem verificat.

Reſp. neg. maj. & ad probationem diſt. ant. propoſitionem aſſerentem ipſum eſſe cognoſcibile exercitè, conc. ant. aſſerētē ipsū eſſe cognoſcibile ſignatè, neg. ant. & diſt. conſ. Quia tale objectū, quod ſignatè, & per modum rei eſt incognoſcibile tàm intrinſecè, quàm extrinſecè, verificat propoſitionem aſſerentem ipſum eſſe incognoſcibile ſignatè, ſed ad hoc ſufficit, quod ſit exercitè cognoſcibile, & ex parte modi ad modum rei cognoſcibilis attingatur, ſicut cap. de connotativis dicitur in lib. 1. Dialecticæ de ly *non intelligibile*, quod eſt non intelligibile ſignatè, ſed exercitè intelligibilè ad modum alteri adjacentis, & propterea ly non *intelligibile* terminus connotativus eſt. Si autem ſermo ſit Adverſarijs de in-

cognoscibili tàm exercite, quàm signatè falsum est, quod verificet propositionem, nàm eo ipso, quod aliquid affirmetur, vel negetur de subjecto, saltim exercitè intelligitur à nobis.

ARTICULUS VI.

Utrum ens rationis possit existere existentia fundamenti?

§. I.

Quibusdam suppositis statuitur negativa conclusio.

AD pleniorem intelligentiam difficultatis quędam supponere oportet, quorum primum est, existentiam formalem per quam res formalitèr ponitur extrà omnes suas causas, aliam esse propriam, & alienam aliâ. Prima est, quæ dimanat à natura, vel exigitur ab illa: secunda verò ea est, quæ à natura non dimanat, nec absolutè exigitur à natura, qualis est existentia verbi divini respectu humanitatis, à qua nec exigitur, nec dimanat existentia prędicta.

Secundò notandum est, aliqua entia rationis proximè, & immediatè in aliquo reali fundari, sicut negatio & privatio: alia verò proximè, & immediatè fundari in aliquo rationis, sicut prędicabilitas, quæ habet pro fundamento proximo intentionem universalis.

Tandem supponimus, in quacumque re creata essentiam, & existentiam distingui, cum omnibus rebus creatis accidentaliter competat existentia, quibus tamen prædicata essentialia semper, & necessario conveniunt.

Dices: essentia entis rationis non potest intelligi, quin intelligatur existens: ergò ab existentia distincta non est. Prob. ant. Non potest intelligi essentia entis rationis, quin intelligatur habens esse objectivè in intellectu: ergò nequit intelligi, quin intelligatur existens, nàm essentia entis rationis tunc existit, quando objicitur intellectui.

Resp. neg. ant. & ad probat. dist. ant. habens esse *speculativè*, conc. ant. *practicè*, neg. ant. & conseq. Nàm essentia entis rationis solùm existit, quando practicè ab intellectu cognoscitur, quod solùm fit, dùm intellectus cōcipit id, quod non est, ac si esset, attribuendo rei tale esse, quæ conceptio intellectus, & ipsius attributio accidentaliter cōvenit essentiæ entis rationis: potest tamē essentia rationis speculativè cognosci ab in-

intellectu, quin practicè cognoscatur, nam benè potest intellectus speculari, & contemplari essentiam rationis, quin rebus attribuat aliquod esse, quod non habent in se ipsis.

His prælibatis, circà præsentem difficultatem in placita diversa Authores divisi sunt. Quidam enim asserunt, omne ens rationis existere formaliter per existentiã sui fundamenti; alij verò per oppositum defendunt, nullum ens rationis per existentiam sui fundamenti posse formaliter existere: aliqui autem media via procedunt asserentes, illa entia rationis, quę immediatè fundantur in aliquo reali, existere formaliter per existentiam fundamenti; secus verò ea, quę immediatè fundantur in aliquo rationis. Alij denique defendunt existentiam fundamenti esse alienam respectu entis rationis, propriam verò ipsius esse specialem existentiam ab intellectu confictam: Nos verò, aciem sequentes Thomistarum, secundam sententiam defensamus, ideoque cum illis hæc erit,

§. II.

Conclusio nostra.

Nulla entia rationis possunt existere existentia fundamenti.

CConclusionem istam insinuat Ang. Præcept. in 1. dist. 19. quæst. 5. artic. 1. ubi inquit: *quædam sunt, quæ habent fundamentum in re extrà animam, sed complementum rationis eorum, quantum ad id, quod est formale, est per operationem animæ*, ut patet *in universali. Humanitas enim est in re, non tamen ibi habet rationem universalis, cum non sit extrà animam aliqua humanitas multis communis; sed secundum quod accipitur in intellectu, adjungitur ei per operationem intellectus intentio, secundum quam dicitur species.* Et opusc. 42. cap. 1. universaliter loquens de ente rationis, ait: *non potest intellectus intelligere non ens, nisi fingendo ipsum ens aliquo modo, quod cum intellectus apprehendere nititur, efficit ens rationis.* Ergò nullum ens rationis, sive habeat, sive non habeat fundamentum in re, potest existere formaliter existentia fundamenti, aliàs existeret formaliter antequàm esset; cum existeret, antequã ab intellectu conciperetur, qui solus potest entia rationis cõficere, illis præstando totum esse, quod habent.

Probatur conclusio nostra ratione: existentia fundamenti essentialiter adæquatur cum natura fundamenti: ergò per existentiam fundamenti nequit ens rationis existere, aliàs existentia ista non esset

cum fundamento eſſentialitèr adęquata, ſed ipſum excederet, & ad alia extenderetur. Prob. ant. Exiſtentia cuiuſcumque rei creatæ eſſentialitèr adæquatur cum propria natura: ergò exiſtentia fundamenti, eſſentialitèr adęquatur cum natura fundamenti. Prob.ant. Ità comparatur exiſtentia ad naturam, quam terminat, ſicut modus inhærentię ad accidens, cuius eſt; ſed modus inhęrentiæ eſſentialiter adæquatur cum entitate accidentis, ità ut per talem modum non poſsit inhærere alterum accidens: ergò exiſtentia cuiuſcumque rei creatæ eſſentialitèr adęquatur cum propria natura, quam terminat.

Secundò probatur concluſio, ſpecialitèr de ente rationis, cuius fundamentum eſt reale: ſi ens rationis exiſteret formaliter per exiſtentiam fundamenti realis, exiſteret etiam realiter; ſed realitèr exiſtere nequit: ergó nec per exiſtentiam fundamenti realis. Prob. maj. Si exiſteret per exiſtentiam fundamenti realis, haberet effectum prædictæ exiſtentiæ, quę quidem eſt exiſtentia realis; ſed effectus exiſtentię realis eſt realitèr exiſtere: ergò exiſteret realiter. Mai. patet. Quia effectus formalis formæ eſt forma communicata. Min. verò prob. Effectus exiſtentię realis eſt conſtituere rem realitèr extra cauſas, ſicut effectus exiſtentiæ ut ſic eſt conſtituere rē extrà cauſas abſolutè; ſed conſtituere rem realitèr extrà cauſas, eſt facere rem realitér exiſtentem: ergò effectus exiſtentię realis eſt realitér exiſtere.

Tertiò probatur concluſio: exiſtentia finita, & limitata fundamenti non continet exiſtentiam entis rationis: ergò non poteſt facere ipſum exiſtere, ſicut exiſtentia unius hominis non poteſt reddere alium hominem exiſtentē, quia exiſtentia unius non continet exiſtentiam alterius ſecundùm ultimam differentiā. Undè exiſtentiā infinita ideó poteſt reddere exiſtentem quācumque naturam creatam, quia continet effectum exiſtentiæ creatę ſecundum ultimam differentiam ipſius. Ant.prob. Nulla creatura poteſt continere aliam ſecundum ultimam differentiam, aliâs eadem ratione poſſet continere omnes: ergò exiſtentia finita, & limitata fundamenti continere non poteſt exiſtentiam entis rationis ſecundum ultimam differentiam.

Reſpondent Adverſarij, aliqua entia rationis habere fundamenta infinita, ea videlicet, quę fundantur in eſſentia

tia divina, aut in aliquo prædicato proprio Dei, & conſequenter benè poſſe illa exiſtere per exiſtentiam fundamenti in vi rationis adductę.

Sed contrà eſt, nàm ratio facta ſolùm procedit de entibus rationis, quorum fundamentum finitum, & limitatum eſt. Sed ſi Adverſarij illam volunt extendere ad illa entia rationis, quę habent fundamentum infinitū, qualia ſunt reſpectus ideales, tùm dicimus, huiuſmodi entia rationis per exiſtentiam ſui fundamenti ſolùm fundamentalitèr exiſtere, non verò formalitèr, ut latius infrà dicemus, quęſt. 2. art. 2. cum de cauſa efficiente entis rationis diſſeramus.

Reſp. alij: ens rationis non habere propriam exiſtentiam, ſed exiſtentiam fundamenti eſſe propriam utriuſque, & eam eſſe rationem; quia ſi ens rationis propriam exiſtentiam haberet, poſſet intellectus cognoſcere eſſentiam rationis, & non conſiderare exiſtentiam, cum in hoc ſit liber intellectus: conſequenterque poſſet ens rationis habere eſſe obiectivum in intellectu, & non habere exiſtentiam.

Contrâ tamen eſt: quia ens rationis neceſſariò debet habere exiſtentiam propriam: ergò ſolutio data nititur principio falſo. Prob. ant. Neceſſariò debet habere exiſtentiam fictam: ergò propriam, quia exiſtentia ficta propria eſt entis rationis. Prob. ant. Non poteſt habere exiſtentiam veram, alias exiſteret verè, & non fictè: ergò neceſſariò debet habere exiſtentiã fictam. Ex quo tamen non infertur inconveniens, quod ex ratione noſtra volunt Adverſarij deducere: nàm licet intellectus liber ſit in cognoſcendo practicè eſſentiam rationis, ex ſuppoſitione tamèn quod determinetur ad practicè cognoſcendam eſſentiã, tenetur etiam exiſtentiam attingere, ſicut ex ſuppoſitione, quod Deus producat materiam, tenetur producere formam, quia materia ſinè forma non poteſt eſſe extra cauſas.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntra Concluſionem arguitur primò: Si eſt impoſsibile ens rationis exiſtere per exiſtentiam fundamenti, quicumque apprehenderet ens rationis exiſtere per exiſtentiam fundamenti, faceret ens rationis, ſiquidẽ apprehenderet impoſſibile ad modum poſsibilis,

& illi per intellectum attribuit tale esse: sed illud ens rationis existit per existentiam fundamenti: ergò aliquod ens rationis potest existere per existentiam fundamenti. Prob. min. Esse illius entis rationis consistit in eo quod concipitur sic existere, & illi attribuitur talis existentia: ergò illud ens rationis existit per existentiam fundamenti.

Resp. dist. min. existit signatè, & apprehensivè per existentiam fundamenti, conc. min. exercitè, neg. min. Nam ex quo quis apprehendat ens rationis existere per existentiam fundamenti, & hoc pro libito fingat solum sequitur, quod tale ens rationis fictum ab illo signatè, objectivè, & in apprehensione illius existat existentia fundamenti, non tamen, quod exercitè per illam existat, & non per specialem existentiam ab intellectu confictam, dum fingit eius essentiam.

Secundò arguitur: signum ad placitum, & Sacramenta constituuntur per formam rationis, & imago relatione rationis fertur ad prototypum, quando illud non existit, & Christus Dominus relatione rationis fertur ad suam sanctissimam Matrem; & tamen hæc omnia antè considerationem intellectus existunt, non per aliam, quam per existentiam fundamenti: ergò possunt entia rationis existere existentia fundamenti. Prob. min. Ante considerationem intellectus reperiuntur Sacramenta, & voces dicuntur signa, & Christus Dominus à parte rei dicitur verè filius suę Santissimæ Matris, & idem dicendum de aliis entibus rationis: ergò omnia prædicta antè considerationem intellectus existunt, non per aliam, quàm per existentiam fundamenti.

Resp. neg. min. & ad prob. conc. ant. dist. conseq. Existunt fundamētaliter, conc. conseq. formaliter, neg. conseq. Omnia namque prędicta tantùm existunt formaliter dum actu considerantur ab intellectu, unum ad aliud comparante, & referente, & à parte rei solum fundamentaliter existunt; voces videlicet, quia sunt ad significandum impositę; Sacramenta, quia virtutem causativam habent, & Christus Dominus, quia realiter est genitus; & imago artificialis, quia realiter repræsentat.

Instabis: hæc omnia absolutè dicuntur existere à parte rei, ut omnes concedunt; sed ut absolute dicantur existere, non sufficit existere fun-

da-

damentaliter, ſed formaliter exiſtere debent: ergò exiſtunt formaliter à parte rei, & ante conſiderationem intellectus. Prob. min. Denominatio abſoluta exiſtentis non provenit à fundamento, ſed à formali exiſtentia, quia denominatio abſoluta concreti provenit ab illius forma, ſicut denominatio albi provenit ab albedine: ergò ut illa in argumento relata abſolute dicantur exiſtere à parte rei, ſatis non eſt, quod exiſtant fundamētaliter, ſed formaliter exiſtere debent.

Reſp. neg. min. & ad probationem diſt. ant. Denominatio abſoluta exiſtentis *in ente reali* non provenit à fundamento, ſed à formali exiſtentia conc. ant. *in ente rationis*, neg. ant. & conſeq. Quia, licet in ente reali denominatio abſoluta ſivè relati, ſivè exiſtentis, ſolùm poſsit à forma provenire, cum relatio naturaliter reſultet ex fundamēto, & termino, & exiſtentia naturaliter dimanet ab eſſentia, in ente tamen rationis poteſt fieri denominatio abſoluta per hoc præcisè, quod ponatur fundamentum, ſicut natura denominatur univerſalis, hoc ipſo quod abſtrahitur, etiam antequàm actu comparetur; & vox *homo* in libro clauſa denominatur ſignum, etiamſi actu non conſideretur relatio ſigni, quæ relatio rationis eſt; idemque de omnibus alijs dicendum eſt, quia cum ſint minimæ entitatis, ut abſolutè dicantur exiſtere, ſufficit exiſtere fundamentum. Eorum autem formalis exiſtentia non provenit ex fundamento, & termino, ſicut in ente reali, ſed conſiſtit in actualiter cognoſci obiectivè, quod ex ſolo intellectu provenit; undè ratione fundamenti de Euchariſtia v. g. poterit dici, quod ſit Sacramentum; de vocibus, quod ſint ſigna; de Chriſto Domino, quod ſit verè filius Virginis Deiparæ, quin reſultet relatio rationis, quia hæc, non fundamentū, & terminum, ſed ipſam cognitionē conſequitur.

Tertiò arguitur: ens rationis poteſt exiſtere, quin actu objiciatur intellectui: ergò poteſt exiſtere exiſtentia fundamenti. Prob. ant. Potentia poteſt exiſtere ſine actu; ſed ens rationis conſiſtit in eſſe objicibile: ergò poteſt exiſtere, quin actu objiciatur intellectui.

Confirmatur poteſt ens rationis realiter actuari: ergò realiter exiſtere per exiſtentiam realem fundamenti. Prob. ant. Quando ens rationis cognoſcitur ab intellectu, ultimò actuatur per ſpeciem expreſſam, quę in probabili ſenten-

tia

tia eſt ultima actualitas obiecti in eſſe intelligibilis; ſed per illam realitèr actuatur, cum ipſa ſit actualitas realis: ergò ens rationis poteſt realitèr actuari.

Urgetur: ſpecies impreſſa entis realis eſſentialiter adęquatur cum ente reali, & tamen per illam repręſentatur ens rationis; ergò poterit etiã exiſtere exiſtentia fundamenti, quamvis exiſtentia prędicta cum natura fundamenti eſſentialitér adæquetur.

Reſp. ad argumentum neg. ant. & ad probationem diſt. mai. Potentia *phyſica*, conc. mai. *Logica, & objectiva*, neg. mai. & diſt. min. *in eſſe obijcibili Logicè*, conc. min. *Phiſicè*, neg. min. & conſeq. Quia potentia phiſica eſt potentia ad agendum, vel recipiendum, & ſine actione, vel paſsione poteſt res exiſtere; potẽtia verò logica nihil aliud eſt, quam non repugnantia ad exiſtendum, quę ſine actu exiſtere non poteſt, nec ipſum in re prędecedere: undè ens rationis, cum conſiſtat in eſſe obijcibili Logicè, exiſtere non poteſt, quin actu obijciatur, ſed eius exiſtentia debet eſſe actu objici, ſicut creaturę poſsibiles, quamvis habeãt potentiam objectivam, & non repugnantiam ad exiſtendum, tamèn ſinè actu exiſtentiæ exiſtere non poſſunt. Et omnium ratio eſt, quia potentia Logica, & objectiva eſt ipſemet actus poſsibilis, ſivè ſignatè ſumptus, quapropter exiſtere potentiam illam, nihil aliud eſt, quàm illam ad proprium actum reduci: ac proindè obijcibilitas logica, in qua ens rationis conſiſtit, eſt ipſummet actu obijci poſsibile, vel ſignatè conſideratum, & ita idem eſt exiſtere id, quod erat obijcibile logicè, ac illud intellectuì actualiter obijci.

Ad confirmationem reſpondeo diſt. ant. realitèr actuari *in eſſe intelligibili*, conc. ant. *in eſſe entis*, neg. ant. & conſeq. Quia realitèr actuari in eſſe intelligibili nihil aliud eſt, quàm realitèr cognoſci, & attingi per actionem intellectus in ipſa ſpecie expreſſa realitèr repręſentante tàm ens reale, quàm ens rationis, quod enti rationis non repugnat, ut tamẽ ens rationis realiter actuaretur in eſſe entis, debebat habere eſſe reale, & â parte rei, nam quod à parte rei actuatur in eſſe entis, habet à parte rei entitatem, non tamèn quod à parte rei intelligitur, habet à parte rei, & realitèr entitatem, nàm chi-

me-

meram realitèr intelligimus, & apprehendimus per actum realem.

Ad id, quo urgetur argumentum resp. dist. mai. cum ente reali, *ut obiecto motivo*, conc. mai. *terminativo*, neg. mai. Nàm species impressa entis realis solùm immittitur ab ente reali, & ità solùm adæquatur cum illo tanquam objecto motivo, sed terminativè extenditur ad ens rationis, quod repręsentat ad modum entis realis, & ità potest ipsum saltim secundariò repræsentare.

Quartò arguitur: potest aliquod ens existere per existentiam realem, quin realitèr existat: ergò poterit ens rationis existere per existentiam realem fundamenti, absque ullo inconvenienti. Prob. ant. Potest natura creata existere per existentiam infinitam, & æternam, quin existat ab æterno, & infinitè, ut patet in humanitate Christi, quę in tempore incępit existere, & modo finito existit, cuius tamen existentia infinita, & æterna est: ergò poterit etiam aliquod ens existere per existentiam realem, quin realiter existat.

Resp. neg. ant. & ad probationem neg. conseq. Quia natura solùm rèdditur existens eo modo, & ex eo tempore, quo communicatur illi existentia, cumque existentia æterna, & infinita solùm modo finito, & in tempore, quãdo, scilicet, venit plenitudo temporis communicata fuerit humanitati, solum reddit illam modo finito, & in tempore existentem, existentia verò realis realiter debet communicari, & ità cuicumque communicetur, præstabit effectum existendi realitèr.

Instabis; existentia infinita potest communicari, & non modo infinito: ergò etiã existentia realis poterit communicari, & non modo reali.

Resp. neg. conseq. Quia potest natura esse capax existendi, & non modi infinitatis, ut contingit in humanitate Christi, sed non potest esse capax existentiæ realis, & non modi ipsius realitatis. Ratio autem ea est, quia quando inveniuntur in forma plures effectus specifici, potest subjectum habere capacitatẽ ad unum, & ad alterum non habere, sicut capilli, & ungues habent capacitatẽ, ad effectum vegetandi, & non ad effectum sentiendi; & hoc contingit in divina existentia, & in humana natura: nàm in existentia divina invenitur facere existere supernaturalitèr, & facere existere infinitè, ex quibus ad primam habet

bet capacitatem humana natura, ſed non ad ſecundam, & ideò poteſt exiſtentia divina infinita communicari humanitati, & non modo infinito. Cæterùm in exiſtentia reali primus effectus ſpecificus eſt conceptus exiſtentiæ realis, eo quod præciſſa realitate ſolum remanet conceptus communiſsimus exiſtentiæ, & propterea non poteſt exiſtentia realis communicari, non communicata realitate, vel non communicato modo reali.

Dices: etiam in exiſtentia reali fundamenti creati entis rationis antecedentèr ad realitatem invenitur eſſe exiſtentiam creatam, per quam differentiam diſtinguitur eſſentialitèr ab exiſtentia infinita: ergò poterit talis exiſtentia facere exiſtere ens rationis modo creato, quamvis non faciat ipſum exiſtere modo reali.

Reſp. neg. conſeq. Quia exiſtentia communicata ſubjecto debet communicare illi, non ſolum effectum ſpecificum, ſed etiam ſpecialem aliquem modum exiſtendi in ſeipſo, & primus modus ſpecialis exiſtendi in ſeipſo eſt exiſtere, vel realitèr, vel ſolùm fictè ſecundum eſſe objectivum, & ideò non poteſt exiſtentia creata realis uniri cum ente rationis, niſi faciat ipſum realitèr, vel per rationem exiſtere, & cum ſecundum non poſsit eſſe, neceſſario debet facere primum.

Tandèm arguitur: poteſt ens rationis fieri per actionem realem, quin ſit effectus realis: ergò etiam poterit exiſtere per exiſtentiam realem, quin exiſtat realitèr. Prob. ant. Ens rationis de facto producitur per actionem realem intellectus, ut diximus art. 1. huius quæſt. §. 3. & tamen eſt effectus rationis, & non realis, ut ibi dictum eſt: ergò verum eſt antecedens.

Reſp. neg. ant. ſi ſermo ſit de effectu primariò, & ad probationem diſt. mai. producitur *ſecundariò*, conc. mai. *primariò*, neg. mai. Quia ens rationis ſolùm ſecundariò producitur per actionem realem intellectus, & quaſi metaphoricè adquirit eſſe per illam, ad quod neceſſarium non eſt, quod ſit effectus realis, quia influxus realis actionis explicatur verè, & propriè in effectu primariò, non verò in effectu, qui ſecundariò, & quaſi metaphoricè ex primario reſultat; nam actio intellectus poteſt eſſe fictio realitèr, & propterea poteſt ſecundariò aliquid rationis producere. Exiſtentia verò realis nullum effectum ſpecificum,

nec

nec aliquem modum specialem existendi potest communicare enti rationis, quandoquidem non potest facere illud existere realiter, nec per rationem, cum effectus formę sit forma communicata subjecto, & existentia realis, cuiuscumque communicetur, cōveniat realiter, ac proindè non potest ipsum facere existere per rationem.

Instabis: potest ens rationis terminare primariò realem actionem: ergò etiam existere per existentiam realem. Prob. ant. Actio intellectus, quatenùs fingit reduplicativè, est actus realis; sed actio ista, prout sic, primariò terminatur ad ens rationis, siquidem primariò terminatur ad fictum, quod solum potest esse ens rationis: ergò potest ens rationis primariò terminare realem actionem.

Resp. dist. ant. realem actionem, *secundum formalitatem secundariam*, conc. ant. *absolutè* neg. ant. Ex cuius probatione solùm infertur ens rationis posse terminare primariò, non quidem realem actionem absolutè, sed illam tantum secundum formalitatem secundariam, quæ solum, quasi metaphoricè est causalitas, vel productio, ut ipsum nomen fictionis indicat, & hoc enti rationis competere, nullum inconveniens est, nàm hoc solùm est per imperfectam resultantiam consequi ad realem actionem secundum imperfectissimam formalitatē diminuentem de influxu reali.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Causa efficiente Entis rationis.

ARTICULUS I.

Utrum solus intellectus possit facere entia rationis?

§. I.

Quibusdàm suppositis, statuitur affirmativa Conclusio.

IN difficultate præsenti, ut faciliora, ac difficilioribus separemus, notandum est primò, voluntatem esse potentiam cæcam, & nullo modò posse ferri in obiectum incognitum, sed semper tendere in obiectum ab intellectu propositum. Nam hæc duæ potentię in suis operationibus mutuò se juvant: intellectus enim dirigit, & illuminat voluntatem; voluntas autem movet, & applicat intellectum, quod quidem per mutuum cæci, & claudi auxilium bellissimè expræsit Alciatus in hoc Emblemate:

Loripedem ſublatum humeris fert lumine captus,
Et ſocii hæc oculis munera retribuit.
Quo caret alteruter, concors hoc præſtat uterque,
Mutuat ille oculos, mutuat ille pedes.

Secundò notandum eſt cum Caietano 1. p. q. 28. art. 1. §. *Ad hoc*, voluntatem ipſam non poſſe entia rationis formare, quia potentia, quę non format ſibi obiectum, non poteſt facere ens rationis, quandoquidèm facere ens rationis, eſt practicè producere eſſe fictum, & propterea intellectus ea facit, quia eſſe fictum producit, concipiendo id, quod non eſt; ac ſi eſſet, conſequentèrque potentia, quæ non producit objectum, vel aliquid in objecto, non poteſt entia rationis formare; ſed voluntas noſtra non format ſibi obiectum, nec aliquid in objecto producit: ergò nequit facere entia rationis. Prob. min. Totum, quod per actum voluntatis attingitur, præſuponitur cognitum practicè ante actum voluntatis, eo quod voluntas nihil attingit, quod non ſit prius practicè ab intellectu propoſitum: ergò voluntas noſtra non format ſibi obiectū nec aliquid in obiecto producit.

Confirmatur hæc ratio, ſimùlque impugnantur Scotus, & alii Authores oppoſitam ſententiam defenſantes: eo voluntas faceret entia rationis, quia attingeret ut ordinata, ea obiecta, quę antè actum voluntatis ordinata ſunt; ſed hoc ita non eſt: ergò non format entia rationis. Prob. min. Ea obiecta, quæ voluntas attingit, ut ordinata ſupponuntur ordinata ante actum voluntatis: ergò minor vera eſt. Prob. ant. Voluntas nihil attingit, niſi eo modo, quo ab intellectu proponitur: ergò quando attingit aliqua obiecta, ut ordinata, ipſa objecta ordinata ſupponuntur antè actum voluntatis.

Urgetur: Si voluntas faceret aliquod ens rationis, illud ens haberet eſſe per actum voluntatis antè actum intellectus; ſed implicat aliquod ens rationis habere eſſe exiſtentiæ antè actum intellectus: ergò voluntas nullum ens rationis facere poteſt. Prob. min. Ens rationis diffinitur eſſe illud, quod tantum habet eſſe objectivè in intellectu, id eſt, quod ſolum exiſtit, dum actu conſideratur: ergo implicat aliquod ens rationis habe-

bere esse existentiæ antè actum voluntatis.

Objicies contra suppositionem prædictam. Voluntas potest ordinare ea, quæ in re ordinata sunt: ergò potest facere entia rationis. Prob. ant. Voluntas ordinat finem ad media, & Deum ad creaturas, fontem aquę vivę derelinquendo, & fodiendo sibi cisternas dissipatas, sicut contingit, dum peccat: Ergò potest ordinare ea, quæ in re ordinata non sunt.

Resp. neg. duo ant. Nam ut inquit D. Th. 12. q. 17. art. 1. in corpore, solius rationis est ordinare; cui doctrinæ etiam consonat, dùm 1. metahp. lect. 2. ait, quod ad sapientem pertinet alios ordinare. Quicquid enim ordinis in naturalibus est, & voluntariis à ratione proficiscitur, in illamque resolvitur. Opus namque naturę est opus intelligentiæ: & similitèr electiones, in quibus maximè apparet ordo, cum sint eorum, quæ sunt ad finem propter finem, à consilio, quod est actus rationis, proficiscuntur ordinantè hoc in illud. Voluntas enim, sivè eligens, sivè utens, tendit in res secundum ordinem ratiocinationis verè, vel falsè, formaliter, vel virtualiter, dirigentis hæc in illa. Unde (quicquid in contrarium clament viri illustres, de quorum numero fuit Scotus in 2. Sent. dist. 6. q. 1.) dùm voluntas attingit media in ordine ad finem, Deum in ordine ad creaturas, vel unum medium eligit, altero relicto, non comparat, aut ordinat formaliter, vel virtualiter, unum ad aliud, sed potiùs hæc omnia sic per intellectum proponuntur & ordinantur, & prout sic attinguntur à voluntate, consequenterque, quilibet ordo inter obiecta repertus, non à voluntate, sed à solo intellectu fieri potest, cuius est proprium opus unum cum alio conferre, & unum ad aliud ordinare.

Instabis: prædicta objecta attinguuntur à voluntate sub ratione boni: Ergò a sola ipsa ordinari possunt. Prob. conseq. prædicta objecta solùm ordinantur ab intellectu sub ratione veri, non tamen sub ratione boni: ergo si sub ratione boni attinguntur à voluntate, sub tali ratione à sola ipsa ordinari possunt.

Resp. neg. conseq & ad probationem dist. ant. non tamen sub ratione boni *ex parte rationis sub quæ*. conc. ant. *ex parte rationis quæ*, neg. ant. licèt namque objecta prædicta non sint ab intellectu ordinata sub ratione boni tanquam

quam ratione *ſub qua*, quia ratio *ſub qua* boni non pertinet ad intellectum, ſunt tamen omnia prædicta ab intellectu ordinata *ſub ratione veri* ex parte rationis *ſub qua*, & ſub ratione boni ex parte *rationis quæ*, quod ſufficit, ut voluntas nihil ordinet, ſed ſolùm attingat antecedenter ordinata. Idem namque *bonum*, quod voluntas attingit ſub ratione boni, prius *apprehenditur ab intellectu ſecundum quandam ſpecialem rationem comprehenſam ſub univerſali rationi veri*, ut inquit D. Th. 12. q. 9. art. 1. ad 3. & alibi generaliter docet, quod *ipſum bonum per prius pertinet ad intellectum ſub ratione veri, quam ad voluntatem ſub ratione boni, quod ſatis eſt*, ut verum ſit, nihil voluntatem attingere non propoſitum ab intellectu, & ab eo non ordinatum.

Secundò objicies: voluntas aliquando attingit id, quod non eſt, ac ſi eſſet: ergò poteſt facere aliquod ens rationis. Prob. ant. voluntas aliquando attingit ut bonum, quod in re bonum non eſt, ſicut quando attingit bonum apparens, quod reverà non eſt bonum: ergò aliquando attingit id, quod non eſt, ac ſi eſſet.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. antec. quod in re bonum non eſt, *ſed ab intellectu factum*, conc. ant. *ab ea, & non ab intellectu productum*, neg. ant. & conſeq. Nam quando voluntas attingit ut bonum, quod in re bonum non eſt, ea bonitas fingitur ab intellectu, & non ab ipſa voluntate, quæ ſolùm inclinat in bonum propoſitum ab intellectu, ſive ſit bonum in rei veritate, ſive ſolùm apprehendatur in ratione boni, ut inquit D. Th. 12. q. 8. art. 1. in corp. unde apparere bonum, quod in re bonum non eſt, à ſolo intellectu provenit, & non à voluntate.

Inſtabis: aliquando voluntas diligit tanquam bonum, quod intellectus indicat eſſe malum: ergò in hoc eventu, bonitas ficta ab intellectu non ſit, ſed à voluntate ſola.

Reſp. diſt. ant. quod intellectus judicat *ſpeculativè, & in univerſali eſſe malum*: conc. ant. *practicè, & in ſingulari*, ſubdiſt. *Si actu non conſideret*, conc. ant. *Si actu conſideret*, neg. ant. & conſeq. Nunquam enim voluntas attingit objectum ut bonum, niſi illud intellectus ut bonum proponat, & hic, & nunc judicet eſſe amandum, quod eſt ipſum ut bonum practicè, & in ſingulari aprehendere, & illi attribuere,

bo-

bonitatem, quam non habet, quamvis abſolutè, & in univerſali cognoſcat intellectus tali bonitate carere, ſicut cum quis committit fornicationem, ſpeculativé, & in univerſali cognoſcit intellectus, & judicat illud bonum delectabile proſequendum non eſſe, alias hæreticus eſſet; practice tamen, & in ſingulari, judicat hic, & nunc eſſe amplectendum, & â voluntate amandum, & niſi hoc in animo ſentiret, fornicationem non faceret, ut indicat D. Th. 12. q. 77. art. 2. ex cujus doctrina ſolutio iſta deducitur.

His ergo prænotatis circa potentias cognoſcitivas interiores, & exteriores, dividuntur Authores; nam aliqui Scotiſtę cum Arriaga, & aliis paucis, aſſerunt ſenſus etiam exteriores facere quædam entia rationis, quibus alii non conſentiunt: inter cęteros verò Authores affirmant aliqui imaginativam, vel cogitativam, aut phantaſiam formare entia rationis. Quam ſententiam defendunt plurimi extrà Scholam D. Th. & plures etiam Thomiſtę, quos cæteri unanimitèr impugnant cum quibus.

§. II.

Statuitur noſtra Concluſio.

Salus intellectus poteſt entia rationis efficere.

PRobatur Concluſio noſtra ratione: ea ſola potentia poteſt facere entia rationis, quæ poteſt attingere id quod non eſt, ac ſi eſſet; ſed ſolus intellectus poteſt cognoſcere id quod non eſt, ac ſi eſſet: ergò ſolus intellectus poteſt entia rationis efficere. Prob. min. Cognoſcere id, quod non eſt ac ſi eſſet, eſt cognoſcere objectum nullam habere entitatem veram, ſed potiùs habere negationem entitatis; ſed ſolus intellectus poteſt cognoſcere negationem entitatis: ergò ſolus intellectus poteſt cognoſcere id, quod non eſt, ac ſi eſſet. Prob. min. Sola illa potentia poteſt cognoſcere negationem entitatis, quę poteſt diſcernere intèr ens, & non ens, nam ſola illa potentia poteſt cognoſ-

cere negationem extremorum vel alicuius ex illis, quæ inter extrema diſcernit; ſed ſolus intellectus poteſt diſcernere inter ens, & non ens: ergò ſolus poteſt negationem entitatis cognoſcere. Prob. min. ſolus intellectus poteſt attingere ens in quantum tale, ſiquidem ens in quantum tale, eſt obiectum ſpecificativum intellectus: ergò ſolus intellectus poteſt diſcernere inter ens, & non ens.

Confirmatur: ſolus intellectus poteſt attingere illud obiectum, quod reverà caret materia, & ſenſibilitate, cum tale objectum ſit in re aliquid ſpirituale, & conſequentèr ſolum per intellectum cognoſcibile; ſed id, quod reverà non eſt, reverà caret materia, & ſenſibilitate: ergò ſolus intellectus poteſt cognoſcere id, quod reverâ non eſt, ac ſi eſſet, & conſequentèr ſolus poterit entia rationis conficere.

Secundò probatur concluſio: ſola illa potentia poteſt facere entia rationis, quę poteſt cognoſcere non ens, comparativè ad ens, nam eſt rationis fit, quando non ens cognoſcitur admodum entis; ſed ſolus intellectus poteſt cognoſcere non ens comparativè ad ens: ergó ſolus poteſt entia rationis efficere. Prob. min. Solus intellectus poteſt cognoſcere non ens ut diſtinctum ab ente, cum ſolus poſsit utrumque cognoſcere: ergò ſolus intellectus poteſt cognoſcere non ens cóparativè ad ens.

Explicatur eadem doctrina: Sola illa potentia poteſt facere entia rationis, quę poteſt impoſsibilia cognoſcere, cum ens rationis neceſſariò conſiſtere debeat in aliquo, quod habere non poteſt eſſe verum, ſed potiùs habet repugnantiam ad illud in quo impoſsibilitas conſiſtit; ſed ſolus intellectus poteſt cognoſcere impoſsibilia, & repugnantiam ad eſſe verum, eo quod ſolus intellectus cognoſcere poteſt id, quod repugnat cum eſſentia, qui ſolus poteſt eſſentias rerum attingere: ergó ſolus intellectus poteſt facere entia rationis.

Reſpondent contrarii. Imaginativam, aut phantaſiam non poſſe ſecundùm ſe attingere id, quod non eſt, ac ſi eſſet, aut ens in quantum ens, poſſe tamen hoc habere ex conjunctione ad intel-

tel-

lectum, ratione cuius roboratur, & perficitur, ut possit aliqualiter attingere objectum purè spirituale, & consequenter formare entia rationis, proindeque, non solum intellectus potest entia rationis efficere.

Sed contra est, quia phantasia, aut imaginativa, ex conjunctione ad intellectum, non potest attingere objectum specificativum intellectus; sed ens in quantum tale specificat intellectum: ergò prædictæ potentię ratione conjunctionis cum intellectu, attingere non possunt id, quod reverà non est, ac si esset, aut ens in quantum ens. Prob. mai. Prædictę potentiæ ex conjunctione ad intellectum, non possunt exire extrà spheram propriam, aliàs fierent diversę specificè potentię propter illam conjunctionem: ergò non possunt attingere objectum specificativum intellectus, aliàs extrà propriam spheram exirent, & suum obiectum specificativum excederent, attingendo formaliter objectum specificativum intellectus.

Secundò respondent alii, quod, ut potentiæ prædictę faciant entia rationis, sufficit, quod attingant id, quod non est corporeum & materiale in se ipso, ut corporeum, & materiale apparenter, quod utique eis facere non repugnat, quia illud, quod in se ipso corporeum, & materiale non est, potest esse corporeum corporeitate apparenti, quod satis est, ut à potentia corporea, & materiali attingatur.

Contrà tamen est: quia potentia verè, & propriè sensitiva, & materialis non potest attingere, quod reverà materiale, & sensibile non est, quamvis sit tale apparenter: ergò non tenet solutio Adversariorum: Prob. ant. Potentia verè, & propriè sensitiva, non potest attingere id, quod reverà non est sensibile admodum rei materialis, & sensibilis, & comparativè ad illam: ergò nequit attingere id quod reverà sensibile, & materiale non est, quamvis sit tale apanrenter. Prob. ant. Potentia, quę attingit unum ad modum alterius, potest inter utrumque discernere; sed potentia, quæ verè sensitiva est, non potest discernere inter materiale, & sensibile apparentér & illud, quod revera est sensibile, siquidem ignorat, an sensibilitas, quæ apparet ve-

ra ſit: ergo potentia veré, & propriè ſenſitiva, non poteſt attingere id, quod revera non eſt ſenſibile admodum rei naturalis, & ſenſibilis, & comparative ad illam.

§. III.

Diluuntur argumenta, probare intendentia, ſenſus externos entia rationis efficere.

ARguitur primò: Senſus externi poſſunt attingere id, quod non eſt, ac ſi eſſet, ergo & facere entia rationis. Prob. ant. Tum quia potentia viſiva quandoque videt aliquod objectum per modum viridis, & ipſum ut viride attingit, cum tamen in re viride non ſit: ergo ſenſus externus poteſt attingere id, quod non eſt, âc ſi eſſet. Prob. ant. Potentia viſiva, quandoque percipit varios colores in arcu Iridis, & in collo columbę, qui tamen ibi non ſunt; ſimiliterque, dum pluit aqua coloris lactei, vel ſanguinis, aprehendit viſus ſanguinem, & lac, quę ibi non ſunt; & ut curvam aprehendit virgam rectam exiſtentem in aqua: ergò verum eſt ant. Tum etiam, quia guſtus infirmi aprehendit cibum dulcem, ut amarum, cum reverà cibus amarus non ſit; quod quidem de omnibus aliis dici poteſt: ergo ſenſus externi, poſſunt attingere id, quod non eſt, ac ſi eſſet, ac proinde entia rationis efficere.

Reſp. ad argumentum, neg. ant. ad cujus probationem negantur omnia antecedentia, nam quando videtur objectum per modum viridis, verè fit in medio per quod tranſit ex repercuſione ſolis reverberantis, aut reflectentis in medio, & ita attingit potentia viſiva colores, qui verè ſunt, & exiſtunt, quamvis facile tranſeuntes; & eodem modo ex repercuſione ſolis in nubibus, reſultant colores in arcu iridis, ut inquit D. Th. lib. 3. Metah. tract. 2. cap. 3. & ex eadem repercuſione in collo columbæ fiunt ſimiles colores, admodum quo radius ſolaris tranſiens per amphoram vini nigri, videtur puniceus, ut loc. cit. ait ipſe D. Th. eodem ſimili modo, dûm pluit aqua coloris lactei, vel ſanguinei, attingit viſus ſanguinem, & lac, quantum ad accidentia coloris, quæ reverà ibi ſunt, ſed ſubſtantiam lactis, & ſanguinis non attingit. Similiterque accidentia curvitatis, & figuræ virgę formantur in medio aquæ propter motum ipſius refrangentis ſpecies. Cibus etiam dulcis inficitur qualitate amara medij,

per

per quod tranſit, amaritudine, ſcilicet, humoris colerici, quo lingua infecta eſt, & ita percipitur id, quod eſt. Undè nunquam prędictę potentiæ attingunt id, quod non eſt, ac ſi eſſet.

Secundò arguitur: viſus exterior facit ens ſenſibile fictum, cuius totum *eſſe* eſt in apprehenſione ipſius; ſed hoc eſt facere ens rationis: ergò viſus exterior facit aliquod ēs rationis. Prob. maj. Tū, quia viſus exterior umbrā videt, & tenebras, quæ in re nihil ſunt. Tū, quia attingit colorem in cōmuni, qui eſt propriū ſpecificativum illius; ac denique conjuncta attingit, ut ſeparata, ſicut dum colorem pomi, & non ſaporem attingit; & ipſum gradum genericum, ſine ſpecifico, ſicut dum videt à longe objectum aliquod coloratum, & non cognoſcit, utrúm ſit album, vel nigrum: ergò facit ens ſenſibile fictū, totum eſſe habens in apprehenſione ipſius.

Reſp. neg. maj. ad cujus probationes dicimus: oculum non videre umbram, nec tenebras, ſed vel colorem minus illuminatum, vel illuminationis extrema, ultrà quæ, dùm nō poteſt exercere viſionem, dicitur abuſivè umbrā, vel tenebras videre, cum tamen reverà nihil videat; ſed oculum non videre umbram, & tenebras puras, conſtat ex eo, quod dùm profunda nox in ſuo curſu medium iter agit ſine claritate ſiderum, Lunæ, vel lucernę, nihil magis videmus apertis, quàm clauſis oculis. Colorem etiam in communi, non attingit *formaliter*, ſed ſolùm colorem communem *fundamentaliter*, id eſt illud prædicatum reale coloris, in quo colorata conveniunt, non autem ipſum attingit, ut unū diviſum â differentijs, conſequenterque ſolùm attingit ens omnino reale. Attingit ſimiliter potentia prędicta conjuncta, ut ſeparata, *negativè*, id eſt, unum, & non alterum attingit, ſed non prędcindit *poſitivè* unum ab alio, nec ut ſic præciſſum videt, undè, & ſi attingat colorem pomi, nihil conſiderans de ſapore pomi colorati, vel, quod ſic apprehendit, voce exprimat, nullatenus attingit, quod non eſt; ac ſi eſſet, ut indicat D. Th. 1. p. q. 85. art. 1. ad 1.

Ex quo ad ultimum reſpondetur, nunquam viſum percipere rationem communem colorati, ſine aliqua differentia coloris, quamvis talem differentiam *in confuſo* tantum attingat; nàm viſus ſemper attingit ſingulare, & conſequenter colorem, ut contractum attingit.

Inſtabis: viſus aliquandó attingit colorem, ut con-

tractum per differentiam, quã non habet : ergò attingere poteſt rationem communem colorati, abſque aliqua differentia, etiã *in confuſo* attacta. Prob. ant. Quandoque viſus attingit obiectum à longe perceptum tanquam nigrum, & ſibi tale videtur, quod reverà non eſt nigrum, ſed rubrum, vel album : ergò tunc attingit colorem, ut contractum per differantiam, quam non habet.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. ant. quod reverà non eſt nigrum in ſe ipſo, tranſeat ant. *in eſſe obiecti*, neg. ant. & conſeq. nam licet ille color in ſe ipſo fortaſſe tali differentia nigri poſsit carere, tamen in eſſe obiecti differentia nigri non caret, quia propter obſcuritatem medij talis color & ſi trãſeuntèr formatur in medio, per quod tranſeunt ſpecies, quæ propterea repręſentant talem differentiam, ut afficientem obiectum, & ideó percipitur cum differentia coloris, per quam in eſſe obiecti reverà determinatur. Et rationem huius aſsignat D. Th. lib. 3. metheor. tract. 2. cap. 3. ubi inquit. Quod *quando aer eſt impurus, & coloratus aliquo colore, tunc habet rationem medij, & obiecti ; & ex colore utriuſque, ſcilicet medij, & obiecti, componitur unum obiectum completum viſus ; ex hoc enim, quod lucidum, vel obiectum tranſit per fumum, vel caliginem, vel aliud nigrum, tũc ex utroque componitur tertius color, & hic tanto magis accedit ad album, quanto magis in tali mixtione dominatur lucidum, & ità ſimiliter de nigro.* Quibus verbis, & alijs exemplis ibi adductis a D. Th. prępediuntur inſtantię, quibus Adverſarij occurrere ſolent.

§. IV.

Occurritur cæteris argumentis contrariorum aſſerentium, ſenſus internos, ſcilicet, ſenſum communem, imaginativam, ſeu Phantaſiam, æſtimativam, & memorativam conficere entia rationis.

ARguitur primò : ſenſus interni poſſunt attingere id, quod non eſt, ac ſi eſſet : ergò & poſſunt cõficere entia rationis. Prob. ant. primó. Imaginatio, ſeú phantaſia, poteſt rem abſentem, ut pręſentem attingere : ergò etiam id, quod non eſt, ac ſi eſſet. Prob. ant. Vir divitiarum dormiens ſomnum ſuum, imaginatur ſe inveniſſe theſaurum ; ſed talis theſaurus attingitur ut præſens, cum re-

reverà ſit abſens, nihilque inveniatur in manibus ſuis: ergò imaginatio rem abſentem poteſt, ut prę ſentem attingere.

Secundò prob. ant. Imaginatio format figmentum realitèr impoſsibile: ergò attingit id, quod non eſt, ac ſi eſſet. Prob. ant. Imaginatio format montẽ aureũ; ſed mons aureus eſt realitèr impoſsibilis: ergò imaginatio format figmentum realitèr impoſsibile. Prob. maj. iuxta D. Th. 1. p. q. 12. art. 9. ad 2. *Imaginatio ex præconceptis ſpeciebus montis, & auri format ſpeciem montis aurei*: ergò vera eſt maior.

Reſp. ad argumentum, neg. ant. & ad primam probationem dicimus: imaginationem apprehendere rem abſentem, ut prę ſentem, theſaurum v. g. quem in ſomnis putat vir divitiarum inveniſſe; ſed ex hoc ſolùm infertur attingere non ens *participialitèr*, ut ens, id eſt, quod non exiſtit tanquam exiſtens, non tamen attingere non ens *nominalitèr*, id eſt, illud, quod nec exiſtit, nec exiſtere poteſt: & ut faceret entia rationis, neceſſarium erat, quod attingeret non ens *nominalitèr*, illud videlicèt, quod non ſolum non eſt, ſed eſt impoſsibile, quod ſit, eo quod ſolùm hoc eſt aliquid rationis, habens tantum eſſe objectivè in intellectu, nàm ens, quod exiſtere poteſt, quamvis non exiſtat, eſt aliquid reale.

Inſtabis: ex doctrina tradita ſequitur, quod imaginativa cognoſcat res, alitèr ac ſunt in ſe: ergò & quod faciat entia rationis. Prob. ant. Si imaginativa poteſt attingere non exiſtens verè, ut exiſtens, & non præſens, tanquam prę ſens, poterit attingere rem, non ſecundùm ea, quæ habet in re, ſed ſecundùm ea, quæ illi competunt objectivè: ergò poterit cognoſcere res, aliter ac ſunt in ſe.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. ant. non ſecundùm ea, quę habet in re, *poteſt tamen habere*, conc. ant. non ſecundum ea, quę habet, *nec habere poteſt*, neg. ant. & conſeq. Nàm ens rationis fit, quando res cognoſcitur non ſecundum ea, quæ habet, nec habere poteſt; ſi tamen, quãvis non habeat, poſsit ea habere, non fiet ens rationis, quia prædicata realia poſsibilia non ſunt entia rationis, (ut dictum eſt, q. 1. art. 1. §. 7.) quando apprehenduntur in re, ſed ſolùm denominantur extrinſece cognita, vel repræſentata, ea, quæ de prę ſenti non exiſtunt.

Ad ſecundam probationem ant. principalis, reſp.

neg. ant. & ad probationem diſt. mai. format montem aureum *apprehendendo non ens, ut ens*, neg. maj. *ex ſpeciebus montis, & auri, formando tertiam ſpeciem realem*, conc. maj. nam imaginativa ſolùm attingit exteriora accidentia montis aurei, figuram ſcilicet montis ſub colore aureo, quę accidentia verè poſsibilia ſunt, & in imagine exteriori poſſunt facile depingi. Et ſicut pictor per miſtionem colorum facit montem aureum, quin pictura montis aurei ſit ens rationis, ſic imaginativa, ſpecies entium realium miſcendo, montem aureum format, quin Phantaſma eius, imaginatione formatum, ſit ens rationis. Undè dùm imaginativa, ex præconceptis ſpeciebus montis, & auri, format ſpeciem montis aurei, ens rationis non facit, licèt fortaſse occaſionem præbeat intellectui, ut illud fingat.

Secundò arguitur: æſtimativa naturalis brutorum, attingit non ens, ut ens: ergó facit entia rationis. Prob. ant. Tùm, quia ovis fugit, dùm videt animal indutum veſte lupina ad ſe venientem; ſed hoc eſſe non poteſt, niſi ipſum non lupum, apprehendat ut lupum: ergò. Tùm etiã, quia canis umbram noctu aggreditur, putans hominem eſſe; & aves roſtro impetunt ubas pictas, non aliter, quam ſi eſſent veræ; & id ipſum in diverſis exemplis cæterorum animalium cernere licet: ergò æſtimativa brutorum attingit non ens, ut ens.

Reſp. neg. ant. ad cujus probationes dicimus: Ovem recedere ab animali induto veſte lupina, non quia non lupum apprehendat ut lupum, ſed quia apprehendit figuram lupi, & per ſpeciem insẽſatam apprehẽdit illius inimicitiam, & diſcernere non valet, an illa figura non ſit illud, quod apparet. Similiter canis aggreditur figuram, quam umbra repręſentat, putans, reliqua accidentia, hominis v. g. quem apprehendit, eam comitari. Pariterque aves, dùm roſtro impetunt ubas pictas, ſub illis colotibus confuſè propter diſtantiam cognitis, exiſtimant latere cętera accidentia, quę veras ubas comitantur, quod totum poſsibile eſt, depingi in imagine exteriori, ſicut â Zeuſi factum eſſe refert Plinius in lib. 35. Hiſtorię naturalis cap. 10. Undè nullum in his omnibus ens rationis efficitur.

Tertiò arguitur. Phantaſia ex cõjunctione ad intellectum, poteſt facere entia rationis: ergò ſaltim in homine poterit entia rationis forma-

re.

re. Prob. ant. Accidens ut conjunctum cum ſubſtantia, poteſt producere ſubſtantiam, quamvis ſecundum ſe illam producere non poſsit : ergò ſimiliter phantaſia ex conjunctione ad intellectum poterit facere entia rationis, quamvis ſecundùm ſe illa producere non poſsit.

Reſp. neg. ant. & ad prob. neg. conſ. Quia attingere id, quod nō habet eſſe in re formaliter, ac ſi illud haberet, & attingere negationē entitatis exiſtit extrà ſpheram phantaſiæ, quę ſolum ſenſibile percipere poteſt ; negatio autem entitatis, ſenſibilis non eſt; undè phantaſia ex conjunctione ad intellectum non poteſt iſta præſtare, cum non poſsit propriam ſpheram excedere : accidens verò eſt virtus inſtrumentaria ſubſtantiæ, ipſi à natura data, ut mediante illa operetur, & ideò producere ſubſtantiam, non eſt extrà ſpheram accidentis, ut conjuncti cum ſubſtantia, ſed illi connaturale, cum ad hoc ſit inſtitutum à natura, quapropter diſpar eſt ratio.

Inſtabis : non eſt extrà ſpheram phantaſiæ, ut conjunctę cum intellectu, attingere negationem entis ſenſibilis : ergò nulla eſt data ſolutio. Prob. ant. Sicut intellectus diſcernit inter ens, & non ens ſpirituale, ità phantaſia, ut conjuncta cum intellectu, poteſt diſcernere inter ens, & non ens ſenſibile ; ſed qui inter aliqua diſcernit, utrumque cognoſcit, ut inquit D. Th. 1. p. q. 78. art. 4. ad 2. Ergò non eſt extrà ſpheram phantaſię, ut conjunctę cum intellectu, attingere negationem entis ſenſibilis.

Reſp. neg. ant. & ad probationem neg. mai. Quia ſi phantaſia poſſet diſcernere ens ſenſibile ab ente, quod reverà ſenſibile, & materiale non eſt, etiam poſſet cognoſcere entia ſpiritualia extentia ſenſibilitate, & materia, quod eſt ſupra ſpheram illius, adhuc ut conjunctę cum intellectu, quia in hoc, quod eſt extere materia, & ſenſibilitate, pari paſſu currunt, ens ſpirituale & non ens ſenſibile. Neque eſt ſimile de intellectu, qui potentia ſpiritualis eſt, & poteſt attingere ipſum ens in quantum tale, & illius negationem ; quamquam ſpiritualis ſit, & inter utrumque extremum diſcernere, quia nullum illorum immaterialitatē, & ſpheram intellectus excedit, phantaſia autem ſolum poteſt ſenſibile attingere, cū ſit potentia ſenſitiva, ipſum vero ens, vel illius negationem, nullatenus attingere poteſt, quia non concipit ens

ſub

ſub ratione entis, undè non tenet paritas.

Tandèm arguitur: cogitativa ex conjunctione ad intellectum, habet diſcurrere circâ ſingularia: ergò poterit entia rationis efficere, cum in utroque eadem ſit difficultas. Prob. ant. ex D. Th. 1. p. q. 78. art. 4. in corp. dicente: quod *cogitativa, eſt collativa intentionum individualium, ſicut ratio intellectiva intentionum univerſalium.* Et paulò ſuprà ait, quod *cogitativa dicitur ratio particularis.* Quod idem de memorativa, ſeu reminiſcentia, & ſenſu communi dici poteſt, ut ibidem indicat Ang. Præcept. & in reſp. ad 2. & ad 5. ergò ex conjunctione ad intellectum, habet diſcurrere circà ſingularia.

Reſp. neg. ant. & ad probationem explic. ant. *collativa intentionum individualium materialitèr*, conc. ant. *formalitèr*, neg. ant. & conſeq. Cogitativa namque ex conjunctione ad intellectum, ſolum habet conferre, & diſcurrere circà ſenſibilia materialitèr, unum quodam modò cùm altero conferendo, non tamen habet diſcurrere formalitèr, & unum cum altero formalitèr conferre, eo quod ſui non eſt percipere ordinem rationis prædicati ad ſubjectum, & præmiſſæ ad concluſionem, quod neceſſarium erat, ut faceret entia rationis. Et eadem diſtinctio applicari poteſt verbis D. Th. in reſp. ad 5. dicentis: quod *illam eminentiam, ſcilicet, conferre, componere, & dividere, habet cogitativa, & memorativa in homine, non per id, quod eſt proprium ſenſitivæ partis, ſed per aliquam affinitatem, & propinquitatem ad rationem univerſalem.* Statim enim ſubdit Ang. Præcep. quod *non ſunt aliæ vires, ſed eædem, perfectiores, quam ſint in alijs animalibus.* Undè, ſicut avis v. g. dum colligit paleam ad nidificandum, ſolùm materialitèr paleam cum nidulo confert, & componit, ita etiam cogitativa, & memorativa hominis. Idemque aſſerendum, dum dicitur, quod ſenſus communis diſcerni album a dulci, ideòque ad ipſam pertinere debet diſcretionis judicium.

ARTICULUS II.

Utrum intellectus divinus poſſit facere entia rationis?

§. I.

Explicatur difficultas, & ſtatuitur negativa concluſio.

AD articuli intelligentiam ſupponendum eſt tanquam certum, Deum

Op-

Optimum Maximum entia rationis cognoſcere, quod quidem Scriptura ſancta ſatis indicare videtur, nàm ſapientię 8. verſu 8. dicitur; *quod ipſa ſcit verſutias ſermonũ, & diſſolutiones argumentorum, ſigna, & monſtra, antequam fiant*, & hoc ipſum 1.p. q.14. art.9. docuit Ang. Doct. dicens: *Deus ſcit omnia, quæcumque ſunt quocumque modo. Ea verò, quæ non ſunt actu, ſunt in potentia, vel ipſius Dei, vel creaturæ, ſive in potentia activa, ſive in paſſiva, ſive in potentia opinandi, vel imaginandi, vel quocumque modo ſignificandi. Quæcumque igitur poſſunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici... Cognoſcit Deus.*

Ratio etiam id ipſum ſuadet, quia omne cognoſcibile debet à Deo cognoſci, alias non eſſet Deus infinitus in cognoſcendo, ſiquidem aliquod cognoſcibile ſubterfugeret cognitionem ipſius; ſed ens rationis cognoſcibile eſt: ergò debet à Deo cognoſci. Prob. min. Cognoſcibilitas ſuprà entitatem fundatur; & ad illam conſequitur; ſed ens rationis aliquam habet entitatem: ergò cognoſcibile eſt.

Confirmatur: non poteſt cognoſci comprehenſivè actus aliquis, quin terminus, & objectum illius cognoſcantur, nàm ut inquit D. Th. 1. p. q. 14. art. 3. in corp. *Tùm dicitur aliquid comprehendi, quando pervenitur ad finem cognitionis ipſius*; ſed Deus cognoſcit comprehenſivè omnem actum noſtri intellectus, *omnia enim nuda, & aperta ſunt oculis eius*, ut dicit Apoſtolus ad Hebr. 4. v. 13.: ergò terminum, vel objectum illius, etiam cognoſcit. Sed objectum alicuius actus, illius videlicet, quo fingimus ens rationis, eſt ipſum ens rationis: ergò ipſum Deus cognoſcit.

Ulteriùs idipſum oſtenditur, ſimulque evertitur fundamentum Vazquetij, Alarcon, & Caramuel oppoſitum aſſerentium. Eatenus Deus, non poſſet entia rationis cognoſcere, quia cognitio entis rationis involvit imperfectionem; ſed cognitio entis rationis, dùm merè ſpeculativa eſt, nullam imperfectionem involvit: ergó poteſt Deus entia rationis ſpeculativè cognoſcere. Major eſt fundamentum Vazquetij, Alarcon, & Caramuel, qui propterea negabant Deum entia rationis cognoſcere, quia non diſcernebant inter cognitionem ſpeculativam, & practicam factivam entis rationis. Min. vero probatur. Quod in ſe ipſo imperfectum eſt, poteſt à Deo ſine ullà imperfectione cognoſci, ut patet in peccato, quod

quod maximè imperfectũ est, & tamen cognitio illius nullam involvit imperfectionem: ergò etiam cognitio entis rationis nullam imperfectionem involvit, quamvis illud in se ipso imperfectionem importet, præterquamquod homines quandoque peccant fingentes entia rationis, ac proindè si Deus hæc nostra figmenta non cognosceret, aliqua peccata ignoraret, quod Authores oppositi asserere non audebunt.

Dices: Deus non potest cognoscere ea objecta, quorum non habet ideam: sed Deus non habet ideam entis rationis: ergò ea cognoscere nequit. Mai. deducitur ex D. Th. 1.p. q.15. art.3. ubi resolvit, quod *omnium, quæ cognoscit Deus, sunt ideæ*, min. patet. Quia Deus solum habet ideam eorum, quę facere potest, entia autem rationis Deus efficere non potest, ut statim infrà dicemus.

Resp. neg. maj. nam, ut Deus cognoscat entia rationis, sufficit, quod habeat ideã causæ producentis illa, nec requiritur habere propriam ipsorum ideam, vel alitèr, (ut cum D. Th. loquamur loco in argumento citato) idea duplicitèr accipi potest: & secundùm quod est principium factionis rerum, quæ dicitur *exemplar*, & ad practicam cognitionem pertinet, vel secundùm quod est principium cognoscitivum, quę propriè dicitur *ratio*, & potest etiam ad scientiam speculativã pertinere. Cognitione practica non potest Deus cognoscere objecta, quorum non habet ideam, secundùm quod idea est *exemplar*, cognitione vero speculativa, potest Deus cognoscere, non solum ea, quorum non habet ideam, secundum quod idea est *exemplar*, verùm etiam illa, quorum non habet ideam, secundùm quod idea dicitur ratio; nàm malum, ut inquit D.Th. loc.cit.in resp. ad 1. *non habet in Deo ideam, neque secundum quod idea est exemplar, neque secundùm quod est ratio*, & tamen à Deo per rationem boni cognoscitur. Undé, licet Deus non habeat ideam entis rationis, poterit ipsum cognitione speculativa cognoscere.

His ergó prælibatis, circà præsentem difficultatem, triplex versatur sententia. Prima absolutè affirmat, Deũ posse entia rationis efficere: ita Scotus, & Durandus, quibus alij recentiores adhærent.

Secunda censet, Deum non posse facere aliqua entia rationis, qualia sunt, relatio generis, & speciei, mons aureus, & alia similia figmen-

tas

ta; posse tamen Deum formare entia rationis, quæ consequuntur modum perfectum intelligendi, cuius generis sunt respectus illi rationis, quibus multiplicantur ideæ: & hanc sententiam plures Thomistæ tuentur.

Tertia tandem constanter defendit; non posse Deum facere aliqua entia rationis, quęcumque illa sint, sed ea tantum fieri posse ab intellectu creato, qui solus fingere potest; aut figmenta fabricare, quę sententia intèr Thomistas communior est, quibus etiam adhærent plures extrà Scholam D. Th. cum quibus.

§. II.

Nostra conclusio.

Intellectus divinus non potest facere entia rationis.

PRobatur conclusio nostra ratione: facere entia rationis, imperfectionem importat: ergò Deus in quo nullam imperfectionem possumus admittere, non poterit entia rationis formare. Prob. ant. facère ens rationis, est cognoscere formalitèr id, quod non est, ac si esset, sed hoc importat imperfectionem: ergò facere entia rationis imperfectionem importat. Prob. min. cognoscere id, quod non est, ac si esset, est cognoscere rem, aliter ac est in se; sed cognoscere rem, aliter ac est in se involvit imperfectionem; ergò etiam cognoscere id, quod non est, ac si esset. Prob. min. Cognitio non adęquata cum re, imperfectionẽ importat, & defectum cognitionis; sed cognitio rei, aliter ac est in se, non adęquatur cum ea prout in re, quinpotius eam, aliter ac est, attingit: ergò cognoscére rem, aliter ac est in se, involvit imperfectionem.

Confirmatur: quia voluntas divina perfectissima est in volendo, non potest ut bonum attingere, quod in re bonum non est, aliàs posset attingere bonum, quod in re bonum non est, sed solum apparenter, ac proindè posset peccare; sed intellectus divinus, in cognoscendo perfectissimus est: ergò non potest cognoscere id, quod non est, ac si esset, aut ens rationis efficere.

Urgetur doctrina nostra: intellectui divino repugnat omnis falsitas; sed si conciperet id, quod non est, ac si esset falso conciperet, & falsũ esset: ergó nequit attingere id, quod non est, ac si esset. Prob. min. Si divinus intellectus conciperet id, quod non est, ac

ac si esset, hoc faceret judicando illud non ens, esse ens, vel ità esse sicut concipit intellectus attingens rem aliter ac est: ergò falsò conciperet. Prob. ant. in intellectu divino, non datur simplex apprehensio, aut enuntiatio, vel alter actus, qui non sit actus judicij, nam quilibet alius imperfectus est. Undé Ang. Præcept. 1. 2. q. 14. art. 1. ad 2. & cum eo discipuli eius, solum recognoscunt in Deo consilium terminativè acceptum pro actu judicij: ergò si Deus cognosceret id, quod non est, ac si esset, hoc faceret judicando.

Respondent Adversarij, Deum non posse cognoscere rem, aliter ac est in se, per assensum, aliàs judicaret rem conceptam ità esse, & consequenter esset falsus in illius attingentia; posse tamen Deũ cognoscere rem aliter ac est per dissensum, & negando rem ità esse, v. g. identificari realiter prędicata chimeræ, quæ ut identificata cognoscit.

Sed hęc solutio non infringit doctrinam datam, sed potius in se ipsa involvit implicationem. Nam quamvis Deus per aliquem actum neget, prædicata chimerę esse identificata realiter, hoc tamen non negat per illum actum, quo talia extrema, ut identificata cognoscit; sed ille primus actus est verè judicativus, ut relinquimus probatum: ergò sic attingens falsus est.

Insistunt Adversarij dicentes, intellectum divinum non per unum actum attingere prædicata illa, ut identificata realiter, & per alium actum illam identitatem negare, sed per primum actum, quo illa attingit, ut identificata, negare, & dissentire illorum identitati.

Sed contra est: quia negare idẽtitatẽ extremorũ, & illi dissẽtire est actus distinctus, sive formaliter, sivé terminativè ab eo, quo attingit extrema, ut identificata, per hunc autẽ actum, quo attingit extrema, ut identificata realitèr, nõ negat extrema ità esse, sed potius judicat esse ità, siquidẽ illa attingit ut realitèr identificata, & illa attingentia est judicium de eo, quod attingit: ergò solutio implicatoria est.

Ad rationem tamen primam respondent contrarij: ad faciendum ens rationis, non requiri cognoscere rem aliter ac est, sed satis esse cognoscere ens rationis, ut ens fictum, & apparens, quod potius est cognoscere ens rationis prout est, cum reverà ità sit.

Hæc tamen solutio vera esse non potest: tùm quia facere entia rationis, est cognoscere rem, non secundùm

ea,

ea, quę habet, vel habere potest à parte rei, sed secundùm ea tantum, quæ habet ex consideratione, vel ex fictione intellectus; sed ità cognoscere rem, est cognoscere illā, non prout est in se, ut per se manifestum videtur, quando quidem in se talia prędicata non habet: ergò formare entia rationis semper est cognoscere rem, aliter ac est. Tùm etiam, quia, quando conficitur ens rationis, non cognoscitur admodum entis, quia ipsum sit admodum entis: ergò cognoscitur aliter ac est. Prob. ant. Quando conficitur ens rationis, habet esse admodum entis, quia cum non sit ens, cognoscitur admodū entis: ergò non cognoscitur admodum entis, quia ipsum sit admodum entis, sed potius ideò est admodum entis, quia admodum entis cognoscitur, ac proinde facere ens rationis, semper est cognoscere rem, alitér ac est.

Respondent alij ad rationem nostram, intellectum divinum, non posse facere entia rationis, illa per se primò fingendo, & nullo habito respectu ad intellectum creatum; posse tamen facere entia rationis illa concipiendo, ut iam facta à creatura, in quo nulla involvitur imperfectio, quando quidem non illa cognoscit aliter ac sunt, sed potius secundùm esse, quod habent ab intellectu creato.

Sed hęc solutio in terminis implicare videtur: nam si intellectus divinus supponit facta entia rationis, non poterit illa facere, nam id, quod est, dùm est, non potest iterùm fieri, aliàs esset, & non esset idem. Rursus: ens rationis solùm habet esse objectivū in ipsa potentia, à qua fit: ergò si entia rationis fiunt ab intellectu divino, non habent esse ante illud, quod habent in divino intellectu, proindeque non erunt priùs facta, & habentia esse ab intellectu creato.

Tandèm probatur conclusio, specialiter contra Authores sententiæ mediæ: si Deus faceret aliqua entia rationis, maximè respectus idæales; sed respectus idæales Deus facere non potest: ergò nulla potest facere entia rationis. Prob. min. si Deus faceret respectus idæales, cognosceret essentiam suam, ut relatam ad creaturas; sed hoc implicat, aliàs cognosceret essentiam suam aliter ac est in se, cum in se relata non sit: ergò respectus idęales Deus facere non potest.

Confirmatur: si Deus faceret respectus idęales, quibus multiplicantur, & distinguun-

tionem prædictam facere non poteſt: ergò nequit facere reſpectus ideales. Prob. min. Deus facere nō poteſt diſtinctionem inter divina attributa, ut ſemper affirmat D. Th.: ergò nequit facere diſtinctionē inter reſpectus ideales, nàm utriuſque eadem ratio videtur.

§. III.

Argumentis contrariorum occurritur.

COntrà concluſionem iſtā arguitur primò: Deus cognoſcit privationem; ſed cognoſcere privationem eſt facere entia rationis: ergò Deus facit entia rationis. Prob. min. Cognoſcere tenebras v. g. eſt dare illis aliquod eſſe objectivum, quod non habent in re: ergò cognoſcere privationem eſt facere entia rationis.

Explicatur: Deus cognoſcit privationem admodum formæ poſitivę: ergò cognoſcit id, quod non eſt, ac ſi eſſet, & facit entia rationis. Prob. ant. Deus cognoſcit privationem per formam poſitivam: ergò illam cognoſcit admodum formę poſitivę.

Reſp. ad argum. diſt. maj. Privationem *per diſſenſum*, conc. maj. *per aſſenſum*, neg. maj. & diſt. min. cognoſcere *per aſſenſum*, conc. min. *per diſſenſum* neg. min. & applicata eadē diſtinctione probationi min. neg. utraque conſeq. Quia cognoſcere privationem per aſſenſum, eſt dare illi eſſe objectivum, quod non habet in re, quod Deus facere non poteſt, propter rationem allatam inter probandam concluſionem, ſed ſolum poteſt cognoſcere privationem per diſſenſum, quatenus cognoſcit in ſubjecto non eſſe formam.

Inſtabis: non ſolum cognoſcit Deus privationem per diſſenſum, ſed etiam per aſſenſum: ergò nulla eſt data ſolutio. Prob. ant. non ſolū cognoſcit Deus, aerem non eſſe lucidum, ſed etiam ipſum eſſe tenebroſum; ſed cognoſcere aerem eſſe tenebroſum, eſt cognoſcere privationem per aſſenſum, cum tenebras de aere affirmet: ergò non ſolùm cognoſcit Deus privationem per diſſenſum, ſed etiam per aſſenſum.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. maj. cognoſcit *ſpeculativè*, conc. maj. *practicè*, neg. maj. & diſt. min. cognoſcere *practicè*, conc. min. *ſpeculativè*, neg. min. & conſeq. Quia Deus ſolùm cognoſcit, verè à nobis affirmari, aerem eſſe tenebroſum, qua-

ic-

tenùs Deus cognoscit, intellectũ nostrum concipere tenebras admodum formę positivę, & præbere illis esse objectivũ, quod non habent in re, & ab illo esse denominari aerem tenebrosũ, quod est cognoscere aerẽ esse tenebrosũ objectivè, & merè speculativè; nõ tamẽ Deus tenebras affirmat de aere, nec illas concipit practicè admodum rei positivæ, sed illas attingit per dissensum, & ut sunt, eo quod verè cognoscit, quod forma lucis ibi non est: ut patet ex D. Dionysio, cap. 7. de Div. nom. dicente: quod *Deus per semetipsum tenebrarum accipit visionem, non aliundè videns tenebras, quam à lumine.*

Ad explicationem ex eadem doctrina, resp. neg. ant. & ad probationem dist. ant. cognoscit *per dissensum*, conc. ant. *per assensum*, neg. ant. & conseq. Licet namque verùm sit Deum cognoscere privationem per formam, quà privat, sicut per lucem cognoscuntur tenebrę, ut inquit D. Th. 1. p. q. 14. art. 10. & 1. contra gent. cap. 71. non tamen illam cognoscit per assensum, affirmando privationem de subjecto, vel de forma, sed solùm per dissensum, cognoscendo videlicet in subjecto nõ esse formam; ut autem cognosceret privationem admodum formæ positivę, ad quam solùm beneficio intellectus dicit ordinem, quia ad instar illius apprehenditur, & ratione cuius id, quod non est ens, vestitur entitate apprehensa, debebat illam cognoscere tanquam formam in subjecto, illam per assensum de subjecto affirmando, quod Deus non facit, quamvis speculativè cognoscat à nobis hæc omnia fieri.

Instabis: ut privatio cognoscatur ab intellectu divino, necesse est Deum illam cognoscere per assensum ad modum formæ positivę: ergò solutio data non tenet. Prob. ant. Nihil est cognoscibile, nisi contineatur sub ente, quia objectum adęquatum intellectus est ens; sed si privatio non cognoscitur ad modum formę positivę, & aliquod esse positivũ per intellectũ nõ acquirit, non continetur sub ente, eo quod privatio remotivè sumpta non est ens, sed potius carentia entis: ergò ut cognoscatur ab intellectu divino, necesse est Deum illam per assensum cognoscere admodum formę positivæ.

Resp. neg. ant. & ad probationem, dist. min. non continetur sub ente *directè*, & *formaliter*, conc. min. *indirecte*, & *in obliquo*, neg. min. & conseq. Nàm quamvis privatio

tio ſumpta remotive, aut negativè, non ſit formalitèr ens, vel formalitér contenta ſub ente, in obliquo tamen ſub ente continetur, eo quod, quæcumque negatio, vel privatio ſpecificatur ab entitate, qua privat, & ideò illam connotat in obliquo, quod ſatis eſt, ut ab intellectu attingatur per ordinem ad entitatem, cui opponitur, ſicut peccata attinguntur ab habitu Theologię per ordinem ad Deum, cui formaliter opponuntur.

Secundò arguitur: Deus facere poteſt, quidquid non dicit imperfectionem; ſed cognoſcere id, quod non eſt, ac ſi eſſet, non dicit imperfectionem: ergò Deus cognoſcere poterit id, quod non eſt, ac ſi eſſet, ac proindè entia rationis formare. Prob. min. Producere rem, ſicut exigit produci, nullam dicit imperfectionem; ſed ens rationis exigit fieri per actionem, qua cognoſcitur id, quod non eſt, ac ſi eſſet: ergò cognoſcere id, quod non eſt, ac ſi eſſet, non dicit imperfectionē. Prob. maj. Quamvis formica imperfecta ſit, illius tamen productio non dicit imperfectionem, quia formica exigit cum tali imperfectione produci, quod idem in pluribus alijs cernere licet: ergó producere rem, ſicut exigit produci, nullam dicit imperfectionem.

Reſp. neg. min. & ad probationem diſt. maj. producere rem, *cuius produci importat efficientiam ſine deficientia*, conc. maj. *ſi efficientiam cum deficientia importet*, neg. maj. & conceſſa min. neg. conſeq. Aliqua enim non poſſunt fieri ſine defectu producentis, ut contingit in peccato, cuius fieri nequit eſſe abſque defectu operantis, & talia producere, ſicut exigunt produci, imperfectio eſt, quę etiam reperitur, ut vidimus, in fieri entis rationis, quia eſſentialiter petit fieri per cognitionem, qua non ens concipitur admodum entis: alia verò quamvis imperfecta ſint in ſe, non tamen involvunt aliquem defectum ex parte operantis, quia poſſunt fieri non deficiendo, & talia producere, ſicut exigunt produci, imperfectionem non dicit, ut contingit in formica.

Inſtabis: cognoſcere rem, ſicut exigit cognoſci, nullam dicit imperfectionem: ergo nullo modo illam dicit producere rem, ſicut exigit produci. Prob. ant. Deum cognoſcere creaturas poſsibiles abſtractivè, nullam dicit imperfectionem; ſed hoc ideò eſt, quia ſic petunt cognoſci: ergò cognoſcere rē, ſicut exigit cognoſci, nullam dicit imperfectionē.

Reſp.

Resp. aut distinguendo sicut priùs, aut negand. ant. & ad probationem neg. min. Quia cognoscere creaturas possibiles abstractivè, non ideó imperfectionem non dicit, quia sic petunt cognosci, sed quia per talem cognitionem attinguntur, ut carentes existentia, quam in re, & verè non habent; cęterum ens rationis per cognitionem factivam sui non attingitur ut est in se, sed potius aliter ac est, cognoscitur enim admodùm entis, cum in se admodum entis non sit, ideòque ipsum producere imperfectionē importat.

Dices: nulla imperfectio est in eo, quod cognoscatur ad modum entis, id, quod est admodùm entis; sed quando fit ens rationis, solùm cognoscitur admodum entis, id, quod est admodum entis: ergò ipsum producere nullam imperfectionem importat.

Resp. dist. maj. Quod est admodum entis, *independentèr à cognitione*, conc. maj. *ex vi ipsius cognitionis*, neg. maj. & dist. min. Quod est admodum entis *per ipsam cognitionem*, conc. min. *antecedenter ad illam* neg. min. & conseq. nam quando illud, quod habet esse ad modum entis per cognitionem, attingitur admodum entis, non cognoscitur admodum entis, quia in se sit admodum entis, sed potius in se est admodum entis, quia admodum entis cognoscitur, & tale esse per cognitionem adquirit, quod quidem est imperfectio cognitionis, quę tunc casus non adæquatur cum re prout est, sed illam, aliter ac est attingit.

Tertiò arguitur: Deus cognoscit plura impossibilia positiva, antecedenter ad intellectum humanum, & independenter ab illo; sed hoc non potest esse, nisi faciat entia rationis, nàm eorū fieri cōsistit in cognosci: ergó Deus facit ētia rationis. Min. pat. Quia impossibilia positiva, concipiuntur cum aliquo esse positivo; sed tale esse positivum non habent in re, quia impossibilia sunt, nec habent ab humano intellectu, si semel cognoscuntur independentèr ab illo: ergò illud habent à divino intellectu, & consequenter nequit intellectus divinus prędictam cognitionem exercere, nisi faciat entia rationis. Maj. verò probatur: Deus cognoscit independenter ab intellectu humano, chymeram esse impossibilem, non esse alterum Deum, & huiusmodi alia impossibilia; sed hęc omnia sunt impossibilia positiva: ergò Deus cognoscit plura impossibilia positiva

antecedenter ad intellectum humanum, & indepentèr ab illo.

Resp. dist. maj. cognoscit *speculativè* plura impossibilia positiva antecedenter ad intellectum humanum, & independenter ab illo, *ut existente*, conc. maj. *practicè*, & independenter ab illo, *ut futuro, vel possibili*, neg. maj. & iuxtà eandem distinctionem, neg. min. & conseq. Quia Deus solum speculativè cognoscit impossibilia, secundùm quod positiva, quatenús cognoscit illud esse positivum, quod habebunt, vel habere possunt per intellectum humanum; quod quidem esse denominatur ab æterno extrinsecè cognitum ab intellectu divino: non tamen Deus practicè cognoscit ea omnia, ut positiva, esse positivum attribuendo illis per actionem intellectus, quia non cognoscit illa, ut formata ad instar entis realis antecedentèr ad intellectum nostrum, vel existentem, vel futurum, vel possibilem, licet non semper requirat intellectum nostrum actu existentem, quia non semper illa intelligit, ut actu formata, sed potest ea intelligere ut formanda respectu intellectus futuri, vel ut possibilia formari respectu intellectus possibilis. Unde licet esse positivum, quod habebunt per intellectum humanum, modo cognoscatur ab intellectu divino, efficienter tamen à divino intellectu non provenit.

Dices: quando Deus entia rationis cognoscit, tribuit eis aliquod esse: ergò ea practicè attingit, & consequentèr facit.

Resp. dist. ant. aliquod esse *extrinsecum*, conc. ant. *intrinsecum*, neg. ant. & conf. Deus namque entia rationis cognoscens, solum eis tribuit aliquod esse extrinsecum, videlicet denominationem extrinsecam cogniti, non tamen tribuit eis aliquod esse intrinsecum; ens namque rationis, non consistit in cognosci, quasi denominativè extrinsecè, cum hoc commune sit enti reali, & rationis, sed solùm consistit in cognosci, quasi consecutivè, quando scilicet ex ipso cognosci sequitur, quod non ens se habeat ut ens, quod Deus facere non potest, & hoc erat necessarium, ut ea cognosceret practicè.

Instabis: Deus cognoscēs entia rationis, quę aliquando erunt, ea etiam cognoscit per scientiam visionis; sed scientia visionis practica est: ergò practicè ea cognoscit.

Resp. dist. maj. ea etiam cognoscit per scientiam visionis, *ut speculativam*, conc. maj.

maj. *ut practicam*, neg. maj. nam Deus ſolum cognoſcit talia entia rationis per ſcientiam viſionis, non quatenus practicam, ſed quatenus ſpeculativa eſt, quomodo cognoſcit peccatum, quod tamen practicè non cognoſcit, aliàs peccatum efficeret.

Replicabis: Deus entia prædicta cognoſcere debet per ſcientiam viſionis, quatenus practica eſt: ergò nulla eſt ſolutio. Prob. ant. Conceptus ſpeculativæ in ſcientia viſionis, ſupponit conceptum practicè, quia ſpeculari non poteſt, quod non eſt: ergò non poteſt Deus entia rationis cognoſcere per ſcientiam viſionis, quatenus ſpeculativa eſt, niſi per ipſam, quatenus practicam ea cognoſcat.

Reſp. neg. utrumque ant. Nam quando effectus à Deo fieri non poteſt, conceptus ſpeculativè in ſcientia viſionis, non ſupponit conceptum practicæ proprium ipſius, ſed tantum ſupponit propriam cauſam, videlicet creaturam, ut determinatam ad effectus productionem, ad quam determinationem conſequitur, quod Deus ſpeculetur effectum, ſicut conſtat in peccato, quod ſcientia divina viſionis ſpeculativa attingit pro poſteriori ad creaturam cognitam in decreto permiſsivo ad peccandum determinatam.

Quartò arguitur: Ad formandum entia rationis, nulla requiritur fictio: ergò Deus poteſt facere entia rationis. Prob. ant. Chriſtus Dominus, formavit entia rationis; ſed Chriſto fictio repugnat, ſicut etiam error ſpeculativus, quia utraque cognitio attingit rem aliter ac eſt: ergò ad formandum entia rationis, nulla requiritur fictio.

Confirmatur: ſi facere entia rationis diceret imperfectionem, non poſſet convenire Chriſto, à quo relegamus omnem imperfectionem; ſed Chriſtus formavit entia rationis: ergò.

Reſp. ad arg. neg. ant. & ad prob. diſt. min. fictio *aſſertiva*, conc. min. *aprehenſiva*, ſubdiſt. *ratione naturæ divinæ*, conc. min. *ratione naturæ humanæ*, neg. min. & conſeq. Quia fictio aſſertiva, in qua conſiſtit error, deſtruit objectum Divinæ veritatis, eo quod affirmat oppoſitum illius, quod divina ſapientia cognoſcit, & ita nequit competere Chriſto: fictio tamen apprehenſiva, non affirmat ita eſſe rem, quam attingit aliter ac eſt, ſed modo ſimplici tendit in illam, nihil affirmando, vel negando, & ideo fictio hæc Chriſto D. ratione naturæ humanæ, non repugnat, & hæc ſola ſuf-

ficit ad formã entia rationis.

Ad confirmationem resp. dist. mai. Si facere entia rationis diceret imperfectionem moralem, conc. maj. physicam, neg. mai. & conces. min. neg. conseq. Si enim facere entia rationis, diceret imperfectionem moralem, qualem involvit peccatum, aut trangressio consiliorum, procul dubio Christo Domino repugnaret; tàm respectu naturę humanæ, quàm divinæ: Verùm entia rationis conficere, solùm imperfectionem physicam dicit, quæ Christo non repugnat ratione intellectus humani. Ratio autem ea est, quia imperfectio moralis, opponitur cum sanctitate infinita, quę debet excludere omnem indecentiam moralem, quam importat quęcumque imperfectio moralis: physica tamen imperfectio, nullam dicit indecentiam, & potest ad bonum maximum ordinari, sicut argumentationes ab exemplo, scilèt: *Respicite volatalia cæli*: : : *Considerate lilia agri*:: Et alia huiusmodi, quæ habentur Math. 6. Ordinabat Christus, ut homines quærerent primum regnum Dei, & iustitiam eius. Similitèrq; labores nostros, quos ipse portavit, & languores nostros, quos ipse tulit, ordinavit in salutem generis humani.

Quintò arguitur: Tunc efficitur ens rationis, quando id, quod non est, cognoscitur admodum entis; sed quotiescumq; cognoscit Deus ens rationis, ipsum etiam cognoscit admodùm entis: ergo Deus facit entia rationis. Prob. min. ex D. Th. 1. p. q. 14. art. 9. in corp. dicente: quod *Deus cognoscit omnia quęcumque sunt quocumque modo*; sed ens rationis est cognoscibile admodum entis: ergò quotiescumque Deus cognoscit ipsum, admodùm entis cognoscit.

Resp. dist. mai. admodùm entis *ex modo cognoscendi*, conc. mai. *præcisiè ex parte rei cognitæ*, neg. mai. & dist. min. admodùm entis ex parte rei cognitæ, conc. min. ex modo cognoscendi, neg. min. Quia Deus solum cognoscit illud, quod finxit, vel fingere potest creatura, habere tantum esse admodum entis, undè totum hoc se tenet ex parte rei cognitæ, & ut tale speculatur à Deo: non tamen cognoscit Deus practicè & ex parte modi illud non ens admodum entis, attingendo ipsum exercitè admodum, & similitudinem entis realis, nec talem similitudinem

nem habet objectum ex vi modi, quo cognoscitur à Deo sicut Deus cognoscit discursum factum ab intellectu creato, non tamen imperfectio discursus se tenet ex parte modi, quo cognoscitur à Deo. Qua propter dum dicit D. Th. Deum cognoscere omnia, quæcumque sunt, quocumque modo, ly quocumque modo, non debet aplicari ad ly cognoscit, sed ad ly sunt, id est, quæ sunt quocumque modo, Deus cognoscit.

Instabis: facere entia rationis, est cognoscere rem, aliter ac est in se ex modo cognoscendi, iuxta datam solutionem; sed Deus plura objecta attingit aliter ac sunt in se ex modo cognoscendi: ergò plura facit entia rationis. Prob. min. Deus materialia modo immateriali cognoscit, & omnes creaturas attingit admodum entis divini, cum ens divinum sit objectum specificativum Divini intellectus, & ipse nihil cognoscere possit, nisi admodum sui specificativi: ergò Deus plura objecta attingit aliter ac sunt in se ex modo cognoscendi.

Resp. dist. mai. aliter ac est in se *alietate refussa in objectum, & aplicata rei cognitæ*, conc. mai. *alietate se habente præcisè ex modo cognoscendi*, neg. mai. & sub eadem dist. neg. min. & conseq. Licet namque Deus cognoscat plura objecta aliter ac sunt in se ex parte modi cognoscendi, quia materialia, composita, & finita, modo infinito simplici, & immateriali cognoscit, talis tamen alietas se tenet præcisè ex parte cognitionis, & illius entitatis, quæ infinita, simplex & immaterialis est, non tamen ex parte rei cognitę, eo quod Deus ex vi suæ cognitionis non attribuit talem modum rebus cognitis, sed solùm se habet ille modus ex parte Dei attingentis; quamvis, quia talia objecta modo suo proprio, & speciali non attinguntur, dicantur admodũ alterius attingi: sed quia talia objecta supponuntur in re esse vera entia realia, & ex modo cognoscendi, eis non attribuitur ratio entis, dùm Deus suo modo illa cognoscit, entia rationis non facit: sicut & nos, cum Angelum admodùm juvenis cognoscimus, non facimus ens rationis, quia tale esse Angelo non aplicamus. Et ad probationem imbibitam dicimus: Deum non cognoscere creaturas admodùm entis divini, sed solum per ordinem ad ipsum, tanquam ad specificativum, & primarium terminum intellec-

tus divini. Sicut habitus Theologiæ, quamvis secundariò peccata consideret, ea tamen non attingit admodum entis divini, quod est objectum primarium, à quo Theologia desumit speciem.

Sexto arguitur: Deus simul cum creatura, producit entia rationis: ergò verè ea facit. Prob. ant. Deus simul cum creatura concurrit ad actionem intelligendi, qua finguntur entia rationis: ergò simul cum creatura fingit, & facit. Prob. ant. Si Deus non concurreret ad actionem intelligendi, qua finguntur entia rationis, ipsa creatura esset causa prima actionis prædictæ: sed hoc non est asserendum: ergò simul cum creatura concurrit ad actionem intelligendi, qua finguntur entia rationis.

Resp. neg. ant. & ad probationem dist. ant. ad actionem, *ut vera actio est*, conc ant. *ut fictio est*, neg. ant. & conseq. Quia Deus solum concurrit ad actionem intelligendi, quantum ad id, quod habet entitatis, & perfectionis, non autem quantum ad id quod habet de defectu, aut quatenus fictio est, sub qua formalitate, solùm à creatura procedit. Sicut quidquid est, motus in claudicatione, causatur à virtute motiva, sed quod est obliquitatis in ea, non est ex virtute motiva, sed ex curvitate cruris, ut inquit Ang. Præc. 1. p. q. 49. art. 2. ad 2. & q. 79. in 12. art. 2. in corp. ex cuiusverbis solutionem illam deducimus.

Instabis: Creatura nequit esse prima causa talis actionis, quatenus fictio est: ergò ad illam, ut talem debet concurrere Deus. Prob. ant. Intellectus creatus non potest esse ultimus finis illius actionis, quatenus fictio est, alias quotiescumque homo faceret entia rationis, peccaret mortaliter, siquidem poneret ultimum finem in aliqua creatura: ergò nec creatura erit prima causa talis actionis, quatenus fictio est; quia prima causa, & ultimus finis sibi invicem correspondent.

Respond. negand. utrumque ant. quia fictio quatenus talis, importat defectum actualitatis, & entis, & ideò a sola creatura, tanquam à causa prima provenit deficienter, ad quam etiam tanquam ad ultimum finem phisicum, ordinatur fictio prædicta; ex quo non sequitur, creaturam fingentem entia rationis peccare mortaliter, nàm licèt habeat se ipsam, ut defectibilem pro ultimo fine phisico, solum tamen Deum habet

bet pro ultimo fine moralitatis, & legis: ſi quidem fictio illa conſiderata moraliter, & quatenus libera eſt, ordinatur ab operante in Deum ultimum finem, & lex iubet ſic ordinari, quod ſatis eſt, ut peccaminoſa non ſit, quęcumq enim actio, ſic ordinata ad Deũ, recta, & bona eſt.

§. IIII.

Solvitur argumentum in via D. Th. difficile.

TAndem arguitur: Reſpectus idæales eſſentiæ divinę ad creaturas, ſunt entia rationis, alioquin alia pluralitas realis eſſet in Deo, quam pluralitas perſonarum; ſed tales reſpectus cauſantur â Deo: ergò Deus facit entia rationis. Prob. min. ex D. Th. 1 p. q. 15. art. 2. ad 3. aſſerente: quod *huiuſmodi reſpectus, quibus multiplicantur idęe, non cauſantur à rebus, ſed ab intellectu divino comparante eſſentiam ſuam ad res*: ergò huiuſmodi reſpectus à Deo cauſantur.

Reſp. neg. min. & ad probationem explico ant. Non cauſantur à rebus, fundamentaliter, ſed ab intellectu divino, conc. ant. non cauſantur à rebus formaliter, neg. antec. & conſeq. Intellectus namque divinus ſolum fundamentaliter cauſat reſpectus illos, quibus multiplicantur ideæ, quatenùs cognoſcendo eſſentiam ſuam, ut diverſimodè imitabilem à creaturis, fundamentum præbet, ut humanus intellectus concipiat eſſentiam divinam, ſecundum quod idæam unius creaturę, ut diſtinctam per rationem à ſe ipſa, quatenus idęa alterius eſt, & modo diverſo imitatur ipſam altera creatura: et ſimiliter ita concipiendo eſſentiam, ut diverſimodè imitabilem, fundamentum præſtat, ut humanus intellectus formet reſpectus idæales, comparando formaliter eſſentiam divinam in ordine ad creaturas ſumptas in particulari, & quatenus unaquæque iuxta ſuam naturam, & conditionem, ipſam eſſentiam divinam, ut idæam imitatur.

Inſtabis: Reſpectus illi ſunt formaliter ab æterno; ſed intellectus creatus illos abęterno non cauſat, quia ab æterno non eſt: ergò cauſantur formaliter ab intellectu divino. Prob. mai. Ex Ang. Præctum loc. ſupra cit. in reſp. ad 4. ubi ait: *quod illi reſpectus non ſunt in rebus creatis, ſed in Deo.* Tum quæſt. 3. de verit. art. 2. ad 7. ubi dicit: quod *illi reſpectus non ſunt temporales, ſed æterni in intellectu divino.* Et in reſp. ad 8. quod *reſpectus illi ſunt*

in

in Deo, ut intellecti ab ipso: Ergò si ab æterno sunt intellecti à Deo, ab æterno habent cognosci, seu intelligi, quod est habere esse actu, & formaliter, ac proinde respectus illi sunt formaliter ab æterno.

Resp. neg. mai. & ad primum locum D. Th. dicimus: respectus illos solum esse in Deo fundamentaliter, non vero formaliter, quia non sunt intellecti a Deo sub modo relationis, & ad instar illius, sed sub modo essentiæ divinę, ut imitabilis, & eminenter se habentis ergâ creaturas, non verò ut relationem ad illas dicentis. Et hac ratione explicãtur alię authoritates D. Th. asserentis, quod illi respectus sunt æterni, vel ab æterno intellecti: sunt enim ab æterno intellecti in suo fundamento, non formaliter in se, quia non intelliguntur à Deo per modum relationis, sed per modum eminentię, quam habet essentia sua ergà creaturas, quę eminentia non est relatio, licet fundamentum sit, ut a nobis per modum relationis intelligatur. Et hunc esse sensum D. Th. deducitur ex verbis, quę immediatè subdit in resp. ad 9. ubi inquit: *Quamvis respectus intellecti a Deo sint multi, in quibus pluralitas idearum consistit, quia tamen illos omnes per suã essentiã intelligit, intellectus eius nõ est multiplex, sed unus.* Sentit ergó Ang. Præc. respectus illos nõ cognosci à Deo adinstar relationis, sed per essentiam suam, quam considerare non potest, ut relatam ad creaturas formaliter, hoc enim esset illam considerare sub imperfectione, quam non habet, sed illam considerat, ut in se omnino absolutam, & solum eminenter erga creaturas se habentẽ, quæ eminentia nihil aliud est, quam ipsa imitabilitas divinæ essentiæ in se omnino independens, & creaturas à se dependere faciens: hoc autem non est formare relationem rationis, sed solum fundamentum eius considerare.

Eodem modo loquitur Ang. Doct. in 1. dist. 36. q. 2. art. 2. ad 2. ubi ait: *Quamvis relationes, quæ sunt Dei ad creaturam, realiter in creatura fundentur, tamen secundũ rationẽ, & intellectũ, in Deo etiam sunt: intellectum autem dico, non tantum humanum, sed etiam Angelicum, & divinum, & ideo quamvis creaturæ ab æterno non fuerint, tamen intellectus divinus ab æterno fuit intelligens essentiam suam diversimodè à creaturis imitabilem, & propter hoc fuit ab æterno pluralitas idearum in*

in-

intellectu divino, non in natura ipſius. En quomodo ponit D. Th. fuiſſe in Deo ab æterno reſpectus iſtos ideales, quia ſcilicet, *fuit ab æterno intelligens eſſentiam ſuam diverſimodè à creaturis imitabilem, & propter hoc fuit ab æterno pluralitas idearum.* Non ergò fuerūt reſpectus iſti ab æterno intellecti formaliter ad inſtar relationis, quod erat neceſſarium ut entia rationis à Deo formarentur: nec eſſentia divina ab æterno intellecta eſt, ut relata, ſed ſolum ut à creaturis imitabilis, quę imitabilitas ſolùm eſt fundamentum relationis rationis, non ipſa relatio formaliter, quia tunc ſolum formatur relatio rationis, quādo admodum relationis intelligitur id, quod in re non eſt relatio, & quando intellectus nititur apprehendere tanquam ens id, quod non eſt ens: quod totum eſt imperfectè cognoſcere, ideoque Deo convenire non poteſt. Cum hoc tamen optime componitur, quod huiuſmodi reſpectus abſolutè dicantur eſſe ab æterno, nam in entibus rationis, utpote minimæ entitatis, ſufficit fundamentum ad abſolutam denominationem præſtandam, ut dictum eſt quæſt. 1. de ent. rat. art. 6. in reſp. ad inſt. 2. argumenti.

Aliæ difficultates ſolent circà præſentem diſſertationem ab Scholaſticis proponi, verùm, quia magna ex parte Theologicę ſunt, & communitèr exagitantur à Theologis, cum de idæis divinis ſermonem ediſſerunt, ad utiliora procedimus, Logico enim ſupradicta ſufficient, ut pervenire poſsit ad claram intelligentiam formationis entium rationis.

§. V.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in articuli diſcurſu colligitur, intellectum Angeli poſſe formare aliqua entia rationis, diſtinctionem videlicet repertam inter divina attributa, quę imperfectè etiam cognoſcit, & non unico conceptu, quamvis formare non poſsit alia entia rationis involventia imperfectionē propriam intellectus humani, qualia ſunt ea, quæ in compoſitione, & diſcurſu reperiuntur: Angelus enim non intelligit componendo, & dividendo, nec etiam diſcurrendo, ut inquit D. Th. 1. p. q. 58. art. 3. & 4.

Colligitur etiam ex dictis, aliqua entia rationis fieri per ſimplicem apprehenſionē, v. g. intentionem termini, generis, ſpeciei, & ſimilium, quas for-

format intellectus, eas apprehendendo ad modum relationis realis, nihil tamen affirmando, vel negando, ut indicat D. Th. 1. p. q. 28. art. 1. in corp. & in resp. ad 4. & 1. Perih. lect. 10. Ex quo similiter habetur, quod ut fiat ens rationis, semper requiritur actio quodammodò comparativa, qua saltim attingat ens rationis admodum entis realis, ut inquit D. Th. 1. Perih. lect. 10. lit. b. & q. 7. de Potent. art. 11. in corp. non tamen requiritur actus aliquis intellectus verus, vel falsus, nam veritas, aut falsitas in communiori sententia solùm reperitur in judicio intellectivo.

Pariter etiam infertur, per secundam operationem enuntiantem unum de alio posse fieri exercitè intentionem subjecti, & intentionem prædicati, resultãtes ex eo, quod secunda operatio unum de alio, aut negat, aut affirmat. Et rursùs in tertia operatione reperiri entia rationis propria discursus, nàm ex quo prædicta operatio attingat causã in ordine ad effectum, vel duo prædicata, ut connexa cum aliquo medio, consequitur intentio antecedentis, & consequentis, & etiã sequitur altera intentio extremitatis, vel medij, quæ omnes sunt formaliter entia rationis, in quibus, quia facilia sunt, amplius immorari non licet.

LIBER TERTIUS

DE UNIVERSALI, ET IN eo quæstio prima de Existentia, & natura universalis in communi.

ARTICUL. I.

Utrum dentur universalia in rebus?

§. I.

Quibusdam prælibatis, statuitur affirmativa conclusio.

AD intelligentiam articuli, & eorum, quæ sequuntur, primò supponendum est, universale secundum nominis etymologiam dici illud, quod ad plura comparatur, aut respicit plura, seu (quod idem valet) *unum versus alia*; quod quidem multipliciter contingere potest: Est enim universale *in causando*, universale *in representando*, & universale *in essendo, seu prædicando*. Universale *in causando, est causa quæ plures effectus producere potest*, sive sit efficiens, sive in alio genere causæ, & non solum se extendit ad prædicata communia, verumetiam ad particularia, sicut *Deus*, qui non solum causat ens inquantum ens, sed etiam omnem

nem rationem, quæ quovis modo entitatem participat, & *cœlum*, quod nedum est causa universalis corporum, sed etiam omnes rationes corporeas attingit usque ad ultimas differentias. Universale *in repræsentando* est illud, *quod repræsentat, vel significat plura*, sicut species, vel conceptus Angeli, qui plura objecta repręsentat, vel conceptus noster repręsentans naturam cómunem a singularibus seggregatam; & termini communes, ut homo, animal, &c. qui naturam communem significant, quę omnia dicuntur universalia in repręsentando. Universale *in essendo, seu prædicando*, est illud, quod in pluribus reperitur, & de illis prędicatur, sicut *animal*, reperitur in omnibus animalibus, & *homo*, in omnibus hominibus, & de illis prædicãtur, quod solũ est instituti præsentis; nã universale in causando, expectat ad metaphisicum, & ad Phisicum, qui etiam de causis universalibus agit: universale in repręsentando, vel significando, pertinet ad Dialecticum; ad Nos verò tantum pertinet de universali in essendo, & prędicando disputare.

Hoc igitur universale, secundum doctrinam Philos. 7. Metaph. lect. 13. diffinivit D. Th. esse illud, *quod natum est pluribus in esse*. Ubi animadvertit Ang. Præc. non dixisse Philosophum, quod pluribus inest, sed quod natum est pluribus in esse, quia quædam universalia sunt, quæ non continent sub se, nisi singulare, sicut Sol, & Luna. Quod idem repetit 1. Periherm. lect. 10. ubi etiam asseruit, universale esse id, *quod aptum natum est prædicari de pluribus*. Ex quibus verbis, unanimi Logicorum consensu, universale in essendo, seu prædicando, communiter diffinitur: *esse unum in multis, & de multis*. Per illam autem particulam unum, explicatur fundamentum universalitatis, unitas videlicet formalis, quam natura habet in suis individuis, aut genus in speciebus. Exprimitur etiã subjectum, quia natura, quæ est una formaliter, subinduit intentionem universalis: per particulam verò *in multis*, explicatur ordo ipsius naturæ universalis ad plura, in quo ordine universalis essentia consistit. Per illam tandem particulam *de multis*, explicatur prædicabilitas, quę est passio universalitatis.

Instabis contrà diffinitionem prędictam; diffinitio tradita

dita convenit Deo ; ſed Deus non eſt univerſalis, non enim pertinet ad aliquod ex quinque prędicabilibus: ergò convenit alijs à diffinito. Prob. maj. Deus eſt unus in multis, & de multis prędicatur, ſiquidem Pater eſt Deus, filius eſt Deus, & idem de Spiritu Sancto ; ergò diffinitio traddita univerſalis convenit Deo.

Reſp. neg. ant. & ad probationem neg. maj. ad cuius probationem diſt. ant. unus in multis *pluralitate relativa*, conc. ant. *pluralitate individuali*, neg. ant. & conſeq. Nàm univerſale debet eſſe unũ in multis multiplicatum in illis, multiplicatione individuali, proptereaque D. Th. opuſc. 36. non longè à principio ait: *Univerſale eſt unum, & plura: plura in quantum in pluribus eſt, ut homo in re eſt plura, quia de pluribus prædicatur. Eſt autem unum incognitione, quia licet plura, ſecundùm quod plura, non conſtituant unum intellectũ, tamen plura, ſecundũ quod ſimilia ſunt, conſtituunt unum intellectum.* Natura verò divina in tribus perſonis, non multiplicatur realitèr, non enim tres perſonæ ſunt tria individua naturę divinę, cum ſecundùm naturam ſint unum omnimodè, ſed ſolùm ſunt tria ſuppoſita habentia eandẽ numero naturam, ideoque diffinitio univerſalis Deo convenire non poteſt.

Secundò inſtabis : diffinitio univerſalis convenit enti: ergò bona nõ eſt, utpotè alijs à diffinito conveniens. Prob. ant. Ens eſt unum in multis, & de multis prędicatur, ut per ſe manifeſtum eſt, & tamen non eſt univerſale, aliàs eſſet genus ad omnia, quæ in prædicamento continentur, cum ſit prædicatum ſuperius ad omnia illa, & conſequentèr omnia prædicamenta univocè convenirent, quod eſſe falſum, conſtabit infrà, cùm de ante prædicamentis diſſeramus : ergò.

Reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. mai. unum *unitate analoga* conc. mai. *unitate perfecta, aut univoca*, neg. mai. & conc. min. neg. conſeq. Nam univerſale debet eſſe unum unitate perfecta, & ſimpliciter tali, aut unitatate univoca, quod tamen non habet ens, ut in ante prędicamentis dicemus, & propterea illi non convenit diffinitio univerſalis. Si tamen rationem quæras, cur ly *unum* in diffinitione poſitum de unitate perfecta ſit intelligendum? ea eſt ratio; quia diffinitiones rigoroſè intelligendæ ſunt, quando nullum ſequitur inconveniens, quodquidem in præſenti non ſequitur; & aliundè prædicta explicatio Ang. Præcep. confirmatur. Di-

Dices: nullum universale est unum unitate perfecta: ergò ex prædicta explicatione sequitur, nullum universale esse propriè universale. Prob. ant. Tùm, quia omne prędicatum universale continet actu differentias inferiorum, nam differentię inferiorum actu continentur in ente, & quodcumque prædicatum universale actu continet ipsum ens: ergò nullùm universale est unum unitate perfecta. Tum etiam, quia quod est divisum, & multiplicatum, non est unum simpliciter, & unitate perfecta, sed omnia universalia sunt multiplicata in inferioribus suis: ergó idem quod prius.

Resp. neg.ant.& ad probationem dist. ant. continet *remotè, & ratione alterius*, conc. antec. *proximè, & ratione sui*, neg. ant. & conseq. Nam ex quo prędicatum universale contineat actu ens, in quo includuntur actu omnes differentiæ inferiorum, tantum sequitur universale continere actu differentias inferiorum, non quidem proximè, & ratione sui, sed tantum remotè; & ratione alterius prædicati inclusi in universali, quod non tollit in propria linea, esse univocum. Pariterque licet universale, quatenus actu multiplicatum est in inferioribus suis, non sit unum simpliciter, & perfecte, sed solum secundum quid & unitate formalis convenientiæ, est tamen unum perfectè, quatenùs abstractum ab inferioribus suis, sic enim solum explicat convenientiam absque ulla diversitate, cum prout sic omnes differentias excludat, à quibus provenit diversitas, & distinctio, & ita illi sic accepto verè convenit esse unum unitate perfecta.

Ex qua doctrina constat, quod, ut aliqua natura denominetur universalis in essendo, debet esse una unitate perfecta, unde nec æquivoca, nec analoga sunt universalia in essendo, quia carent unitate perfecta, & simpliciter tali; & similiter complexa, eo quod illis plures conceptus objectivi, & non unicus correspondent. Similiter requiritur, quod natura sit apta identificari cum multis, per multiplicationem in illis: quapropter licet Petrus v. g. sit unus, tamen universalis non est, quia non potest cum pluribus identificari; & natura divina, estò cum tribus personis identificetur, qnia tamen non multiplicatur in illis, nequit esse universalis. Ac tandem necesse est, quod natura, quæ de-

nominatur universalis, possit esse in multis per identitatem realem cum illis, requiritur enim, quod possit esse in multis, ita ut de illis vere affirmari possit, nihil autem potest affirmari de eo, cum quo non est realiter idem.

Tandem supponimus, duo in universali importari, unum videlicet de materiali, & alterum de formali. De materiali quidem importatur natura, quæ pluribus communis est, de formali vero significatur relatio rationis, qua natura constituitur in ratione universalis. Et si sermo sit de relatione rationis, certissimum est, non existere à parte rei. Quapropter difficultas, non de relatione, sed de natura ipsa procedit: *an videlicet detur à parte rei natura aliqua universalis, quæ sit pluribus communis.*

In qua difficultate, Heraclitus videns omnia sensibilia esse in continuo motu, & fluxu, asseruit, nullam dari à parte rei naturam universalem, sed omnia esse contingentia, & corruptibilia, proindeque nullam dari veram scientiam, eò quod de contingentibus nihil certò sciri potest. Et hanc opinionem habuit etiam Cratilus, qui (ut refert D. Th. 4. Metaph. lect. 12.) ad ultimum ad hanc devenit dementiam, quod opinatus est, non oportere aliquid verbo dicere, sed ad exprimendum, quod volebat, movebat solum digitum. Et hoc ideò, quia credebat, quod veritas, quam volebat enuntiare, primò transibat, quam oratio finiretur, & breviori spatio digitum movebat. Eorundem opinionis fertur, fuisse Epicurum. Sed hæc opinio (ut inquit M. Soto, quæst. 1. super Prologum Porphirij) manifestè falsa est. Tùm, quia sensualium est hominum, nihil percipere, nisi quod est antè oculos, nec quidquam intellectu suprà sensibilia perscrutari. Tùm etiam, quia negare scientias esse rerum, est hominum prorsùs irrationabilium, nàm cum appetitus naturalis hominis sit ad scientias propensissimus, ut dicitur in principio Metaph. non est dicendum, illum esse frustrà: Deus enim, & natura nihil faciunt frustrà.

Plato verò, licet in multis secutus fuerit Empedoclem, Anaxagoram, aliosque huiusmodi, id ipsum sentientes, quod in hac parte posteà sensit discipulus eius Arist., quædam tamen habuit propria præter prædictos Philosophos, causa

Phi-

Philosophiæ Pythagoricorum. Nam (ut de ipso refert Ang. Præcept. 1. Metaph. lect. 10.) propter inquisitionem veritatis ubique rerarum Philosophos quæsivit, ut eorum dogmata sciret. Unde in Italiam Tarentum venit, & ab Archita Tarentino Pythagoræ discipulo de opinionibus Pythagoricis est instructus, quę Heraclito, & Cratilo valdè consentiebant. Et ex hac opinione sumpsit Plato occasionem in aliud extremum declinandi, asserens dari naturas universales realiter à singularibus separatas, ex quarum participatione singularia formabantur, sicut ex impressione sigilli formantur in cera sigillationes diversæ, & signa materialitèr distincta. Ultrà quam impressionem asserebat fieri alteram in mentibus nostris, per quam rerum scientiam haberemus, quam impressionem, dicebat fuisse factam in anima nostra ante unionem cum corpore, & per immersionem in corpore, obscuratam esse, iterum tamèn per applicationem, & studium relucere in intellectu, & in anima, admodùm quo imago pulvere tecta, excusso pulvere apparet.

Sed hanc opinionem, ut erroneam, & à veritate alienam, damnat D. Th. 1. Metaph. lect. suprà cit. propè med. ubi ait: *Patet autem diligenter intuenti rationes Platonis, quod ex hoc in suo positione erravit, quia credidit, quod modus rei intellectæ in suo esse sit, sicut modus intelligendi rem ipsam. Et ideò, quia invenit intellectum nostrum duplicitèr abstracta intelligere, uno modo sicut universalia intelligimus abstracta à singularibus, alio modo sicut Mathematica abstracta à sensibilibus, utrique abstractioni intellectus posuit respondere abstracti nem in essentijs rerum: unde posuit, & Mathematica esse separata, & species. Hoc autem non est necessarium. Nam intellectus, & si intelligat res per hoc, quod similis est eis, quantum ad speciem intelligibilem, per quam fit in actu, non tamen oportet, quod modo illo sit species illa in intellectu, quo in re intellecta. Nam omne, quod est in aliquo, est per modum eius, in quo est. Et ideo ex natura intellectus, quæ est alia à natura rei intellectæ, necessarium est, quod alius sit modus intelligendi, quo intellectus intelligit, & alius sit modus essendi, quo res existit, licet enim in re esse oporteat, quod intellectus intelligit, non tamen eodem modo.*

Ex quibus verbis manifestè deducitur reijciendum esse opinionem Platonis: si enim eo modo quo natura intellectæ

tur à ſingularibus abſtracta, eſſet à parte rei, fruſtrà poneretur intellectus agens, ut naturam commonem à ſingularibus abſtraheret, & ſic eam intelligibilem redderet. Pariterque natura, quam ponebat Plato, eſſet producta, & improducta ſimul: producta quidem, quia à parte rei eſſet, & non à ſe, ſed ab alio. Improducta verò, quia omne productum terminat ſingularem actionem, & conſequenter eſt ſingulare, qualis non eſt illa natura.

Prætereaque illa natura eſſet de eſſentia ſingularis, quia Petrus v. g. eſſentialiter eſt homo, & non eſſet de eſſentia ſingularis, eo quod eſſentia ſeparari non poteſt ab eo, cujus eſt; cujus oppoſitum docet D. Th. 4. cap. de ente & eſſentia, ubi inquit: *non poteſt dici, quod ratio ſpeciei* (idemque aſſerit de genere, & differentia) *conveniat ſingulari, ſecundum quod eſt quædã res exiſtens extrà ſingularia, ut Platonici ponebant, quia ſic genus, & ſpecies non prædicarentur de hoc individuo; non enim poteſt dici, quod Socrates ſit hoc, quod ab eo ſeparatũ eſt*: ergò omnino implicatoria eſt natura illa univerſalis realiter à ſingularibus ſeparata.

Nominales autem affirmabant, ſolas voces eſſe univerſales, ſed res per voces ſignificatas eſſe tantum ſingulares, ideoque ſolùm de vocibus, & non de rebus ſcientias eſſe aſſerebant. Quorum ſententiam evitandam eſſe judicat D. Anſelmus lib. 1. de incarnatione verbi, cap. 2. ubi ſic ait: *Cum omnes, ut cautiſſimè ad ſacræ paginæ quæſtiones accedant, ſint commonendi, illi utique noſtri temporis Dialectici, immò Dialecticæ hæretici, qui quidem non niſi flatum vocis ſubſtantias univerſales eſſe dicunt.* Sed hęc ſententia ferè omnino eradicata eſt, & à Scholaſticorum mentibus obſolevit.

Veri tamen Doctores Angelicum Pręceptorem, & Ariſtotelem ſequentes, affirmant, dari à parte rei naturas univerſales, quę reverà pluribus communicantur, cum quibus hæc erit.

§. II.

Noſtra concluſio.

Dantur in rebus naturæ univerſales.

CConcluſionem iſtam eſſe mentem Ariſtotelis, nemo dubitare poteſt. Ipſe namque 1. Perih. lect. 10. apud D. Th. ait: quod *rerum aliæ ſunt univerſales, aliæ parti-*

ticulares: atque universale dico, quod de pluribus aptum est prædicari, quale est homo. Et 7. Metaph. text. 51. lect. 14. apud D.Th. expressé ait: quod *ratio communis animalis, eadem est in omnibus speciebus, & communis hominis in omnibus individuis.* Ac demùm, text. 57. lect. 16. universalitèr contrà Platonem concludit: *quod nullum universale, nec ens, nec unum, nec genera; nec species habent esse separatum præter singularia.* Et 1. Posterior. text. 39. lect. 37. apud D. Th. ait: *quod universale non est aliquid præter singularia.* Deinque pluribus alijs in locis passim affirmat, objectum intellectus esse naturam universalē; quod nihil magis tritum in doctrina D. Th. & ideò ad rationem deveniamus.

Ratione ergò probatur conclusio nostra: Natura illa, in qua plura conveniunt, est natura universalis, nam prædicta natura pluribus communis est, omnibus videlicet, quæ in tali natura conveniunt; sed à parte rei dantur plurimæ naturę universales in quibus plura singularia conveniunt: ergò à parte rei dantur naturæ universales. Prob. min. Omnes homines conveniunt à parte rei in natura humana, & omnia animalia in ratione animalis: ergò dantur a parte rei naturæ in quibus plura singularia conveniunt. Prob. ant. Convenientia, & unitas, est carentia distinctionis; sed homines non distinguūtur in ratione hominis, nec animalia in ratione animalis: ergò omnes homines conveniunt à parte rei in natura humana, & omnia animalia in ratione animalis.

Secundò probatur conclusio: à parte rei datur diffinitum per istam diffinitionem, *animal rationale*; sed tale diffinitum est commune omnibus hominibus, sicut etiam ipsa diffinitio; ergò à parte rei dantur naturæ communes, vel naturæ universales.

Tertiò probatur conclusio: à parte rei dantur objecta scientiarum, habemus enim scientiam de cœlis, plantis, & elementis, quæ omnia à parte rei, existunt, & in summa, scientiæ ideò dicuntur naturales, quia de rebus naturalibus agunt; sed objectum scientiæ est natura universalis, *non enim est scientia, nisi de universalibus*, ut inquit Aristoteles 2.de Anima lect. 12. apud D. Th. ergò à parte rei dantur universalia. Prob. min. Scientia non agit per se, nisi de necessarijs, & perpetuis, eo quod est habitus certus, & evidens per demonstrationem acquisitus, & consequenter veritas, &

objectum, quod attingit, aliter se habere non potest; sed sola universalia necessaria sunt, & perpetua, singularia verò contingentia, & defectibilia sunt; ergò objectum scientiæ est natura universalis.

Respondebis: ex quo objectum scientię sit natura universalis, non infertur à parte rei dari naturam universalem; nàm etiam objectum Logicæ est natura universalis, quæ tamen natura non datur à parte rei, eo quod ens rationis, quod est objectum Logicę, solùm habet esse objectivè in intellectu.

Sed contrà est: quia quãvis non omne objectum scientiæ debeat esse à parte rei, ut patet in objecto Logicæ, objectum tamen scientiæ, quæ per se primò disputat de ente reali, debet esse à parte rei, & de hac solùm scientia, cujus objectum est reale Aristoteles procedebat in præsenti, & ratio nostra procedit; sed objectum cujuscumque scientiæ est natura universalis, ut probatum reliquimus: ergò à parte rei debet dari universalis natura.

Quartò probatur conclusio: dum homo prędicatur de Petro, & Paulo, prędicatur aliquid utrique commune; sed quod prædicatur est natura aliqua à parte rei: ergò à parte rei datur natura communis. Min. patet. Quia dùm homo dicitur de Petro, & Paulo, prædicatur de illis natura realis, in qua conveniunt, & cõsequenter, quod prędicatur est natura aliqua à parte rei. Maj. verò prob. Dùm homo dicitur de Petro, & Paulo, non prædicatur aliquid proprium Petri, & Pauli, nam quod est proprium Petri, vel Pauli, non convenit utrique simul, consequenterque de utroque prędicati non potest: ergò prędicatur aliquid utrique commune.

Respondebis cum Platone: dum homo dicitur de Petro, & Paulo, prędicatur homo communis; sed non secundum se totum, sed secundum aliquam partem, quę tamen ex modo concipiendi instar totius apparet, quatenus confusè, & sine aliqua distinctione ab alijs partibus per intellectum concipitur.

Contrà tamen est: nam cum homo prædicatur de Petro, & Paulo, prędicatur totum significatum per vocem; sed totum significatum per vocem, est totus homo communis, aut tota natura humana: ergò homo secundum se totum prædicatur de utroque individuo. Prob. mai. Totum illud prædicamus mediante illa voce, quod vox per se primò signi-

nificat, sicut & facimus in alijs propositionibus, & propterea istę sunt falsæ: *materia est homo, forma est homo*, quia totũ significatum per vocem homo non convenit materiæ, nec formę; non enim sola forma est de ratione hominis, nec sola materia, nam ad naturam hominis pertinet id, quod significat diffinitio: diffinitio autem hominis, non significat formam tantùm, sed formam, & materiam, ut ait D. Th. 1. p. q. 75. art. 4. in corp. ergò dum prędicamus hominem de Petro, & Paulo, prædicamus totum significatum per vocem. Illustratur hæc ratio, simulque evertitur fundamentum Platonis, & Nominalium, doctrina Ang. Prącept. 1. Perih. lect. 10. asserentis: *quod nomina non significant res, nisi mediante intellectu, & ideò oportet, quod divisio rerum in universales, & particulares, accipiatur secundum quod cadit in intellectu, ea verò, quæ sunt conjuncta in rebus, intellectus potest distinguere, quando unum eorum non cadit in ratione alterius. In qualibet autem re singulari est considerare aliquid, quod sit illi proprium in quãtum est hæc res, sicut Sorti vel Platoni in quantum est hic homo, & aliquid est considerare in eo, in quo convenit cum alijs quibusdam rebus, sicut, quod Sortes est animal, aut homo, aut rationale, aut risibile, aut albus. Quando igitur res denominatur ab eo, quod convenit illi soli rei, in quantum est hæc res, hoc nomen dicitur significare aliquid singulare, quando autem denominatur res ab eo, quod est commune sibi, & multis alijs, nomen hujusmodi dicitur significare universale, quia significat nomen hujusmodi naturam, quæ est communis multis.* In quibus verbis manifestissimè apparet rationis nostrę efficacia: Nàm dùm homo dicitur de Petro, & Paulo, non partitur per differentias individuales inter Petrum, & Paulum, sed solùm prædicatur de illis prout cadit in intellectu. Homo autem prout sic, est id, in quo Petrus, & Paulus cum alijs hominibus conveniunt. Et sic dùm *Petrus dicitur homo, & Paulus dicitur homo*, denominantur ab eo, quod est sibi, & alijs multis commune, non autem ab eo, quod est unicuique proprium: Undè non solùm nomen homo, est universale, sed etiam natura per ipsum significata, utpote multis communis, universalis revera esse debet. Quæ quidem licet in re non existat sine ratione individuante, in intellectu tamen ab illa denudatur, & licet in re posita amittat modum essendi universaliter, retinet tamen

quidditatem naturæ universalis.

§. III.

Argumentis contrà conclusionem occurritur.

CONtrà conclusionem arguitur primò : Natura universalis, non potest de singularibus prędicari: ergò non datur à parte rei natura aliqua universalis, quę sit pluribus singularibus communis. Prob. ant. Universale comparatur ad singulare, sicut totum ad partem; sed totum nequit prædicari de parte: ergò natura universalis non potest de singularibus prædicari.

Resp. neg. ant. & ad probationem dist. maj. sicut totũ *potentiale*, conc. maj. sicut totum *actuale*, neg. maj. & dist. min. totum *actuale*, conc. min. Totum *potentiale*, neg. min. & conseq. Quia totum actuale, actu continet suas partes, & ratione unius alteram excedit, proindeque, nequit prędicari de quacumque parte, & propterea non sunt veræ propositiones sequentes: *materia est homo*, *forma est homo*, quia homò prętèr formam includit materiam, quæ de forma prædicari non potest, & ideò ipse homo ratione materiæ, quam continet actu, non potest prædicari de forma: totum verò potentiale non continet actu partes, sed solum in potentia; illud verò, quod in actu continet, est vtrique parti commune, & ob hoc potest bene de utraque prædicari, ac proindè natura universalis, quæ solùm est totum potentiale, poterit bene de singularibus prædicari, non quidem pro formali præcisionis, & universalitatis, nam prout sic importat statum abstractionis, & relationem rationis, quę singularibus convenire nequit, sed pro materiali, videlicet, secundùm prædicata, phisica, vel metaphisica, quę omnia in singularibus inveniuntur: quod, & non aliud requiritur, ut à parte rei detur universalis natura.

Secundò arguitur: quidquid à parte rei invenitur, debet esse singulare: ergò nulla datur à parte rei natura universalis. Prob. ant. Quidquid est à parte rei in creatis, est productum, vel causatum à Deo; sed omne productum, vel causatum à Deo debet esse singulare, eo quod actio productiva terminatur ad rem ponendam sub existentia, & existentia est actus rei singularis: ergò quidquid à parte rei invenitur, debet esse singulare.

Resp. dist. ant. debet esse singulare *identicè*, conc. ant. *for-*

formaliter, *& objectivè*, neg. ant. quia natura universalis à parte rei cum singularibus idẽtificata invenitur, quod satis est, ut à parte rei producatur, & fiat, & sub existentia ponatur, quia existentia non actuat rem singularem secundùm differentiam solum individualem, sed secundum omnia prædicata, & singularia, & communia, quę in ipsa reperiuntur, licet prædicata communia existere non possint, nisi priùs per differentiam individualem determinentur: sumpta tamen formaliter objectivè, & quatenus sine singularitate concipitur, universalis, & communis est, & in illa prout sic omnia inferiora conveniunt, propter eaque natura, quæ specificativè sumpta est universalis, reperitur à parte rei.

Instabis: quælibet natura à parte rei cum singularibus identificatur; sed natura cum singularibus identificata universalis non est, siquidem non est una in multis, sed potius divisa, & multiplicata in illis: ergò nec formaliter, & objectivè datur à parte rei natura universalis.

Resp. dist. min. universalis non est *formaliter*, conc. min. *fundamentaliter*, neg. min. & conseq. licet namque natura humana (& idem de quacumque alia natura) sit divisa, & multiplicata realiter, & consequenter non sit formaliter una unitate universalis, non tamen individua distinguũtur formaliter in natura communi, sed potius in illa habent convenientiam formalem, ratione cujus potest intellectus naturam prædictam à singularibus præscindere, & ut unam considerare: & quia ad hoc præbet fundamentum natura ipsa, quatenus in ea conveniunt formaliter singularia, ideo à parte rei est fundamentaliter universalis, & una, in quo solo sensu asserimus dari a parte rei naturam universalem.

Tertiò arguitur: si aliqua daretur universalis natura, maximè illa, quæ significatur per vocem universalem; sed vox universalis non significat universalem naturam à parte rei existentem: ergó nulla datur à parte rei universalis natura Prob. min. vox universalis, significat naturã universalem sinè singularitate; sed natura sinè singularitate non existit à parte rei: ergò vox universalis non significat universalem naturam a parte rei existentem.

Resp. neg. min. & ad probationem dist. mai. sinè singularitate, ly *sine pertinente ad præcisionem ex modo significandi, & concipiendi*, conc. mai.

pertinente ad rationem quæ universalem, neg. maj. & conceſ. min. neg. conſeq. nam quamvis voces ſignificent naturam univerſalem ſine ſingularitate negativè, vel cum pręciſione ab illa, hæc tamen præciſio non pertinet ad naturam univerſalem, quę quidem non petit ex proprijs excludere ſingularia, ſed ſolùm excludit, quod diſtinguantur in ipſa: undè præciſio pertinet purè ad modum ſignificandi, non tamèn eſt prædicatum naturæ conceptę, quin potiùs natura hæc ſecundum omnia prædicata exiſtit in individuis, licet non ſervet in illis ſtatum pręciſionis, qui ſtatus ſolùm pertinet ad naturam, prout eſt in intellectu.

Dices: ergò natura, quæ dicitur univerſalis, non exiſtit à parte rei, quatenùs ſignificata per voces, & quatenùs objicitur intellectui. Sed natura, quę de ſingularibus prædicatur, debet à parte rei, & in ſingularibus inveniri: ergò ſupradicta natura non poteſt de ſingularibus prædicari.

Urgebis: ſi natura univerſalis poſſet prædicari de ſingularibus, *Petro*, *& Paulo* v. g. daretur natura utrique cōmunis, & identificata cum utroque, nàm prædicatum, & ſubjectum debent realitèr idētificari; ſed hoc implicat, aliàs etiam Petrus, & Paulus eſſent realitèr idem, nàm quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe: ergò prędicta natura non poteſt de ſingularibus prędicari.

Ad replicam, conceſ. conſeq. reſp. diſt. min. ſubſumpt. natura *pro ſubſtracto, & ex parte rationis quæ de ſingularibus prædicatur*, conc. min. *pro formali præciſionis*, neg. min. & diſt. conſeq. natura *pro formali pręciſionis*, conc. conſeq. *pro ſubſtracto*, neg. conſeq. Quia natura reduplicativè ut præciſa, in ſingularibus non exiſtit, nec de illis prędicatur; ipſa tamen natura, qnæ præſcinditur, ſecundum omnia ſua prædicata in ſingularibus eſt, & de illis prędicatur: ſicut prædicatum dicitur de ſubjecto, & tamen ſubjectum non eſt prædicatum, genus prædicatur de ſpecie, & tamen ſpecies non eſt genus, nam, ut unum prædicetur de altero, ſufficit, quod res, pro qua ſupponit prædicatum, ſubjecto conveniat.

Ad id, quo urgetur argumentum, reſp. diſt. mai. identificata *objectivè*, conc. mai. *ſubjective*, *aut realiter*, neg. mai. min. & conſeq. Nam ex quo detur univerſalis natura, quæ de ſingularibus prædicetur, ſolùm infertur naturam prædictam ſumptam objectivè

idea-

identificari cum illis, quod reverà ità contingit, nàm dùm homo dicitur de Petro, & Paulo, concipitur homo, ut unus objectivè, eo quod absque aliqua differentia distinguente obijcitur intellectui. Ex quo tamen non sequitur illa individua esse idem realiter inter se, quia ex identitate cum medio in esse obiecti, non potest inferri realis identitas: sicut ex quo aliqua obiecta sint idem in esse intelligibili formaliter, nō infertur physicè sumpta esse idem formalitèr inter se, nam plura obiecta realitèr, & formalitèr inter se distincta, possunt in ordine ad cognitionem formalitèr convenire.

Quartò arguitur: ex quo dentur scientiæ, non benè infertur debere dari naturas universales: ergò naturæ universales non dantur à parte rei. Prob. ant. De singularibus potest dari scientia: ergo ex quo dentur scientię, non infertur debere dari naturas universales. Prob. ant. Deus est singularis; & tamen scientia Theologiæ per se primò de Deo est: ergò de singularibus potest dari scientia.

Resp. neg. utrumque ant. & ad probationem dist. mai. singularis *immutabilis, & æternus*, conc. mai. *mutabilis, & defectibilis*, neg. mai. & conc. min. neg. conseq. licet namque Deus sit singularis, est tamen æternus, & immutabilis, non enim est Deus quasi homo ut mutetur, ipse namque est Dominus, & non mutatur, & ità potest dari scientia de Deo; non tamen de alijs singularibus, quæ omnia mutabilia, & defectibilia sunt.

Instabis: De singularibus mutabilibus potest dari scientia: ergo non tenet data solutio. Prob. ant. primo: de singularibus mutabilibus potest dari diffinitio, siquidem plura singularia verè diffiniuntur, & individuum verè diffinitur in Logica: ergò de singularibus mutabilibus potest dari scientia, nam quę habent diffinitionem, habent veram essentiam & passiones veras, quę de illis demonstrantur.

Secundò prob. ant. de singularibus possunt formari propositiones necessarię, & eternę veritatis, v. g. istę *Petrus est risibilis, Paulus est discursivus*: ergò de singulatibus mutabilibus potest dari scientia, quia scientia benè potest esse de necessarijs, & æternis.

Resp. ad replicam, neg. ant. & ad primam probationem dist. ant. de singularibus *exercitè, & quatenus talia sunt*, neg. ant. *Signatè, & quatenus dicunt rationem singularis*

quæ-

omni ſingulari communem, cõc. ant. Quia licet ſingularia, ſignatè accepta, & quatenus important rationem ſingularis, vel individui omni individuo communem, poſsint diffiniri, & ſcientia de illis dari, & hoc modo individuum in Logica diffiniatur, & aliqua de illo enuntientur ut in his: *Petrus eſt individuum*, *Paulus eſt individuum*: De ſingularibus tamen exercitè, non datur diffinitio; ſicque dicuntur, & ſunt formaliter ſingularia, & prout ſic etiam defectibilia ſunt.

Ad ſecundam prob. ant. reſp. diſt. ant. de ſingularibus *ratione ſui*, neg. ant. *ratione naturæ communis*, conc. ant. & neg. conſ. Quia prædicata eſſentialia, & propriæ paſsiones, primo competunt naturę, & ſolum ratione naturæ competunt individuis; nam ideo Petrus eſt diſcurſivus, & riſibilis, quia homo diſcurſivus, & riſibilis eſt, licet exercitium proprietatis, ridere v. g. primo individuis conveniat. Quapropter de ſingularibus non eſt ſcientia, ſed ſolum de ratione communi, nam ſcientia ſolum eſt de ſubjecto primario, & immediato veritatis neceſſariæ, quæ ſola natura eſt, & non de alio ſubjecto, ut à natura diſtincto, & ratione illius prędicati, quo à natura diſtinguitur.

Dices: ſingularia eſſe corruptibilia, & defectibilia, non impedit, quod detur de illis ſcientia: ergo de ſingularibus etiam exercitè ſumptis poterit ſcientia dari. Prob. ant. natura humana, & quæcumque natura materialis ſublunaris, eſt natura corruptibilis; & tamen de illa datur ſcientia: ergò ſingularia eſſe corruptibilia, non impedit, quod de illis detur ſcientia.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. mai. corruptibilis *phiſicè*, conc. mai. *metaphiſicè*, neg. mai. & conceſ. min. neg. conſeq. Licet namque quæcumque natura materialis ſublunaris, corruptibilis ſit phiſicè, & quantum ad exiſtentiam, eò quod componitur ex materia non ſatiata forma, & conſequenter ab intrinſeco appetente alteram formã, & introductionem illius, & exinde expulſionem prędecentis; metaphiſicè tamen, quantum ad connexionem, videlicet prędicatorum eſſentialium, & exigentiam proprietatum, corruptibilis non eſt, ſed potius eſt æterna, & perpetua ab omni tempore abſtrahens, nam connexio prædicta ſemper manet, & ab ęterno fuit, ſicut ſemper erat verũ, hominem eſſe animal rationale, & exige-

gere resibilitatem, quod sufficit, ut prædicta natura sit universalis, & de illa scientia detur, nam ut inquit D. Th. 1. p. q. 16. art. 7. ad 2. *universale dicitur esse ubique, & semper, in quantum universalia abstrahuntur ab hic & nunc.* Cumque huiusmodi natura metaphisice considerata ab hic, & nunc abstrahat, manifestum sit ipsam esse universalem, darique scientiam de illa. Singularia autem formaliter ut talia sub omni ratione corruptibilia sunt, si considerentur exercitè.

Tandem arguitur pro sententia Platonis: objectum nostri intellectus est natura universalis; sed objectum nostri intellectus debet esset separatum à singularibus materialibus: ergò datur natura communis à singularibus separata. Prob. min. Quidquid identificatur cum prædictis singularibus, est materiale; sed objectum nostri intellectus nequit esse materiale, cum intellectus sit potentia spiritualis: ergò objectum nostri intellectus non est identificatum cum singularibus materialibus, sed potius ab illis separatum.

Confirmatur: intellectus cognoscit naturam communem sine singularitate; ergo verè datur natura communis à singularibus separata, alias intellectus esset falsus, dum naturam attingit sine singularitate.

Urgetur: destructis singularibus, remanent vniversalia, aliàs destructis singularibus non manerent scientiæ, quod tamen est falsum, siquidem deficiente rosa, datur vera scientia de illa: ergo dantur universalia à singularibus separata.

Resp. ad argument. neg. min. & ad prob. dist. min. nequit esse materiale *modo materiali attactum*, conc. min. *attactum modo spirituali*, neg. min. Licet namque objectum intellectus sit natura universalis, ut inquit Arist. lib. 2. de Anim. text. 60. lect. 12. apud D. Th. tamen necessarium non est, quod huiusmodi natura in se ipsa subsistat immaterialitèr, & immobiliter, ut ponebat Plato. Sicut namque forma sensibilis alio modo est in re, quæ est extrà animam, & alio modo in sensu, qui suscipit formas sensibilium absque materia, ut colorem auri sine auro, ita intellectus species corporum, quæ sunt materiales & mobiles, recipit immaterialiter, & immobiliter secundùm modum suum, nam receptum est in recipiente per modum recipientis, ut inquit D. Th.

1. p. q. 84. art. 1. in corp. & lib. 2. de Anim. lect. 12. Nec oppositum suadet, quod intellectus sit potentia spiritualis: nam licet sensus sola corporalia cognoscat, intellectus tamen non cognoscit sola spiritualia, alioquin Deus & Angeli corporalia non cognoscerent, Et rationem assignat D. Th. loc. cit. 1. p. in resp. ad 2. quia inferior virtus non se extendit ad ea, quę sunt superioris virtutis, sed virtus superior ea, quę sunt inferioris virtutis, excellentiori modo operatur.

Ad confirmat. resp. dist. ant. sine singularitate, ly *sine præcisivè, aut negativè acceptum*, conc. ant. *assertivè*, neg. ant. & consequ. Quia intellectus non affirmat naturam illam, quam præscindit esse præcisam in re, & sine singularitate à parte rei reperiri; non enim apprehendit hoc intellectus, scilicet, quod natura communis sit sine principiis individuantibus, sed apprehendit naturam communem non apprehendendo principia individuantia, & hoc non est falsum. Sicut, si ab homine albo sic separarem albedinem, quod apprehenderem hominē, nihil apprehendēdo de albedine eius, apprehensio non esset falsa, solum autem esset falsa, si sic separarē albedinem ab homine, quod intelligerem eum non esse album: quod totum docet Ang. Præcept. Tùm 2. de anim. lect. 12. tùm 1. p. q. 85. art. 2. ad 2.

Ad id, quo urgetur argumentum, resp. dist. ant. remanent universalia *phisicè, & sub existentia*, neg. ant. *metaphisicè, & quantum ad connexionem prædicatorum essentialium*, conc. ant. & neg. consequ. Quia destructis singularibus, non existunt universalia phisicè, & à parte rei extra omnes suas causas, connexio tamen prędicatorum essentialium, quę est objectum scientiæ, semper manet, aut in statu possibilitatis rerum, aut objectivè in intellectu divino, vere semper affirmante prędicata essentialia, essentialiter esse connexa, & speciales exigere proprietates, quod sufficit ut scientiæ dicantur esse de rebus æternis, & perpetuis.

ARTICULUS II.

Utrum à parte rei detur unitas formalis, minor unitate numerica?

Aperitur sensus difficultatis, & statuitur affirmativa conclusio.

§.

§. I.

CUM in articulo præcedenti, discussum fuerit, qualiter universalia dentur à parte rei, eaque non esse à singularibus separata, nunc de unitate, quam naturę universales habent a parte rei, præsens quęsitum procedit. Pro cuius intelligentia sciendum est, unum non addere supra ens rem aliquam, sed tantùm negationem divisionis. Unum enim nihil aliud significat, quam ens indivisum, ut inquit *D.*Th.tùm4.metap.lect. 2.tum 1. p.q. 11. ar.1.in corp. ideòque unitas quęlibet, nihil aliud importat, quam entitatẽ cum carentia divisionis; cumque carentia cognoscatur per formam qua privat, unitas, quę in divisionem sonat, ex natura divisionis, qua privat, cognosci debet.

Considerandum est igitur, quod divisio est duplex: alia quidem numerica, & materialis, distinctio videlicèt causata per principia materialia, qualis datur inter Petrum, & Paulum, & omnia individua materialitèr, & numericè distincta. Alia est divisio formalis, quæ consistit in distinctione causata per principia formalia, & essentialia. Hæc autem latitudinem habet: nam quædam est per principia essentialia propria, ut ea, quę reperitur inter hominem, & equum, qui distinguuntur formaliter secundum ultimas differentias tantùm, dato, quod homo, & equus sint sub eodem genere proximo. Quædam verò est per principia essentialia communia, quæ iterum habet latitudinem, secundum, quod principia essentialia communia sunt magis, & minus cõmunia sicut inter Petrum, & Plantam v.g. datur divisio formalis per principia essentialia communia Petro, & multis aliis speciebus, scilicet sensibile, & insensibile: & inter Petrum, & lapidem est divisio formalis penès communiora principia, videlicet animatum, & inanimatum, & sic semper ascendendo intenditur divisio formalis, quatenus causatur à principiis magis, vel minús communibus.

Similitèr per omnia de unitate dicendum est; unitas enim est duplex: alia numerica, & materialis, quæ est carentia distinctionis penès principia materialia, sicut Petrus est unus materialitèr in se, & indistinctus materialiter à se ipso. *A*lia est unitas formalis, quæ consistit in carentiâ distinctionis penès principia formalia. Sed hæc habet latitudinem: nam quędam est carentia divisionis formalis causa-

sabilis per principia propria, & communia, sicut unitas, quã in ratione hominis habent Petrus, & Paulus. Quędam verò est carentia distinctionis formalis penès principia magis, vel minus communia: sicut unitas, quam habent Petrus, & Paulus in ratione animalis, in ratione viventis, & in ratione corporis, quia in prædictis rationibus non distinguuntur formaliter.

Ad plenìorem tamen præsentis difficultatis intelligentiam, præ oculis habendum est, nos in præsenti non loqui de unitate formali formaliter, aut simpliciter sumpta pro unitate videlicet, quæ totaliter indivisa in se reperiatur in multis, & sit pluribus communis; de qua quidem unitate, an detur à parte rei in sequentibus differemus, sed tantum nos loqui de unitate formali accepta fundamentaliter pro convenientia, & similitudine plurium individuorum in una, & eadem specifica natura, in qua non distinguuntur formaliter, in quo sensu hæc est cũ communi Thomistarum.

§. II.

Nostra conclusio.

Datur à parte rei unitas formalis, minor unitate numerica.

PRobatur conclusio nostra ratione: inter Petrum, & Paulum reperitur à parte rei carentia distinctionis penes principia formalia: ergò datur inter utrumque à parte rei unitas formalis, quæ consistit in carentia distinctionis in natura penes principia formalia. Prob. ant. Petrus, & Paulus à parte rei non distinguntur formaliter in natura humana: ergò carent distinctione penes principia formalia, nam idem est formalitèr non distingui, & distinctione carere. Prob. ant. à parte rei Petrus, & Paulus conveniunt specificè in ratione hominis, alias inter se distinguerentur specie: ergò non distinguntur formalitèr in natura humana, quia ìdem est specificè in natura humana convenire, & non distingui formalitèr in natura prædicta.

Confirmatur: inter Petrum, & Paulum reperitur à parte rei relatio similitudinis in natura humana; sed talis relatio fundatur in unitate formali: ergò inter utrumque reperitur à parte rei unitas formalis. Prob. min. Talis relatio non fundatur in actione, vel passione, in ratione mensurę, & mensurabilis, aut in ratione numeri: ergò in unitate fundatur, quia præter assignata non est dabile aliud fundamen-

mentum relationis ; ſed non fundatur in unitate numerica, quam non habent Petrus, & Paulus : ergò fundatur in unitate formali.

Quod autem unitas formalis minor ſit unitate numerica, ſic oſtenditur : unitas eo minor eſt, quo magis admittit de forma oppoſita ; ſed unitas formalis magis admittit de forma oppoſita unitati, quam unitas numerica : ergò unitas formalis minor eſt unitate numerica. Prob. min. forma oppoſita unitati, eſt diviſio ; ſed unitas formalis magis admittit de diviſione, quam unitas numerica, cum admittat diviſionem materialem : ergò unitas formalis magis admittit de forma oppoſita unitati, quam unitas numerica. Ex quo ſimilitèr conſtat, unitatem ſpecificam eſſe majorem unitate generica, quatenùs unitas ſpecifica excludit ſpecificam diſtinctionem, quam unitas generica non excludit: & ſic deinceps, aſcendendo uſque ad unitatem conſiſtentem in carètia diviſionis penes principia communiſsima, eò eſt major, vel minor unitas, quo majorem, vel minorem diviſionem excludit.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntra concluſionem arguitur primò : omnis unitas, quæ datur à parte rei, debet eſſe numerica: ergò non poteſt dari à parte rei unitas aliqua, quæ ſit unitas formalis. Prob. ant. omnis unitas, quę datur à parte rei, eſt unitas ſingularis ; ſed omnis unitas ſingularis, eſt unitas numerica : ergò omnis unitas, quæ datur à parte rei, debet eſſe numerica.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. mai. unitas ſingularis *identicè*, conc. mai. *formaliter*, *vel fundamentaliter*, neg. mai. & conceſ. min. ſub eadem diſt. neg. conſeq. Quia licet omnis unitas, quæ datur à parte rei, ſit numerica materialitèr, & identicè, quatenùs eſt identificata cum unitate numerica ; non tamen omnis unitas, quæ datur à parte rei eſt numerica fundamentalitèr, & formalitèr per rationem : nam unitas realis formalis provenit à forma ſecundum gradum communem, unitas verò numerica, provenit ab eadem forma ſecundū gradum individualem, & propterea unitates prędictæ à parte rei fundamentalitèr diſtinguuntur, & formalitèr diſtinguuntur per rationem.

Inſtabis : ex prędicta ſolutione ſequitur, tantum dari à parte rei unicam unitatem; ſed

sed hæc debet esse numerica, quæ à nullo negatur à parte rei: ergò non potest dari à parte rei unitas formalis. Prob. mai. Ex prædicta solutione sequitur tantùm dari à parte rei unam, & eandem entitatem; sed ad unam, & eandem entitatem tantùm sequitur una unitas, cum unitas sit passio entis: ergò ex data solutione non sequitur tantum dari à parte rei unicam unitatem.

Resp. neg. mai. & ad probationem dist. min. una unitas *materialiter, & identice, & per exclusionem distinctionis actualis à parte rei*, conc. min. *per exclusionem distinctionis fundamentalis, & formalis per rationem*, neg. min. & conseq. nam unitas sequitur ad entitatem, ut carentem divisione, cumque eadem entitas possit carere divisione penes principia materialia, in quo unitas numerica consistit, & etiam possit carere divisione penes principia formalia, in quo consistit unitas formalis, ut patet in Petro, qui non distinguitur materialiter à se ipso, nec formaliter à Paulo, indè fit utramque unitatem posse sequi eandem entitatem, quāvis hæc duplex unitas non sit à parte rei actualiter, sed fundamentaliter tantùm distincta.

Secundò arguitur: Si inter Petrum, & Paulum daretur à parte rei unitas formalis, per unitatem prædictam Petrus, & Paulus essent unum formaliter; sed Petrus, & Paulus à parte rei non sunt formaliter unum: ergò nulla datur à parte rei unitas, quæ possit esse formalis. Prob. min. Esse formaliter unum, est habere aliquam formam, quæ sit utrique communis; sed nulla forma à parte rei Petro, & Paulo communis est, sed potius quæcumque forma à parte rei, etiam ipsa natura humana, realiter multiplicatur in illis: ergò Petrus, & Paulus à parte rei non sunt formaliter unum.

Resp. dist. min. non sunt formaliter unum, *unitate identitatis*, conc. min. *unitate similitudinis, aut convenientiæ formalis*, neg. min. & conseq. Quia licet Petrus, & Paulus à parte rei non sint unum formaliter unitate identitatis, eo quòd natura humana realiter multiplicatur in illis; sunt tamen à parte rei Petrus, & Paulus unum formaliter in una, & eadem natura humana, vel in ea non distinguuntur formaliter, & in carentia prædictæ distinctionis, unitas formalis consistit.

Instabis. Si semel Petrus, & Paulus, habent unitatem formalem, debent habere uni-

ta-

tatem formalem omnimodam, & totaliter indivisam : ergò erunt unum formaliter unitate identitatis. Prob. ant. Si semel habent unitatem prædictam, nullo modo distinguuntur formaliter : ergò debent habere unitatem omnimodam, & totaliter indivisam. Prob. conf. Unitas formalis omnimoda, & totaliter indivisa, consistit in omnimoda carentia distinctionis formalis; sed hæc carentia verè reperitur inter Petrum, & Paulum : ergò debent habere omnimodam unitatem, & totaliter indivisam.

Resp. neg. ant. & ad probationem neg. conseq. ad cuius probationem dist. mai. carentia distinctionis formalis *metaphisice, & præcisive considerata*, conc. mai. *Physice, aut concretivè sumpta*, neg. mai. Nam carentia distinctionis formalis præcisivè sumpta, & segregata ab unitate numerica, sumuntur à natura, prout à singularibus separata, secundùm quam rationem natura est una formaliter unitate indivisibili, vel unitate identitatis, & ideó carentia distinctionis formalis præcisive accepta, & desumpta à natura sic præcisa, arguit unitatem formalem talem simpliciter & totaliter indivisam. Carentia verò distinctionis formalis concretivè sumpta, vel physicè à parte rei desumitur à natura cum singularibus identificata; & cum natura identificata cum singularibus non sit simpliciter indivisa, sed potius multiplicata, inde fit non esse simpliciter unam, nec carentiam divisionis desumptam à natura, prout sic, arguere unitatem formalem, simpliciter talem, cum natura sic considerata, & physicè sumpta, non omnem veram divisionem excludat.

Dices : ideò unitas formalis prædicta non est simpliciter talis, aut totaliter indivisa, quia realiter conjungitur cum divisione numerica; sed divisio numerica non potest tollere unitatem formalem esse simpliciter talem, & totaliter indivisam : ergo prædicta unitas debet esse totaliter indivisa. Prob. min. Unitas non tollitur, nisi per divisionem oppositam; sed divisio numerica non opponitur cum unitate formali : ergo non potest tollere unitatem formalem esse simpliciter talem, & totaliter indivisam.

Resp. neg. min. & ad probationem dist. min. non opponitur *directe*, conc. min. *indirecte*, neg. min. & conseq. Quia quando dividuntur, & multiplicantur individua, multiplicantur etiam specifica prædicata; undè nascente Petro, nascitur novus homo distinc-

tus ab omni alio, novum animal, novum corpus &c. & ità divisio numerica, quę per se primò, & directè excludit unitatem numericam, ex consequenti, & indirectè excludit unitatem formalem totalitèr indivisam, aut excludentem omnem veram divisionem, quia unitas formalis conjuncta cum divisione numerica, non omnem veram divisionem excludit.

§. IV.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in articuli discursu colligitur, unitatem formalem non esse realitèr entitativè distinctam ab unitate numerica, eo quod utraque provenit ab una, & eadem forma realitèr, quæ communicata secundùm gradum specificum præstat unitatem formalem, communicata secundum gradum individualem præbet unitatem numericam, tanquam effectum formalem, & cum effectus formalis formæ non sit realiter à forma distinctus, indè est utramque unitatem non esse realitèr entitativè diversam.

Dices: unitas numerica provenit à materia, eo quod materia est principium individuationis, aut unitatis numericæ, & unitas formalis provenit à forma, ut per se manifestum est; sed materia, & forma realiter distinguuntur: ergó etiam unitates prædictæ debent distingui realitèr.

Resp. dist. mai. provenit à materia *tanquam à principio radicali*, conc. mai. *tanqnam à principio proximo*, neg. mai. & conceis. min. neg.conseq. Quia unitas numerica radicalitèr tantum provenit à materia, quę est principium radicale, & primum, undè oritur individuatio, ut indicat D.Th. cap. 6. de ent.& essent. proximé tamen unitas numerica non provenit à materia, sed à forma substantiali, à qua omnes gradus, & unitates proximè, & immediatè proveniunt.

Tandem infertur ex dictis, quod cum unitas & importet aliquid positivum, scilicet entitatem, & aliquid negativum, videlicet carentiam divisionis, si loquamur de unitate formali,& numerica substantiali quantum ad positivum quod important, sic sunt idem realitèr, & solo ratione distinguuntur. Eadem namque res est, quæ est una formaliter, & quæ est una numericæ. Si autem sermo sit de his unitatibus, quantum ad privationes divisionum importatas, sic potest dici, quod distinguuntur rea-

realitèr, eo quod alia eſt privatio diviſionis formalis,& alia eſt privatio diviſionis numeralis; ſicut alia eſt diviſioformalis & alia eſt diviſio numerica. Nō enim incōvenit eſſe in uno plures unitates ſubſtātiales, realiter diſtinctas, quoad privationes importatas, licet ſit impoſsibile eſſe in uno plures unitates ſubſtantiales, realiter diſtinctas, quoad res poſitivas, quas important.

ARTICULUS III.

Utrum detur diſtinctio realis formalis, aut ex natura rei inter gradus metaphiſicos?

§. I.

Senſus difficultatis aperitur, & ſtatuitur negativa Concluſio.

AD huius difficultatis intelligentiam, præmittendum eſt, in quocumque individuo, v. g. in Petro, plura prędicata reperiri, videlicet rationem ſubſtantiæ, corporis, viventis, animalis, rationalis, & ultrà hęc differentiam individualem, per quam ultimo conſtituitur individuum, quę omnia tanquam ſuperiora, & inferiora adinvicem comparantur, & propterea, quia dū ipſa intelligimus, quaſi per gradus deſcendimus, aut aſcendimus, ea omnia prędicata gradus metaphiſicos appellamus. Et quamvis diſtinctio inter hæc prędicata à pluribus pręmaturè tractetur in metaphiſica, opportunè etiam inter Logicos diſputatur, cùm enim eadem ſcientia ſit de contrarijs, explicata unitate, congruè agitur de diſtinctione, quę unitati contrariatur.

Secundò notandum eſt, quod cum unitas, & diſtinctio ſequantur ad ens, ut ſæpè repetit D. Th. & ens tantùm poſsit eſſe duplex, vel reale, vel rationis, duplex tantùm poterit eſſe diſtinctio, una videlicet realis, & altera diſtinctio rationis. Diſtinctio realis, *eſt carentia identitatis, quæ datur à parte rei, ſeclusa quacumque actione intellectus.* Diſtinctio verò rationis, eſt, *quæ fit beneficio intellectus, & in re non datur*: & eſt duplex, alia rationis ratiocinantis, & alia rationis ratiocinatę, diſtinctio rationis ratiocinantis eſt, quando intellectus ad diſtinguendum extrema, non invenit fundamentum in rebus, ſed pręcisè ex modo concipiēdi ſe habet prędicta diſtinctio: ſicut dùm quis diſtinguit veſtimentum ab indumento. Diſtinctio rationis ratiocinatæ, eſt quando intellectus ad præ-

dictam distinctionem invenit fundamentum in rebus, & propterea inter extrema distinctionem rationis format: sicut dùm quis distinguit in anima nostra principium discurrendi, à principio sentiendi, & vegetandi.

Tertiò supponendum est, quod distinctio realis, etiam est duplex: altera rei à re, sicut Petrus à Ioanne distinguitur, & forma à materia: & alia rei à modo, sicut Petrus distinguitur à sessione propria, vel ubi, & huiusmodi alijs, quæ propter suam tenuitatem, aut parvitatem non obtinent nomen rei, sed modi duntaxat dicuntur, & distinctio illorum à rebus modalis distinctio nominatur, ultrà quas distinctiones Scotus in 1. dist. 2. q. 7. §. *sed hic restat*, & alibi, aliam adinvenit, quam vocat distinctionem formalem actualem ex natura rei, eā videlicet, quæ nō datur inter unā, & alterā rē, aut inter rē, & modū illius, sed præcisè inter duas formalitates unius, & eiusdem rei, v. g. inter animalitatem, & rationalitatem, seu inter ipsam rationalitatem, & differentiam individualem, quarum unam asserit non esse formaliter alteram, nec de formali alterius constitutivo, sed potius formaliter distinctam ab alia ante omnem intellectus operationem.

Ex quo constat Authores, cum quibus in præsenti contendimus, non ponere distinctionem realem entitativā, aut realem modalem inter gradus metaphisicos, sed potius talem distinctionem non dari nobiscum modo supponere, & tanquam possibilem negare, quorum etiam commune intentum communis ratio suadet: nam omnia prædicata metaphisica identificantur realiter in una, & eadem forma: ergò etiam inter se nullam habent distinctionem realem entitativam. Prob. ant. Omnia enumerata proveniunt ab una, & eadem forma, tanquam effectus formales: ergò omnia illa identificantur realiter cum eadem realiter forma. Conseq. patet, quia effectus formalis formæ nihil aliud est, saltem entitativè, quam ipsa forma subjecto cōmunicata. Et ant. prob. nàm forma substantialis communicata secundum rationem corporis, præstat corporeitatem, communicata secundum quod vitalis præstat rationem viventis, & idem de omnibus alijs: ergò omnia enumerata proveniunt ab una, & eadem forma, tanquam effectus formales.

His prælibatis, circa præsentem difficultatem, Subtilis

Doc-

Doctor affirmat, prædicata metaphiſica non eſſe realitèr entitativè, vel modaliter diſtincta, eſſe tamen realitèr formaliter diverſa, aut ex natura rei, quatenus animalitas diffinitur, eſſe principium ſentiendi, & rationalitas dicitur, eſſe principium diſcurrendi, & ità diverſis diffinitionibus diffiniuntur, & explicantur: ex quibus manifeſtè infertur, animal non eſſe de conceptu, & diffinitione rationalis, nec ipſum rationale de diffinitione, & conceptu animalis, ſed potius eſſe prædicata ex natura rei diſtincta, & quorum unum in proprio conceptu, etiam prout in re, alterum non includit. Scotum ſequuntur eius diſcipuli, ſed alij deſerunt: undè in hac parte de illo dicere poteramus, quod olim Geneſis 16. v. 12. de Iſmaele dictum eſt; *manus eius contrà omnes, & manus omniũ contra eum.*

Thomiſtæ verò cum Ang. Præcept. per oppoſitum affirmant, talia prędicata actualitèr quidem diſtingui ſolum per operationem intellectus, & à parte rei nullam diſtinctionem habere, præter eam, quæ virtualis, vel fundamentalis dicitur, quatenùs una, & eadem res propter æquivalentiam, quam habet ad plura, prębet intellectui fundamentum, ut in ea plura prędicata actualiter diſtinguat, ſicut in Deo diſtinguit plura divina attributa: quæ ſententia etiã inter Authores Societatis cõmunis eſt. Sit ergò:

§. II.

Noſtra Concluſio.

Inter gradus metaphiſicos non datur diſtinctio realis formalis, aut ex natura rei ante opus intellectus, ſed ſolum virtualis, aut fundamentalis.

SEntentiam oppoſitam falſo nixi fundamento ad diſtinctionem formalem, aut ex natura rei efficacitèr perſuadendam, oſtenditur inductione, authoritate, & ratione. Inductione quidem; nam tria ſunt, propter quæ Scotus neceſſariam putat ſuam diſtinctionem formalem: 1. ut de unica re poſſint verificari propoſitiones contradictorię. 2. ut poſsit terminare diverſos conceptus. 3. ut poſsit diſtiniri diverſis diffinitionibus; ſed hęc omnia poteſt præſtare ſola diſtinctio virtualis: ergò diſtinctio formalis, utpote falſo nixa fundamento, admittenda non eſt. Prob. min. quantum ad omnes partes. Quoad primam quidem, quia de una, & eadem re, vir-

tualiter multiplici, potest aliquid verificari secundùm unã virtualitatem, & non verificari secundùm aliam; sed hoc sufficit ad verificanda prædicata contradictoria: ergò sola distinctio virtualis sufficit, ut de unica re possint verificari propositiones contradictoriç. Maj. patet ex D. Th. Tùm q. 7. de Potent. art. 1. ad 5. ubi ait: *De eo, quod est idem re, & differens ratione, nihil prohibet contradictoria prædicari, ut dicit Philosophus 3. Physic. sicut patet, quod idem punctum re, differens ratione, est principium, & finis, & secundum quod est principium non est finis, & è contrariò.* Tùm etiam 1. p. q. 76. art. 3. ad 4. ubi loquens de animalitate, & rationalitate, sic inquit: *quia anima intellectiva virtute continet id, quod sensitiva habet, & adhuc amplius potest seorsim ratio considerare, quod pertinet ad virtutem sensitivç. Et quia hoc invenit commune homini, & alijs animalibus, ex hoc rationem generis format. Id verò, in quo anima intellectiva sensitivam excedit, accipit quasi formale, & completivum, & ex eo formatdifferentiam hominis.* Et q. 50. art. 2. ad 1. *Genus, & differentia in Angelis, non accipitur secundum aliud, & aliud, sed secundum unum, & idem, quæ tamen differunt secundum considerationem nostram. In quantum enim intellectus noster considerat illam rem ut indeterminatè, accipitur in eis ratio generis: in quantum verò considerat ut determinatè, accipitur ratio differentiæ* Quod idem eisdem ferè verbis repetit Ang. Præcept. cap. 7. metaph. lect. 12. & de ent. & essent. cap. 3. in quibus verbis manifestè appareret, quod de una, & eadem re, hoc ipso, quod sit virtualiter multiplex, prædicata contradictoria verificari possunt.

Quantùm ad secundam verò partem, sic probatur: nam hoc ipso, quod una res æquivaleat pluribus, potest concipi præcisè secundũ quod æquivalet uni, & deindè secundùm quod æquivalet alteri, ergó unica res virtualitèr multiplex potest diversos conceptus terminare, quia intellectus noster potest adunata dividere, & divisa unire, & non semper est conceptus rei adęquatus.

Quoad tertiam verò, sic ostenditur: quia plura diversis diffinitionibus diffiniuntur, quæ tamen distincta non sunt formalitèr ex natura rei: ergò distinctio virtualis sufficiens erit, ut unica res diversis diffinitionibus diffiniatur. Prob. ant. intellectus, ut intellectus,

&

& ut ratio diverſas habet diffinitiones per ordinem ad actus diverſos, & connotata diſtincta; idemque dicendum de voluntate, ut natura, & ut libera eſt; & in utraque potentia capacitas receptiva diverſorum actuum, naturalis videlicet, & liberi, diſcurſus, & luminis principiorum, habitus ſcientifici, & erronei, habitus obſcuri, & clari, diverſis diffinitionibus diffiniuntur; & tamen in his omnibus non conceditur à Scoti diſcipulis diſtinctio ex natura rei, aut realis formalis: ergò plura diverſis diffinitionibus diffiniuntur, quæ tamen diſtincta non ſunt formaliter ex natura rei.

Denique illuſtratur id totum authoritate D. Th. 1. p. q. 76. art. 3. in corp. ubi ait, quod *eadem numero eſt anima in homine ſenſitiva, & intellectiva, & nutritiva. Quomodo autem hoc contingat, de facili conſiderare poteſt, ſi quis differentias ſpecierum, & formarum attendat. Nam rerum ſpecies, & formæ differunt adinvicem ſecundum perfectius, & minus perfectum. Sicut in rerum ordine animata perfectiora ſunt inanimatis, & animalia plantis, & homines animalibus brutis. Unde Ariſtoteles in 8. metaph. & in 2. de anim. aſſimilat ſpecies rerum numeris, & figuris, in quibus perfectior continet imperfectiorem, & excedit. Sic igitur anima intellectiva continet in ſua virtute quidquid habet anima ſenſitiva brutorum, & nutritiva plantarum. Sicut ergò ſuperficies, quæ habet figuram pentagonam, non per aliam figuram eſt tetragona, & per aliam pentagona (quia ſuperfluueret figura tetragona, ex quo in pentagona continetur) ita nec per aliam animam ſortes eſt homo, & per aliam animal, ſed per unam, & eandem.* Quibus etiam conſonat art. 6. in reſponſ. ad 1. ubi ait: *quod una, & eadem forma eſt, per quam homo eſt ens actu, & per quam eſt corpus, & per quam eſt vivum, & per quam eſt animal, & per quam eſt homo.* In quibus manifeſte apparet, gradus metaphiſicos eſſe unam, & eandem formalitatem, & ſolùm virtualiter multiplicem; cùm enim formalitas ſit effectus formę, oportet illam proportionati formæ, à qua procedit: forma autem, à qua gradus metaphiſici procedunt, eſt anima rationalis, in homine, quę quidem non eſt ex pluribus animabus tertia anima, ſed unica, & ſimplex, virtute continens quidquid habet anima brutorum, & anima plantarum, nàm quæ ſunt diſtincta in inferioribus, in ſuperioribus adunantur: &

ità eadem ſimplex formalitas, cum ſola diſtinctione virtuali, ſeú fundamentali à parte rei, eſt radix diſcurrendi, ſentiendi, & vivendi.

Ratione etiam probatur, quod humanitas non ſit ex natura rei, & formaliter diſtincta ab ipſa differentia individuali. Nàm ſi humanitas Petri v. g. eſſet ex natura rei à Petreitate diſtincta, non eſſet ex natura rei, & ante opus intellectus diſtincta, nec indiſtincta ab humanitate Pauli; ſed hoc implicat: ergò etiam, quod humanitas ſit ex natura rei, & formaliter diſtincta à differentia individuali. Prob. mai. quantúm ad primam partem. Humanitas diſtincta ab humanitate Pauli, eſt humanitas ſingularis, quia eſt hęc, & non illa; ſed humanitas Petri, diſtincta ex natura rei ab ipſa Petreitate, non eſt humanitas ſingularis, cùm per ipſam Petreitatem ſingularis conſtituatur: ergò ſi eſſet ex natura rei à Petreitate diſtincta, non eſſet ex natura rei, & ante opus intellectus diſtincta ab humanitate Pauli.

Quantum ad ſecundam verò partem, probat. mai. ex eo, quod eadem humanitas Petri nequit eſſe in re humanitas ipſa Pauli, alias una natura eſſet in re in pluribus ſuppoſitis realiter entitativè diſtinctis, quod implicat increatis: ergò ſi humanitas Petri eſſet ex natura rei à Petreitate diſtincta, non eſſet indiſtincta ab humanitate Pauli.

Tandem efficaci ratione concluſio noſtra ſuadetur: ſi animalitas, & rationalitas eſſent duæ formalitates ex natura rei, & formaliter diſtinctæ, entitas etiam utriuſque eſſe ex natura rei, & formaliter diſtincta, & idem de quocumque prædicato metaphiſico dicendum; ſed entitas animalitatis, & rationalitatis formaliter, & ex natura rei diſtincta non eſt: ergò animalitas, & rationalitas non ſunt duę formalitates ex natura rei, & formaliter diſtinctæ ante opus intellectus. Min. manifeſta eſt, & illam concedit Scotus, totaque illius Schola. Maj. verò prob. Si eſſent duæ formalitates ex natura rei, & formaliter diſtinctæ, entitas animalitatis eſſet ex natura rei, & formaliter diverſa ab ētitate rationalitatis: ergò ētitas utriuſq; eſſet ex natura rei, & formaliter diſtincta. Prob. ant. Entitas animalitatis eſſet ex natura rei, & formaliter diſtincta ab ipſa rationalitate: ergò etiam ab illius entitate. Patet conſeq. Quia rationalitas non eſt diſtincta formaliter à propria entitate, ſed potius ex natura rei eſt ſua entitas.

Ant.

Ant. verò prob. Animalitas ipſa eſſet ex natura rei, & formaliter à rationalitate diſtincta: ergò etiam entitas animalitatis eſſet ex natura rei à rationalitate diverſa. Prob.conſeq. Entitas animalitatis non eſt diſtincta ex natura rei ab ipſa animalitate, ſed potius eadem cum illa formalitèr, nã animalitas ex natura rei eſt ſua entitas, eo quod ex natura rei, non eſt entitas alterius, & conſequentèr ſi non eſſet ſua entitas, ex natura rei non eſſet entitas, aut ens: ergò ſi animalitas eſſet ex natura rei à rationalitate diſtincta, etiam entitas animalitatis, quę eadem eſt formalitèr cum ipſa formalitate, eſſet formalitèr, & ex natura rei à rationalitate diverſa. Quia proptér, vel debent Adverſarij concedere, entitatem animalitatis eſſe diſtinctam formalitèr, & ex natura rei ab ipſa animalitate, & etiam ab entitate rationalitatis, quod cõcedere nõ audebunt; vel nobiſcum fateri, non dari inter huiuſmodi prædicata diſtinctionem realem formalem ante opus intellectus; ſed ſolùm virtualem, ſeù fundamentalem.

)(o)(

*** ***

§. III.

Argumentis contrariorum occurritur.

COntra Concluſionem noſtram arguitur primõ: rationalitas non eſt de eſſentia animalitatis, quæ reperitur in homine: ergò formalitèr, & ex natura rei ab animalitàte diſtinguitur. Prob. ant. animal, quod reperitur in homine, non eſt de eſſentia rationalitatis: ergò nec rationalitas erit de eſſentia animalitatis, quæ in homine reperitur. Prob.ant. Quia ens eſt de eſſentia inferiorũ non poteſt ab illis perfectè prę ſcindere; ſed animal, quod reperitur in homine, perfecte prę ſcindit à differentia rationalis: ergo non eſt de eſſentia rationalitatis, quæ in homine reperitur.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. ant. non eſt de eſſentia *metaphiſica*, conc. ant. *phiſica*, neg. ant. & conſeq. ſub ead. diſt. licet namque animal, quod reperitur in homine, non ſit de eſſentia metahpiſica rationalis, eſt tamen de eſſentia phiſica illius, & ſimilî modo rationalis eſt de eſſentia animalis, quia entitas utriuſq; eſſentialiter indivitibilis, & inſeparabilis eſt. Ex quo potiûs infertur, animal prę ſcindere à dif-

differentiis, de quarum essentia metaphisica non est; nam ratio, quare ens non potest perfectè à differentiis prescindere, est, quia ipsum ens est de essentia etiam metaphisica cuiuscumque differentiæ, etiam inadequatè conceptę, quando quidem quęcumque differentia debet concipi, ut est aliquid, & consequentèr ut ens.

Instabis: rationalitas non est de essentia metaphisica animalis iuxta datam solutionem, & consequenter erit extra essentiam metaphisicam illius; sed essentia metaphisica animalis realis est, & à parte rei existit: idemque de essentia metaphisica rationalitatis dicendum: ergò aliqua realitas animalis non erit à parte rei realitas aliqua rationalis, sed potiùs erit realitas à rationali distincta.

Resp. dist. min. realis est, *entitative*, conc. min. *formalitèr*, neg. min. Quia quamvis essentia metaphisica animalis, sit aliqua natura realis entitative, & realiter identificata cum essentia metaphisica rationalis existat à parte rei, formaliter tamen, & quatenus est essentia metaphisica animalis, importat ipsum solùm, ut est principium sentiendi, & quatenus inadæquatè objicitur intellectui secundum munus proprium, & ut à rationali distinctum, quæ quidem non datur à parte rei.

Secundò arguitur: animal à parte rei non est actu formalitèr rationale: ergò animal, & rationale ex natura rei, & ante opus intellectus actualitèr distinguũtur. Prob. ant. Animal à parte rei non est actu formaliter id, quod negat; sed negat rationale: ergò non est actu formalitèr rationale. Prob. min. id, quod convenit, negat illud, quod non convenit; sed animal in homine est illud, quod convenit cum equo: ergò negat rationale, quod est illud, quod cum equo non convenit.

Resp. neg. ant. & ad probationem neg. min. ad cuius probationem dist. mai. negat illud, quod non convenit *in termino comparationis*, conc. mai. *in subiecto comparationis*, neg. mai. & concess. min. neg. conseq. sub dist. mai. Nàm id, quod convenit, negat illud, quod non convenit in termino comparationis, undè animal negat rationale in equo, qui est terminus comparationis, & convenientię; non tamen negat id, quod non convenit in ipso subiecto, videlicet in homine, nam ut homo non conveniat cum equo in rationalitate, satis est rationalitatem in equo non reperiri: non tamen requiritur animal

mal, & rationale in homine, & prout in ipſo non eſſe realiter idē: nam hoc ipſo, quod in equo eſt animalitas ſine rationalitate, quantūvis in homine eadem res, immò eadem formalitas ſit rationalitas, & animalitas, attamen illa unica formalitas negabit convenientiam cum equo, quatenùs illi deeſt rationalitas, & dicet convenientiam cum eo, quatenùs in eo animalitas reperitur. Et ratio eſt, quia prędicata reſpectiva, cum ſint ad alterum, diſtinctionem deſumunt per ordinem ad alterum: Cum igitur eſſe conveniens, & non eſſe conveniens ſint prędicata reſpectiva, ut inſinuat D. Th. 1. 2. q. 9. art. 2. in corp. eorum diſtinctio non emendicatur ſempèr ex diſtinctione, quæ ſit in utroque extremo comparationis, ſed ſufficit, ut ea, quę in ſubjecto comparationis ſunt identificata, in termino, cui comparantur ſint diviſa.

Tertiò arguitur: quæ differunt diffinitione, etiam ex natura rei actualitèr diſtinguūtur; ſed animal, & rationale differunt diffinitione: ergó animal, & rationale ex natura rei actualitèr differunt ante opus intellectus. Mai. patet. Quia diffinitiones diverſæ, explicant diverſas naturas rei. Min. verò prob. Animal diſſinitur eſſe principium ſentiendi, & rationale diffinitur eſſe principium diſcurrendi: ergò animal, & rationale differunt diffinitione.

Reſp. diſt. mai. diffinitione *adæquata rei in ſe*, conc. mai. *in adæquata*, neg. mai. & ſub eadem diſt. min. neg. conſeq. Dupliciter namque res diffiniri poſſunt: adæquatè videlicèt, aut diffinitione adęquata cum illis prout in re. Et ſi hoc modo diffiniantur, habent diverſas eſſentias, & naturas, quęcumque habent diverſas diffinitiones. Poſſunt inſuper res diffiniri diffinitione inadæquata cum illis prout in re, & ſolùm adęquata cum ipſis, ſecundum quod inadæquatè concipiuntur à nobis, & ſi talitèr diffiniantur, ex diverſitate diffinitionis non infertur res prout in re habere diverſas eſſentias ex natura rei diſtinctas, ſed ſolum habere eſſentias indæquatè per intellectum diſtinctas: cumque diffinitio data animalis non ſit adæquata cum illo prout in re, ſed tantum cum illo, ut in adæquatê concipitur, ſolum infertur, ex quo ita diffiniatur, eſſe per intellectum à rationali diſtinctum, non tamen prout in re â rationali diſtingui, ſicut ipſa diffinitio non explicat naturam animalis ut in re, ſed ſolum prout in adęqua-

quatè objicitur intellectui, & ideò prædicta diffinitio est communis homini, & equo, cum tamen animal hominis prout in re commune non sit.

Instabis: Quæ differunt diffinitione, repræsentantur etiã per conceptum distinctum; sed quæ repræsentantur per conceptum distinctum ex natura rei actualitèr distinguuntur antè opus intellectus: ergó si modo prędicto differunt animal, & rationale, ex natura rei distinguuntur. Prob. min. De eadem re non datur duplex conceptus: ergò quæ repræsentantur per conceptum distinctum ex natura rei actualitèr distinguuntur. Prob. ant. Distinctio conceptuum sumitur à distinctione objectorum, eo quod conceptus supponit objectum cognoscibile, ac proinde distinctus conceptus diversum cognoscibile supponere debet: ergò de eadem re non datur duplex conceptus.

Resp. dist. mai. per conceptum distinctum *inadæquatum*, vel *adæquatum*, conc. mai *adequatum semper*, neg. mai. & dist. min. per conceptum distinctum *adæquatum*, conc. min. *inadæquatum*, neg. min. nam quæ differunt diffinitione inadæquata, repręsentantur etiam per conceptum non adęquatum, sed potiùs inadæquatum cum re prout in se ipsa, ex quo tantum sequitur objectum repręsentatum esse ratione distinctum, non tamen esse diversum, quatenus est in se ipso. Et ad probationem min. dicimus: posse dari duplicem conceptum de eadem re, quando ipsa fundamentaliter est multiplex, nam sicut eadem causa, quia virtualiter est multiplex, potest producere effectus realiter entitativè distinctos, ita idem objectum, quãdo fundamentalitèr multiplex est, repręsentari potest per plures conceptus realitèr, illosq; specificare, & causare per modum causę formalis. Nec probatio superaddita convincit: quia conceptus specificatur ab objecto cognoscibili, & ab illo tanquam à causa dependet, proindeque ipsum supponit. sicut effectus supponit causam; distinctio verò conceptus exercitè se habet, & non supponit necessariò distinctionem actualem in objecto, sed illam supponit, vel facit, ut contingit, quando intellectus animal, & rationale distinguit.

Quartò arguitur: nulla formalitas creata potest esse realitèr communicabilis, & incommunicabilis pluribus, hoc enim est proprium divinæ naturæ, quæ pluribus communicatur, ut natura, & tamen ut persona, communicabilis non

est;

eſt; ſed natura humana realiter eſt communicabilis pluribus, differentia verò individualis realiter communicabilis non eſt: ergò natura humana, & differentia individualis ſunt duæ formalitates realiter actualiter diſtinctæ. Quod idē de cæteris prędicatis metaphiſicis æqualiter convincit.

Reſp. neg. min. quia licèt natura humana inadæquatè concepta ſit per rationem communicabilis, quatenùs concipitur, ut potens eſſe in pluribus, in re tamen non eſt realiter communicabilis pluribus, ſed potiùs determinata, & incommunicabilis: ſicut ipſa differentia individualis; quia in re nulla datur natura, quę non ſit appropriata alicui individuo.

Inſtabis: natura humana in re eſt realiter communicabilis pluribus: ergò ſolutio data non tenet. Prob. ant. primò. Natura humana eſt realiter multiplicabilis: ergò realiter communicabilis pluribus. Prob. ant. Natura humana eſt natura materialis; ſed naturæ materiali nō repugnat multiplicari realiter: erg. natura humana eſt realiter multiplicabilis

Secundò probatur ant. Natura humana eſt apta, ut realiter ſit in pluribus, ſicut defacto realiter in pluribus eſt: ergò natura humana in re eſt realiter communicabilis pluribus.

Reſp. neg. ant. & ad primam probationem diſt. ant. realiter multiplicabilis *Logicè*, conc. ant. *Phiſicè*, neg. ant. & conſeq. Licet namque non repugnet in re dari plures naturas humanas realiter entitativè diſtinctas, in quo conſiſtit potentia Logica, & objectiva, ut natura humana realiter multiplicetur: non tamen ipſa natura, prout in re, habet potentiam ſubiectivam, & phiſicam ad ipſam multiplicationem, aliàs prout in re eſſet, phiſicè determinabilis, quod tamen implicat, cum natura, prout in re, ſingularis, & determinata ſit.

Ad ſecundam probat. diſt. ant. ut realiter ſit in pluribus, ly *realiter determinante actum aptitudinis, ſcilicèt eſſe in pluribus*, conc. ant. *determinante aptitudinem*, neg. ant. & conſeq. Quia natura humana realiter exiſtit in pluribus, ſed aptitudo, vel potentia, ut in illis exiſtat realiter, non eſt realis, quia in re in quocumque individuo determinatur ad unum.

Dices: natura humana realiter multiplicatur phiſicè: ergò poteſt phiſicè multiplicari, & conſequenter potentia ad multiplicationem, phiſica, & realis eſt.

Reſp,

Resp. neg. conseq. non enim valet ab actu physico ad potentiam physicam; sicut non valet: Deus actu existit: ergò habet potentiam Physicam ad existendum. Nam ex actu physico solùm infertur physica nõ repugnantia ad actum, quæ solùm est potentia Logica, & objectiva. Undè existentię convenit exercitium existendi in rerum natura, & tamen nunquam fuit in potentia subjectiva, & physica ad prædictum exercitium, aliàs haberet potentiam veram, & realem distinctam realiter ab exercitio existendi, & ita existentia esset realiter à se ipsa distincta.

Quinto arguitur: de una, & eadem formalitate verificari non possunt propositiones contradictoriæ; sed de animali, & rationali verificantur propositiones contradictoriæ; ergò animal, & rationale nõ sunt à parte rei una, & eadem formalitas, sed potius ex natura rei debent esse formalitates distinctæ. Prob. mìn. Hæc est propositio vera: *Animal in homine est principium conveniendi*, & hæc etiam vera est: *rationale non est principium conveniendi*; sed propositiones istę sibi invicem contradicunt: ergò de animali, & rationali, verificantur propositiones contradictoriæ.

Hoc argumentum fundamentum est principale, cui prę-cipuè Scoti sententia fidit. Pro cujus solutione notandum est, nos posse loqui de animali, & rationali dupliciter: primò, quatenus significantur his nominibus *animal*, & *rationale*, & à nobis inadæquate concipiuntur. Secundò possumus loqui de illis, prout sunt in se ipsis, & in re. Et quidem si de illis secundo modo loquamur, quidquid negatur de uno, debet etiam de altero negari, & quidquid affirmatur de uno, etiam affirmatur de altero; & ideò falsa est hæc propositio: *Rationale non est ratio conveniendi*, & etiam altera: *Animal non est ratio distinguendi*. Eo quod negatio absolutè prolata, destruit totaliter prædicatum, & idem est ac dicere: animal sub nulla formalitate est principium distinguendi, cum animal secundum quod rationale distinguat, & in re sit rationale. Et in altera: *rationale non est principium conveniendi*, idem est, quod affirmare, rationale sub nulla formalitate esse conveniendi principium, quod utique falsum est, cum rationale prout in re sit formaliter animal, & principium conveniendi. Si verò de animali, & rationali, primo modo consideratis, loquamur, potest aliquid

quid affirmari de animali, & de rationali negari, & é contra. Nam ad hoc ſufficit diſtinctio rationis, quam involvunt, quatenùs à nobis inadæquatè concipiuntur. Quam doctrinam deſumpſimus ex D. Th. q. 8. de Potent. art. 2. ad 7. per ea verba: *Non oportet, quod omnia eadem prædicentur quolibet modo de eiſdem; ſed ſolum de eiſdem ſecundum rationem; eſſentia autem Divina, & Paternitas, & ſi ſint idem re, non ſunt idem ratione. Et ideò non oportet, quod quidquid prædicatur de aliquo uno, prædicetur de alio.* Quia tamen, ſemper, quod de prædictis loquimur, utimur illis nominibus, *animal*, & *rationale*, quibus ſignificantur tanquam ratione diſtincta, aliquid affirmatur de animali, quod de rationali negatur, & huius doctrinæ repetitio etiã in D. Th. invenitur 1. p. q. 39. art. 1. ad 2. & alibi ſæpè ea ergò.

Reſp. ad argumentum, diſt. mai. de una, & eadem formalitate, *re*, & *ratione*, conc. mai. *Eadem re, ratione tamen diſtincta*, neg. mai. & conceſſ. min. neg. conſeq. Quia ex verificatione contradictoriarum, ſolum infertur, animal, & rationale eſſe formalitates per intellectum actualiter diſtinctas, & fundamentaliter in re, non tamen quod prout â parte rei actualiter diſtinguantur. Inſtantia argumenti invenitur in eodem puncto de quo dicitur, quod non eſt finis, quatenus incipit lineam, quatenus verò illam finit, finis eſt. Et ſimiliter in intellectu, quatenùs intellectus eſt, & ratio, & in voluntate, ut libera, & ut natura, de quibus verificantur prædicata contradictoria, cum tamen in re non ſint illa prædicata ex natura rei actualiter diſtincta, alias daretur duplex voluntas, diſtincta ex natura rei.

Dices: in quocumque ſigno verificantur propoſitiones contradictoriæ de aliquo, debet eſſe aliqua multitudo; ſed ante operationem intellectus verificantur ſupradictæ propoſitiones de animali, & rationali: ergó animal, & rationale debent eſſe ante operationem intellectus actualiter diſtincta.

Reſp. diſt. mai. aliqua multitudo *formalis*, *vel fundamentalis*, conc. mai. *formalis determinatè*, neg. mai. & conceſ. min. neg. conſeq. Quia ut de aliquo verificentur propoſitiones contradictoriæ, ſufficit in illo reperiri diſtinctionem fundamentalem rationis, & neceſſarium non eſt

eſ-

esse in illo multitudinem formalem, aut formalem distinctionem, eo quod, quamvis distinctio rationis, ut formaliter existens, dependeat ab operatione intellectus actualiter fingentis, distinctio tamen fundamentalis, vel fundamentum distinctionis formalis, à consideratione actuali intellectus non dependet, sed illius fictionem præcedit. Et hæc sola sufficit, ut in vi, & ratione ipsius, propositiones contradictoriæ de animali, & rationali verificari possint; sicut ob eandem fundamentalem distinctionem verificatur de bonitate specificare voluntatem, quod negatur de veritate ante fictionem actualem intellectus; & de eodem puncto verum est, esse principium unius partis, & non alterius, cuius terminus est.

Instabis: distinctio fundamentalis, aut fundamentū distinctionis actualis per rationem non sufficit, ut de animali, & rationali verificētur propositiones contradictoriæ: ergò ultrà eam debet assignari alia distinctio à parte rei actualis. Prob. ant. Prædicta distinctio non sufficit, ut animal à parte rei negetur de rationali, nàm hæc est falsa: *rationale, quod est in homine, non est animal*, propter identitatem utriusque, sicut & hæc: detur distinctio realis formalis, *justitia, quæ est in Deo, non est misericordia*: ergò nec sufficit prædicta distinctio ad contradictoria verificanda, cùm unius, & alterius eadem ratio sit.

Resp. neg. ant. & ad probationem neg. conseq. Quia in prædicatione unius gradus de altero nulla exercetur appellatio, & ideo, si unum negatur de altero, negatur realis identitas inter illos, & propterea propositio, in qua animal de rationali negatur à parte rei falsa est, sicut & altera, justitia non est misericordia: prædicata verò contradictoria appellant proprios conceptus, & distinctionem fundamentalem eorum, actualem per rationem, & ideò distinctio prædicta non sufficit ad primum, & sufficit ad secundum.

Replicabis: si distinctio fundamentalis sufficit ad contradictoria verificanda, poterit à parte rei affirmari aliquid de uno extremo, quod tamen negetur de alio realiter identificato cum ipso; sed hoc est artem syllogisticam evertere fundatam illis principijs: *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, dici de omni, dici de nullo*: ergo distinctio fundamētalis insufficiēs est ad contradictoria verificanda.

Resp. dist. mai. de uno

ex-

extremo *ut fundamentaliter ab alio diſti ćto*, conc. mai. de illo *prout in ſe*, neg. mai. min. & conſeq. Quia ars ſyllogiſtica fundatur in eo, quod quę ſunt eadem unitertio realiter, debent eſſe idem realitèr inter ſe, & quę prædicantur de aliquo realiter, & prout in ſe ſumpto, debent etiam prædicari de omni identificato cum illo, non tamen in eo, quod quæ identificantur unitertio realitèr, ratione tamen diſtincto, debeant eſſe indiſtincta per rationem, ſed potius ſic identificata debent eſſe inter ſe ratione diſtincta, & aliquid poterit per rationem affirmari de uno, quod de altero negetur, quod in animali, & rationali contingit.

Tandem arguitur, & ſimul contrà dicta replicatur: de animali, & rationali prout in re, verificari poſſunt prædicata contradictoria: ergò animal, & rationale prout in re debent eſſe formalitates ſaltem actualitèr diſtinctę. Prob. ant. Animal prout in re, eſt principium conveniendi, & rationale non eſt principium conveniendi: ergò de illis prout in re, contradictoria verificantur. ant. quantum ad primam partem conſtat, quātum ad ſecundam verò ſic prob. Rationale prout in re, eſt principium non conveniẽdi: ergò rationale prout in re, non eſt principium conveniendi. Patet conſeq. Quia arguitur ab affirmativa ad negativam, variato prædicato penès finitum, & infinitum, quæ iuxta regulam Dialecticorum bona conſequentia eſt.

Reſg. neg. duo anteced. prima, & ad probat. neg. conſeq. Quia regula Dialecticorum non tenet, quando arguitur à non diſtributo ad diſtributum, qualitèr in præſenti, virtualiter contingit, quia negatio abſolute prolata, deſtruit totalitèr prædicatum; & ideò hæc propoſitio *rationale prout in re, non eſt principium conveniendi*, facit hunc ſenſum: *rationale ſub nulla formalitate eſt principium conveniendi.* Ubi per ſe manifeſtum eſt, rationale eſſe diſtributum: in antecedenti autem, videlicet *rationale, eſt principium non conveniendi*, ipſum rationale diſtributum non erat. Et propterèa arguitur â non diſtributo ad diſtributum, quæ quidem mala conſequentia eſt, ſicut propter ſimilem defectum non valet: *in ſequana ſunt non piſces*: ergò *in ſequana non ſunt piſces.*

Inſtabis: rationale prout in re, eſt principium diſſimilandi: ergò non eſt principiũ aſſimilandi, aut principium

conveniendi. Prob. conſeq. Idem ſecundum idem nequit eſſe ſimile, & diſimile reſpectu eiuſdem; ſed rationale in re, eſt principium diſimilandi: ergò nequit eſſe principium aſimilandi, aut conveniendi.

Reſp. neg. conſeq. ad cuius probationem diſt. mai. ſimile, & diſimile *perfectè*, conc. mai. *imperfectè*, neg. mai. & diſt. min. diſimilandi *imperfectè*, conc. min. *perfectè*, neg. min. & conſeq. ſub diſt. mai. Licet namque idem reſpectu eiuſdem non poſsit eſſe ſimile, & diſimile perfectè, benè tamen imperfectè, & rationale ſolum eſt diſimile imperfectè reſpectu equi, eo quod cum illo etiam habet ſimilitudinem, & convenientiam univocam in ratione animalis: & ideò poteſt rationale ut in re, eſſe diſimile, & ſimile ſimul, eo quod ſimilitudo non conſiſtit in indiviſibili, ſicut æqualitas.

§. IV.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in articuli diſcurſu colligitur, inutilem, & impoſsibilem eſſe diſtinctionem virtualem intrinſecam conſiſtentem in eo, quod in una, & eadem re propter æquivalentiam virtualem, aut eminentialem ad plura detur capacitas, ut de ipſa verificentur prędicata contradictoria antè operationem intellectus, & omni appellatione ſecluſa, vel connotatione ad intellectum potentem in re, prędictam diſtinctionem rationis actualem efficere. Nobiſcum ſentiunt Thomiſtæ antiquiores, & ſimiliter moderni, qui nedum voce tenus, ut inquit P. Loſſada, ſed etiam re ipſa poſitioni noſtræ ſuffragantur.

Quod inutilis ſit huiuſmodi diſtinctio ſic probatur: ad verificanda prędicata contradictoria, ſufficit fundamentalis diſtinctio per ordinem ad intellectum, ut potentem actualem diſtinctionem formare, ad quam quidem faciendam habet fundamentum in re propter æquivalentiam ipſius ad plura: ergò prædicta diſtinctio virtualis intrinſeca ad prędictum effectum inutilis eſt; fruſtra enim fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora, & natura ſtudet compendio, & ſicut non deficit in neceſſarijs, ità abhorret ſuperflua.

Prob. ſimiliter impoſsibilitas prædictæ diſtinctionis: quia prędicatum, quod realiter negatur de ſubiecto, non poteſt realiter affirmari de illo,

illo, omni appellatione ſeclu-ſa, & ordine ad intellectum: ergò diſtinctio virtualis intrin-ſeca conſiſtens in capacitate ad ſuſcipienda realiter prædi-cata contradictoria, omni appellatione ſeclu-ſa, & ordi-ne ad intellectum, impoſsibi-lis eſt. Prob. ant. Prędicatum, quod realiter negatur de ſub-iecto, omni appellatione ſe-clu-ſa, non eſt realitèr ipſum ſubiectum, quia unum real-iter de altero negari, eſt unum non eſſe realiter aliud: ergò nequit realitèr affirmari de ſubiecto, ad hoc enim neceſ-ſarium erat, quod eſſet ipſum ſubiectum realitèr, ut ſic eſ-ſet verum dicere; hoc ſubiec-tum v. g. rationale realiter eſt animal. Unde D. Th. nunquã recurrit ad diſtinctionem in-trinſecam virtualem, modo ſupradicto explicatam, ad ve-rificanda de eodem prædicata ex ſe contradictoria, ſed ſo-lum ad diſtinctionem rationis, ut manifeſtè conſtat ex his, quę docet tùm 1.p. q.28. art. 3.ad 1. ubi ait: *quod quæcum-que uni, & eidem ſunt eadem, ſibi invicem ſunt eadem, in his, quæ ſunt idem re, & ratione, ſicut tunica, & indumentum, non autem in his, quæ differunt ratione*: tùm etiam q. 39. art. 1. ad 2. ubi aſſerit: *quod in quantum eſſentia, & perſona in divinis differunt ſecundum in-telligentiæ rationem, ſequitur, quod aliquid poſsit affirmari de uno, quod negatur de altero*, & alibi ſæpè, ubi ad verificanda prædicata contradictoria tam in Deo, quam in creaturis, ad ſolam diſtinctionem ratio-nis recurrit.

Inſtabis: conceſſa æqui-valentia unius rei ad plura diſtincta realitèr, poterit unum, & alterum affirmari, & negari de eadem entitate ſecundum diverſas æquiva-lentias: ergò poſſunt prædi-cata contradictoria verificari realiter propter ęquivalentiã realem ad plura, etiam ſeclu-ſa connotatione intellectus. Prob. ant. quia anima ratio-nalis æquivalet animæ ſenſitivę brutorum, & nutritivæ plantarum, verè de illa dici poteſt, quod ſecundùm unam æquivalentiam eſt realitèr ſenſitiva, & ſecundùm alte-ram non eſt realiter ſenſitiva: ergô conceſſa æquivalentia unius rei ad plura diſtincta realiter, poterit unum, & alterum affirmari, & negari de eadem entitate ſecundum diverſas æquivalentias.

Reſp. neg. utrumq. ant. (immó poteſt negari ſuppo-ſitũ ſecundi, non enim eſt in anima rationali alia, & alia æquivalentia, ſed una, & ea-dem) nàm ſi eadem res æqui-valet pluribus diſtinctis reali-

ter, modo quo ęqnivalet erit utrumque, sicut anima rationalis est eminenter formalitèr sensitiva, & etiam vegetativa, non tamen poterit unum realitèr, & secluſa connotatione intellectus, de re æquivalenti negari; eo quod æquivalentia ad unum, secluſa connotatione intellectus, & prout à parte rei, non est distincta ab æquivalentia ad alterum, nec unum realiter non est alterum, sed tàm inter se, quam cũ tertio, aut subiecto identificantur realitèr, & propterea nullum illorum potest realitèr de subiecto negari.

Sunt etiam, & alia multa circa præsentem difficultatem, quę si scribantur per singula, nec totum arbitror volumen capere posse; sed profectò maiori ex parte metaphisica, & Theologica sunt, & in ipsis difficilia maximè: undè de his Logico satis erit.

ARTICULUS IV.

Utrum inter prædicata supradicta detur præcisio obiectiva?

§. I.

Difficultas apperitur, & statuitur affirmativa Conclusio.

PRæcisio, quæ idem valet, ac distinctio, separatio, & abstractio, accipitur in præsenti pro actu intellectus, qui ex prædicatis realiter identificatis unũ attingit aliis prętermissis. Et quamvis Thomistæ unanimiter affirment inter gradus metaphisicos superiores, & inferiores dari præcisionem obiectivam, perfectam quidem excludentis, & exclusi, quatenus unum prędicatum nec exprimit alterum, nec ipsum implicite continet; in prędicti tamen non prędicisionem perfectam, & adęquatam, sed inadęquatam, & imperfectam intendimus, consistentem in eo, quod diversis conceptibus, & operationibus distinctis correspondeat uni ex parte obiecti aliquid, quod alteri non correspondet.

Ad cuius intelligentiam prędmittendum est, præcisionem duplicem esse: unam formalem, & alteram obiectivam. Præcisio formalis est actus intellectus attingens ex parte obiecti omnes formalitates in ipso repertas, non tamen eodem modo, sed aliàs clarè, aliàs verò in confuſſo, vel obscure, ita tamen

men, quod de nulla illarum verificetur non eſſe per talem actum attactam. Præciſsio obiectiva contingit, quando nedum actus intellectus diverſus eſt, verùm etiam ex parte objecti, & eiuſdē entitatis realiter indiviſibilis correſpondet una formalitas, & non altera, aut una vere cognoſcitur, & altera non vere per eundem actum attingitur.

Utraque autem eſt duplex, ut indicat D. Th. 1. p. q. 85. art. 1. ad 1. Compoſita, vìdelicet, & ſimplex. Compoſita eſt, quando intelligimus aliquid non eſſe in alio, vel eſſe ſeparatum ab eo, ut ſi dicamus: *pomum non eſt coloratum.* Simplex eſt, quando intelligimus unum nihil conſiderando de alio, *ut colorem pomi ſine pomo.* Prima non eſt pura abſtractio, ſed ſimùl enunciatio affirmativa, vel negativa: ſecunda verò eſt pure abſtractio, & præciſsio, quæ vocatur per modum ſimplicitatis quia eſt ſimplex, & nuda apprehenſio, nec affirmans, nec negans, quod ſit coniuncta cum alio. Et de iſta præciſsione, & abſtractione, verificatur illud proloquium: *quod abſtrahentium non eſt mendacium.* Nam licet abſtrahere per intellectum ea, quæ ſecundum rem non ſunt abſtracta, ſecundum primum modum abſtrahendi, non ſit abſque falſitate, tamen ſecundo modo abſtrahere per intellectum, quæ non ſunt abſtracta ſecundum rem, non habet falſitatem, ut in ſenſu apparet. Si enim dicamus colorem non ineſſe corpori colorato, vel ſic, ſeparatum ab eo, erit falſitas in opinione, vel in oratione: Sī verò conſideremus colorem, nihil conſiderantes de pomo colorato, vèl ſic, quod intelligimus, voce exprimamus, erit abſque falſitate opinionis, vel orationis. Pomum enim non eſt de ratione coloris. Et ideo nihil prohibet colorem intelligi, nihil intelligendo de pomo. Et ſimiliter, quę pertinent ad rationem ſpeciei abſque falſitate conſiderantur ſine principiis individuantibus: quia alius eſt modus intelligentis in intelligendo, quam modus rei in eſſendo. Quod etiam docet Ang. Prec. 1. p. q. 13. art. 12. ad 3. & q. 14. art. 6. ad 1. in quibus locis non ſolùm loquitur de præciſsione formali intellectus, ſed etiam de præciſsione obiectiva; quia ab eo quod res eſt, vel non eſt, cognitio, & locutio veritatem habet.

His prælibatis; circà

præſentem difficultatem duplex verſatur ſententia. Prima nominalium aſſerentium inter gradus metaphiſicos nullam dari veram præciſionem obiectivam, ſed tantum modo formalem ſe tenentem ex parte intellectus, quia licet idem realiter, & indiviſibile obiectum diverſis cognitionibus attingatur, non tamen illis ex parte obiecti aliqua correſpondet diſtinctio, ſed potiùs unicum, & idem indiviſibile objectum in ordine ad diverſa connotata, aut cum extrinſeca denominatione proveniente à diſtincta cognitione.

Nominales ſequuntur complures diſcipuli Societatis, qui Nominalium doctrinam iterum Scholis invexerunt; quibus noviſsimè adhęret P. Loſſada, deſſerens Primates ſuos, Suarez videlicet, & Vazquez, qui non approbant in hac parte à Thomiſtis ſeggregari.

Verum Thomiſtę omnes Ang. Præcept. Duce, nec non Scotiſtæ (etiam ubi diſtinctio Scotica non adeſt, ut ſupponit Maſtrius) præciſionem obiectivam inter gradus metaphiſicos conſtanter defendunt; cum quibus-

***
***

§. II.

Noſtra Concluſio.

Inter gradus metaphiſicos verè dantur præciſiones obiectivæ.

CONcluſionem iſtam eſſe mentem D. Th. nobis dubitare non licet, ipſe namque pluribus in locis expreſiſsime talem continet ſententiam, præcipue 1. cont. Gent. cap. 54. prope medium ubi aît: *Quod intellectus ea, quæ ſunt in eſſe coniuncta, interdum disjunctim accipere poteſt, quando unum eorum in alterius rationem non cadit, & propter hoc in ternario conſiderare poteſt binarium tantum & in animali rationali id, quod eſt ſenſibile tantum.* Quibus etiam conſonat 1. p. q. 40. art. 3. in corp. per hęc verba: *Duplex fit abſtractio per intellectum. Una quidem ſecundum quod univerſale abſtrahitur à particulari, ut animal ab homine. Alia verò ſecundum quod forma abſtrahitur à materia, ſicut forma circuli abſtrahitur per intellectum ab omni materia ſenſibili.* Inter has autem abſtractiones hęc eſt differentia, quod in abſtractione, quæ ſit ſecundum univerſale, & particulare,

rē, non remanet id, à quo fit abstractio. *Remota enim ab homine differentia rationali, non remanet in intellectu homo, sed solum animal.* Quę testimonia adeò favent sententiæ nostrę, ut ultrà ponderationem non egeant.

Probatur Conclusio nostra ratione: ea, quæ objectivè distinguuntur, possunt etiam obiectivè præscindere, cum distinctio idem valeat, ac præcisio; sed prædicata realitèr identificata obiectivè distinguuntur: ergò poterunt objective præscindere, consequenterque, quamvis prędicata metaphisica rei sint una, & eadem indivisibilis entitas, poterunt admittere pręcisionem objectivam. Prob. min. Prædicata specificantia potentias specificè distinctas, obiectivè distinguūtur, siquidē distinctio specifica potentiarū, provenità distinctione obiectorū; sed prędicata realiter idētificata specificant potentias specificè distinctas, ut constat in veritate, & bonitate, quæ realitèr identificantur in objecto, & prima specificat intellectum, secunda verò voluntatem: ergò prædicata realiter identificata, objectivè distinguuntur.

Urgetur: inter genus, & illius differentias debet necessariò concedi obiectiva præcisio, & non solùm, quę se teneat ex parte actus: ergò inter animal, & rationale eadem debet admitti, quandoquidem comparantur ut genus, & differentia. Prob. ant. Tùm ex D. Th. cap. 3. de ent. & essent. prope medium, ubi inquit: *quod genus non est in differentia sicut pars essentiæ eius, sed solum sicut ens extra quidditatem, sive essentiam:: Et ideò genus non prædicatur de differentia per se loquendo*, ut dicit Arist. in 3. de anim. Tùm etiam, quia si inter genus, & differentias non daretur obiectiva pręcisio, sed solùm ex parte actus, non resultaret ex illis compositio metaphisica; sed ex genere, & differentia fieri compositionem metaphisicam, & communiter Logici tenent, & sæpè sæpiùs docent Aristot. & D. Th. ergò inter genus, & differentias necessariò concedenda est obiectiva præcisio. Prob. mai. Compositio metaphisica non se tenet ex parte actus intellectus, qui distinguuntur realiter, sed ex parte ipsius objecti, in quo dantur prædicata superiora, & inferiora, quorum aliqua comparantur, ut potentia, & alia comparantur, ut actus: sed una cognitio non se habet, ut potentia, & altera,

ut actus : ergo ſi inter genus, & differentias non daretur obiectiva pręciſsio, ſed ſolùm ex parte actus, non reſultaret ex illis cōpoſitio metaphiſica.

Secundò probatur concluſio noſtra ex doctrina, quā Adverſarii cum P. Ludovico Loſſada autumant efficacem ad reiciendam præciſionem obiectivam, ut impoſsibilem. Ideó namque aſſerunt inter animal, & rationale v. g. non poſſe dari pręciſsionem objectivam, quia de his prædicatis verificarentur prædicata contradictoria, videlicet animal hominis cognoſci cognitione, *animal*, & rationale non cognoſci eadem cognitione, reſpondere, & non reſpondere ex parte objecti, quę contradictoria aſſerunt illi verificari non poſſe de eadem indiviſibili entitate; ſed in eorum doctrina de animali, & rationali prędicata contradictoria verificantur: ergò in eorum doctrina concedenda eſt objectiva præciſsio, aut fundamentum nullum eſt. Mai. eſt fundamentum. P. Loſſada cum ſodalibus ſuis. Min. verò probatur. In eorum doctrina animal præſcinditur formaliter à rationali, & non præſcinditur formaliter à ſe ipſo, idē que de rationali dicendum; animal per unam cognitionē cognoſcitur tota claritate, quā ſuaptè natura meretur, & rationale per eandem non cum claritate, ſed confuſsè tantū cognoſcitur. Animal ex vi unius cognitionis apparet intellectui, & rationale, nō apparet. Animal per unā cognitionē judicatur eſſe in homine à longè ſe movente, & diſcernitur ab inanimatis, & per eandem non judicatur eſſe rationale, nec diſcernitur à brutis; ſed hęc omnia, ut patet, contradictoria ſunt: ergò in eorum doctrina de animali, & rationali prędicata contradictoria verificantur.

Reſpondent Adverſarii: quod in eo ſenſu, in quo animal præſcinditur formalitèr à rationali, etiam pręſcinditur formaliter à ſe ipſo, & in eo ſenſu, in quo à ſe ipſo non pręſcinditur, nec etiam præſcinditur à rationali; nam per cognitionem, qua cognoſcitur animal, etiam attingitur rationale per ordinem ad ſenſationem, & per illam, qua cognoſcitur rationale per ordinem ad diſcurſum, etiam animal cognoſcitur per ordinem ad eundem actum: quia totus ordo ad diſcurſum eſt indiviſim ordo ad ſenſationem, ideòque totus cognoſcitur cognitione *animal*, quæ ſenſationem connotat, quamvis, quando cogno-

ſci-

citur animal in ordine ad ſenſationem reduplicativè, non cognoſcatur rationale per ordinem ad diſcurſum; vel è contrâ. Et eandem doctrinam applicant cæteris contradictoriis, quę in ratione noſtra adducuntur, quia per illum actum, quo animal in ordine ad ſenſationem cognoſcitur clarè, & evidenter, claritate, & evidentia illud diſcernente à rebus inanimatis, quæ propria eſt cognitionis *animal*, etiam clarè cognoſcitur rationale, & utrumque non cognoſcitur clarè, & evidenter, claritate & evidentia diſcernēte illud à brutis, quę propria eſt cognitionis *rationale*.

Hæc tamen ſolutio, quę P. Loſſada cum Aſſeclis ſuis aſylum eſt, efficacitèr impugnatur: quia animal in aliquo verò ſenſu præſcinditur formalitèr a rationali, aliàs intèr hæc prędicata non ſolùm non erit vera obiectiva præciſio, verùmetiam non erit vera pręciſio formalis, cumque animal in nullo verò ſenſu præſcindatur formalitèr à ſe ipſo, in aliquo verò ſenſu erit pręcisū formalitér à rationali, in quo à ſe ipſo formalitèr nō pręſcindit. Sed animal, & rationale ſunt una, & indiviſibilis entitas: ergò de eadem indiviſibili entitate verificatur præſcindere formaliter, & formalitèr non præſcindere, quę contradictoria ſunt.

Nec valet dicere, animal verè præſcindere formalitèr à rationali, quatenùs rationale non attingitur per ordinem ad diſcurſum, & in eodem ſenſu etiam formalitèr à ſe ipſo pręſcindere, quandoquidem ipſum animal per ordinem ad diſcurſum non cognoſcitur; nàm quando animal cognoſcitur in ordine ad ſenſationē, ità apparet animal per cognitionem prædictam, quod poteſt intellectus illud affirmare de homine; ſed per illā cognitionē non ità apparet rationale, quod poſsit intellectus illud veré affirmare de homine: ergò animal in aliquo vero ſenſu pręſcinditur formaliter à rationali, in quo non præſcinditur formalitèr à ſe ipſo, nam unū ab altero formalitèr præſcindere, eſt taliter apparere, quod poſsit intellectus unum, & non alterum affirmare. Prob. min. Per cognitionem prædictam non ità apparet rationale, quod intellectus poſsit affirmare de homine eſſe diſcurſivum, non enim apparet rationale per ordinem ad diſcurſum, ſed ſolùm apparet animal per ordinem ad ſenſationem: ergò non ità apparet rationale, quod intellectus illud poſsit affirmare de homine, nam rationale non poteſt affirmari de aliquo, de

quo

quo ſimul etiam non dicatur diſcurſivum, cum ſint unum, & indiviſibile prædicatum, ſolo nomine diſtinctum.

Impugnatur ſimiliter ſolutio, quam applicant Adverſarij cæteris contradictorijs in ratione noſtra adductis. Si enim poteſt dari aliqua expreſsio, vi cuius, videns hominem à longè ſe moventem, cum nondùm figura humana percipitur, poſsit dicere, *cognoſco illud obiectum eſſe animal, & non cognoſco eſſe rationale*: ergò quamvis animal, & rationale ſint eadem entitas, animal eſt obiectum affirmabile de homine à longè viſo vi alicuius expreſsionis, per quam etiam diſcernitur ab inanimatis clarè, & evidenter, & rationale non eſt objectum affirmabile vi eiuſdem expreſsionis, nec per illam clare, & evidenter diſcernitur, cum per illam non cognoſcatur, & qui inter aliqua diſcernit, utrumque cognoſcere debeat, ut inquit D. Th. 1.p. q.78. art.4. ad 2. ac proinde non obſtante identitate inter animal, & rationale, animal erit objectum attingibile vi alicuius cognitionis, vi cuius rationale non poſsit attingi. Quapropter Adverſariorum ſententia paſsim etiam offendit ad lapidem contradictionis. Ipſi enim cedunt præciſionem formalem inter omnia obiecta realiter impartibilia, ſive ubicumque datur realis identitas. Ex quo ſtatim argumentum noſtrum: ergò animal præſcinditur formaliter à rationali, & non præſcinditur formaliter à ſe ipſo; ſed animal, & rationale ſunt idem: ergò idem præſcinditur, & non præſcinditur formaliter à ſe ipſo, quod quidem manifeſtam involvit contradictionem.

Tertio probatur concluſio: poteſt animal cognoſci, nullo modo cognita ipſa rationalitate: ergo animal, & rationale obiectivè præſcindunt. Prob. ant. Poteſt eadem entitas operari in quantum animal, quin operetur in quantum rationalis eſt, ſicut homo impos mentis operatur per ſenſum, & non per potentiam intellectivam: ergò poterit eadem entitas animalis rationalis cognoſci ſecundùm quod animal, nullo modo cognita ipſa rationalitate. Patet conſeq. quia primum difficilius eſt, quàm ſecundum.

Reſpondent Adverſarij, pro ſe allegantes Ang. Præceptorem, quod dùm cognoſcitur entitas hominis ſecundùm quod animal, tota entitas cognoſcitur, etiam ipſa rationalitas, non tamen to-

ta-

taliter, & per ordinem ad omnia connotata, ſed etiam per ordinem ad ſenſationem. Et rationem reddit P. Loſſada: quia cum homo ſit cognoſcibilis tota claritate, quæ reſpondet his vocibus ſimul ſumptis, *animal rationale riſibile &c.* dùm cognoſcitur ſola claritate reſpondente voci *animal*, cognoſcitur quidem totus, ſed non totaliter, quia non cognoſcitur tota claritate, quam ſuapte natura meretur.

Sed contrà: ſi hęc ſolutio vera eſt, dum cognoſcitur entitas hominis ſecundùm quod animal, non attingitur homo ſub expreſsione, & munere rationalis, eo quod rationale, ut tale reduplicativè, ſolùm explicatur per ordinem ad diſcurſum, ut ipſe P. Loſſada fatetur: ergo entitas hominis pro expreſſo à rationalitate pręſcindit ex parte obiecti, & conſequentèr ex parte obiecti datur vera præciſio penès implicitũ, & explicitũ ſaltem, cuius oppoſitum, eſt adverſariorum intentum.

Reſpondent iterum Adverſarij, expreſsiones animalis, & rationalis, non ſe tenere ex parte obiecti, ſed ſolum ex parte intellectus, quia hominem, ut animal, & ſub expreſsione iſta, eſſe principium ſentiendi, facit hunc ſenſum: *homo per cognitionem, animal apparet intellectui principium ſentiendi, & per cognitionem rationale apparet principium diſcurrendi*, quod idem eſt ac dicere, hominem per unam cognitionem exprimi totum, ut principium ſentiendi, & per alteram exprimi totum hominem, ut principium diſcurrendi, quod nihil aliud eſt, quam expreſsiones eſſe diſtinctas ex parte intellectus diverſo modo concipientis unum, & idẽ obiectũ.

Contrà tamen eſt, quia dùm homo cognoſcitur ſub expreſsione animalis, correſpondet illi diverſa diffinitio obiectiva, quæ rationali non correſpondet ſub expreſsione propria: ergò prædictæ expreſsiones ſe tenent ex parte obiecti. Prob. ant. ſub expreſſione illa diffinitur animal eſſe principium ſentiendi; ſed illa prædicta diffinitio verè competit animali, & in ipſo eſt obiectivè, quæ tamen rationali non convenit: ergò ant. verum eſt. Prob. min. quantum ad ſecundam partem. Prædicta diffinitio, ſicut & ipſum animal, eſt communis omni animali obiectivè, quod negari non poteſt; ſed rationale obiectivè non eſt prædicatum commune, nec ipſius diffinitio obiectivè communis eſt: ergò ſupradicta diffinitio

non

non convenit obiectivè rationali.

§. III.

Argumentis contrariorum occurritur.

CONtrà concluſionem noſtram arguitur primò: idem non poteſt per rationem ratiocinatam à ſe ipſo diſtingui, ſed ſolum ratione ratiocinante, & quatenùs bis nominatur, ut cum dicitur, gladius, & enſis; ſed animal, & rationale ſunt idem realitèr: ergò non poſſunt ratione ratiocinata, & obiectivè diſtingui. Prob. mai. primò nam qui attingit indiviſibile, aut totum, aut nihil attingit; ſed prędicata realiter identificata ſunt indiviſibilis entitas: ergò non poſſunt ratione ratiocinata, & obiectivè diſtingui, ſed ſolùm ratione ratiocinante.

Secundò probat. mai. Diſtinctio inter prędicata realitèr identificata reperta, non poteſt eſſe in obiecto, ut à cognitione diſtincto; ergo talia prędicata non poſſunt ratione ratiocinata, & obiectivè diſtingui. Prob. ant. ante quam prędicata realiter identificata actualitèr cognoſcantur, non habet unum ex illis, per quod ſit aliud actualiter ab altero: ergò diſtinctio inter illa non poteſt eſſe in obiecto ut à cognitione diſtincto.

Reſp. ad argumentum, neg. mai. & ad primam probationem diſt. mai. qui attingit indiviſibile tam *realiter, quam per rationem*, conc. mai. indiviſibile *realiter tantum*, neg. mai. & diſt. min. indiviſibilis entitas *realiter*, conc. min. *per rationem*, neg. min. & conſeq. Ea namque, quæ ſunt idem realiter, & realiter indiviſibilia, poſſunt præbere fundamentum, ut per rationem actualiter diſtinguãtur; unde licet indiviſibile, quod eſt etiam indiviſibile per rationem, aut totum, aut nihil attingatur, indiviſibile tamen realiter poſſe eſſe diviſibile per rationẽ in formalitates diverſas, quarum quælibet ſit unum obiectum, & ſola poſsit attingi, & ideò tale indiviſibile etiam poteſt per rationem ſecundùm unam formalitatem, & non ſecundùm aliam terminare cognitionem. Nàm ſicut continuũ eſt indiviſum in actu, & tamen in potentia eſt diviſibile, & ratio hominis eſt indiviſibilis ſecundùm ſpeciem in Petro, & Paulo, & tamen numero diviſibilis eſt, ut inquit D. Th. 1. p. q. 85. art. 8. & 10. metaph. lect. 4. ità eadem entitas realitèr indiviſibilis, poteſt diſtingui diſtinctione rationis, non quę ſequatur ad entitatem realem ſub-

ſubiectivè, & in eſſe rei, ſed in eſſe obiecti, quatenus una, & eadem entitas realis in adęquatè attingitur ſecundùm unam formalitatem, ut à ſe ipſa ſecundùm alteram formalitatem præſcindit.

Ad ſecundam probationem reſp. neg. ant. & ad probationem, diſt. conſeq. non poteſt eſſe in obiecto *ante opus intellectus*, conc. conſeq. *per intellectus operationem*, neg. conſeq. ex quo ſolùm ſequitur, quod in obiecto non ſit diſtinctio realis, quæ quidem prȩvenit omnem cognitionem intellectus, non tamen, quod in ipſo, ut diſtincto à cognitione non ſit actualis diſtinctio rationis, licet habita per actionem intellectus, ad quam tamen eminentia rei, quæ unica exiſtens, plures rationes, ſeu perfectiones continet in ſuo eſſe, præbet fundamentum in re, quod, & non aliud ad diſtinctionem rationis ratiocinatæ requiritur.

Inſtabis: illa diſtinctio actualis, iuxtà conceſſa, provenit ab intellectu; ſed diſtinctio, quę ab intellectu provenit, non ſe tenet ex parte obiecti, ſed ex parte cognitionis: ergò ratione diſtinctionis prędictæ non habetur obiectiva præciſio, ſed ſola præciſio formalis. Prob. min. Diſtinctio, quæ ab intellectu provenit, non identificatur cum obiecto, nec attingitur per actum, ſed eadem realiter eſt cum actu intellectus diſtinguentis; ſed diſtinctio, quæ ſe tenet ex parte obiecti, identificatur cum illo formaliter in eſſe obiecti, ſiquidem illud in eſſe obiecti conſtituit: ergò diſtinctio, quæ ab intellectu provenit, non ſe tenet ex parte obiecti, ſed ex parte cognitionis.

Reſpond. diſling. mai. provenit ab intellectu *effective*, conc. mai. *formaliter*, neg. mai. & diſling. min. quæ ab intellectu provenit *formaliter*, conc. min.

ef-

effectivè, neg. min. & conſeq. Diſtinctio namquè, quę provenit ab intellectu formaliter, non eſt diſtincta a cognitione intellectus, quia effectus formalis formæ, non eſt diſtinctus à forma, & ideò talis diſtinctio non poteſt ſe tenere ex parte obiecti, eo quod obiectum in eſſe obiecti, non poteſt nec unum, nec diſtinctum conſtitui per actionem intellectus, quæ proprium obiectum debet ſupponere conſtitutum per formam à cognitione diſtinctam, nè cognitio formaliter ſit obiectum ſui ipſius. Quapropter diſtinctio illa, de qua in præſenti ſermo eſt, & ſe tenet ex parte obiecti, non provenit tanquam à forma ab ipſa actione intellectus, ſed ſolum provenit ab ea tanquam à cauſa efficiente, quatenus ex duobus prædicatis realiter identificatis, attingit unum, & alterum non attingit, ad quam cognitionem reſultat in ipſo obiecto unitas rationis intrinſeca efficienter ab intellectu producta, per quam obiectum attactum conſtituitur unum, & idem diverſum actualiter ab alio prædicato, quod non attingitur per cognitionem prædictam: undè cognitio illa dicitur cognitio practica, eo quod formam, & diſtinctionem actualem rationis inter obiecta realiter identificata producit.

Dices: poteſt animal cognoſci ſeorſim à rationali, quin conſequatur in ipſo unitas prædicta rationis: ergò unitas, & diſtinctio, quę in ipſo eſt, dum non concipitur rationale, nihil aliud eſt quam ipſa operatio intellectus diſtinguentis, ac proinde diſtinctio ſolúm ſe habebit ex parte intellectus, non tamen ex parte objecti. Prob. ant. Maiorem connexionem habet ens reale cum unitate reali, quam animal cum unitate rationis, ſed ens reale poteſt concipi ſine unitate reali, ut quando concipitur natura multiplicata realitèr, una tantum per rationem: ergò poterit etiam animal cognoſci ſeorſim à rationali, quin conſequatur in ipſo unitas rationis.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. mai. *maiorem in eſſe rei*, conc. mai. *in eſſe obiecti*, neg. mai. & conceſſ. min. neg. conſeq. Quia ut ens reale ſit obiectum cognitionis, ſufficit, quod apprehendatur ut unum in eſſe obiecti, ad quod ſatis eſt attingi ut unum ſola unitate rationis, ſicut quando ex duobus realiter identificatis, aut coniunctis, unum, & non aliud attingitur & ideo poteſt ens reale attingi ſine uni-

unitate reali, & ut unum per rationem, ſicut natura humana Petri attingitur ſine unitate reali, quam habet in Petro, quando attingitur præciſivè, & ut una in ordine ad individua, in quibus inveniri poteſt: Quando verò prædicatum animalis attingitur præciſivé, obiectum cognitionis prædictæ eſt ſolum animal, ut ab omni alio diſtinctum, etiam à rationali ſecum identificato, & ideò ad talem cognitionem non poteſt non conſequi unitas animalis diſtincta ab unitate rationalis, quæ propterea eſt unitas rationis, quia non invenitur in re, eo quod in re eadem eſt unitas utriuſque. Undè licet in eſſe rei majorem connexionem habeat ens reale cum unitate reali, quam cum unitate rationis, ſiquidem in re poteſt eſſe ſine iſta, non verò ſine illa, tamen in eſſe obiecti poteſt prædicatum reale animalis præciſive cognitum carere prima, quin poſsit carere ſecunda: ideóque in eſſe objecti maiorem connexionem habet tale prædicatum cum uuitate rationis.

Secundó arguitur: eo animal objectivè à rationali præſcinderet, quia poteſt intellectus ipſum cognoſcere, quin cognoſcat rationale; ſed hæc ratio nulla eſt: ergò non poteſt animal a rationali obiectivè præſcindere. Prob. min. primó. Poteſt intellectus attingere Angelum materialem, quin cognoſcat an ſit verùm ens, vel chymera, & tamen non poteſt intellectus præſcindere Angelum materialem à chymera, vel ente: ergò quamvis intellectus noſter poſsit cognoſcere animal, non cognito rationali, non inde infertur objectiva præciſio.

Secundò prob. min. Poteſt intellectus cognoſcere eſſentiam, non cognoſcendo illam ſecundum rationem naturę, & diffinitum, quin cognoſcat diffinitionem, & ſubtantiam, quin attingat rationem entis; & tamen inter omnia hęc prędicata non pręſcindit objectivè: ergò idem quod prius.

Reſp. ad argumentum, neg. min. & ad prob. diſt. min. præſcindere *pro implicito*, conc. min. *pro explicito*, neg. min. & conſeq. Nam dum intellectus concipit Angelum materialem, pro implicito nequit præſcindere à chymera, vel ente; quia vel talis Angelus eſt poſsibilis, & ita non præſcindit ab ente poſsibili, cum ens ſit de eſſentia metaphiſica illius, vel talis Angelus eſt impoſsibilis,

& ſic pro implicito non præſcindit a chymera, quæ prout ſic etiam eſt de eſſentia metaphiſica illius: verùm pro expreſſo, & imperfectè ab uno, & altero præſcindit ex parte obiecti, quod idem dicendum de animali reſpectu rationalis, undè inter talia prędicata datur præciſsio objectiva, quamvis imperfecta ſit.

Ad ſecundam prob. min. reſp. diſt. min. non præſcindit objective *præciſsione perfecta excludentis, & excluſi*, conc. min. *præciſsione imperfecta penès implicitum, & explicitum*, neg. min. Licet namque inter eſſentiam, & naturam, diffinitum, & eius diffinitionem, ſubſtantiam, & ens, intellectus non præſcindat obiective præciſsione perfecta excludentis, & excluſi, bene tamèn præſcindit præciſsione obiectiva imperfecta penes implicitum, videlicet, & explicitum, quatenus unum prædicatum non exprimit alterum in eſſe obiecti, licet ipſum implicite claudat; & ad hanc præciſsionem imperfectam datur in re fundamentum.

Ubi obiter obſervandum eſt, inter animal, & rationale non ſolùm dari verā præciſsionē obiectivā imperfectā penes implicitum, & explicitū, ſed etiam præciſsionē perfectā excludentis, & excluſi; ſi tamē rationē inquiras de differentia præciſsionis, ea eſt, quod animal ſecundum proprium conceptum abſolutè negatur de rationali, & rationale in eſſe obiecti negatur de animali, nam ſic accepta hęc prædicata appellant conceptum proprium, qui eſſentialiter diſtinctus eſt adæquatè in doctrina D. Th. Ens verò poſsibile, intelligibile, & immateriale, ſunt prædicata tranſcendentia, quę non poſſunt abſolutè negari de rebus, etiam, ſecundum proprium conceptum, & acceptis præciſsivè, nam de ſubſtantia ſecundum proprium conceptum negari non poteſt quod ſit ens, intelligibilis, & vera, quamvis tales formalitates non explicet, & idem de diffinito, & diffinitione dicendum: propterea inter talia prædicata ſolum datur præciſsio objectiva imperfecta, non verò perfecta excludentis, & excluſi quam nos etiam inter animal, & rationale ſtatuimus, & ſi ad veritatem concluſionis ſalvandam neceſſaria non ſit: quia Adverſarij etiam præciſsionem obiectivam imperfectam concedere nolunt.

Tertiò arguitur: Dum intellectus cognoſcit animal

non

non poteſt objectivè non cognoſcerè verè, & realiter rationale: ergo non poteſt inter utrumque objectivè præſcindere. Prob. ant. Si intellectus attingeret animal, & non attingeret verè, & realitèr rationale, identificaretur realiter animal cum duobus extremis realitèr diſtinctis, ſed talis identitas citrà ineffabile myſterium Trinitatis implicatoria eſt: ergò dum cognoſcit animal, non poteſt objectivè non cognoſcere verè, & realiter rationale. Probat. mai. Animal eſſet realiter cognitum, & identificaretur realiter cum cognito, & cum ipſo rationali; ſed rationale realitèr diſtingueretur à cognito, ſiquidem rationale non eſſet realiter cognitum: ergò animal identificaretur realiter cum duobus extremis realiter diſtinctis, videlicèt cum cognito, & cum ipſo rationali.

Reſp. neg. ant. & ad prob. neg. mai. ad cujus probationem diſt. min. rationale non eſſet realiter cognitum, *denominativè, ſeu adjectivè*, conc. min. *entitavè, & ſubſtantivè*, neg. min. & conſeq. Quando namque eadem entitas ſecundum unã formalitatem, & non ſecundum aliam cognoſcitur, ſolùm ea formalitas, quę attingitur, denominatur cognita realiter, non verò alia formalitas, quæ non tangitur, & propterea ea realiter non eſt alia quantum ad denominationem, entitativè tamen & ſubſtantivè, ſemper eſt idem cum alia. Et ratio deſumitur ex diſcrimine inter nomina ſubſtantiva, & adiectiva: quia ſubſtantiva afferunt ſecum ſuppoſitum, ſeu ſubjectum cum forma, adjectiva verò afferunt ſuppoſitum, ſed applicant immediatè ſuum ſignificatum formale ſubſtantivo. Hinc ſenſus huius propoſitionis: *rationale non eſt realitèr cognitum*, ſi ly *cognitum* ſumatur ſubſtantivè, eſt hic; rationale non eſt res, quę realiter cognoſcitur, & hæc eſt falſa. Si verò ly *cognstum* adjective ſumatur, illa propoſitio facit hunc ſenſum: Rationale formaliter non eſt immediate in ſe ipſo cognitum realiter, & hęc eſt vera, nam cum ſolum animal cognoſcatur, non cadit ſupra rationale immediate denominatio cogniti deſumpta à cognitione reali, ſed ſupra animal, ut obiectivè diſtinctum à rationali. Sicut in divinis hęc eſt falſa: *eſſentia eſt realiter generans*, ſi ly *generans* ſumatur adiectivè, & eſt vera, ſi ſubſtantivè ſumatur,

nam licet eſſentia nō generet, eſt tamen res, quæ generat, utpotè identificata cum Patre generante, quod totum docet D. Th. 1.p. q.39. art. 5. ad 5. & 1. diſt. 5. q. 1. art. 1. ad 4. Undè, ex quo rationale non ſit realiter animal ut cognitum, vel ut terminat cognitionem, non infertur non eſſe realiter entitative idem cum ipſo animali, ſed ſolum quantum ad denominationem, aut quantum ad entitatem formalitèr ut connorantem, & terminantem cognitionem intellectus.

Dices: benè valet, quod terminat cognitionem eſt prædicatum animalis; ſed rationale eſt idem cum prędicato animalis: ergó rationale terminat cognitionem, conſequenterque aut rationale non eſt idem entitativè cum prædicato animalis, aut eſt idem cum cognito, & cum animali ut terminante cognitionem intellectus.

Reſp. neg. conſeq. Peccat enim ſyllogiſmus fallacia accidentis, eo quod procedit ab identica ad formalem, nàm ex quo rationale ſit idem entitativè cum animali, infert etiã eſſe idem formalitèr, & in terminando cognitionem intellectus, quod quidem perperam infertur, nam licet animal, & rationale ſint una res, ſunt tamen duo obiecta, quorum illud cognoſcitur, quia iſtud cognoſcatur. Sicut etiam propter ſimilem defectum non valet ſyllogiſmus, qui ſequitur: hęc entitas producitur à Deo, hęc entitas eſt malitia: ergó malitia producitur à Deo, quia nimirum variatur appellatio, nam in minori fit ſenſus identicus, in conſequẽti verò ſenſus formalis, & ab identica ad formalem mala conſequentia eſt.

Quartò arguitur: ſi animal, & rationale præſcinderent obiectivè, de eadem entitate verificarentur prædicata contradictoria; ſed de eadem entitate verificari non poſſunt prædicata contradictoria, alias de eadem entitate verè affirmaretur, & negaretur verè idem formalitèr prædicatum: ergò præciſio obiectiva inter animal, & rationale admittenda non eſt. Prob. mai. Si inter animal, & rationale daretur obiectiva pręciſio, cognoſceretur animal, & non cognoſceretur rationale, quorum entitas eadem eſt; ſed cognoſci, & non cognoſci ſunt prædicata contradictoria: ergò prędicata contradictoria verificarentur de eadem entitate.

Hoc eſt potiſsimum argumentum, quod dicunt recentiores cum P. Oviedo ſuum con-

convincere animum, & ipsos invitos cogere ad negandas præcisiones obiectivas in formalitatibus crearis realitèr identificatis. Sed in primis argumentum hoc in ipsos Adversarios retorquetur, quia sicut cognosci, & non cognosci sunt prædicata contradictoria, ità etiam contradictoria sunt cognosci clarè, & non cognosci clarè, apparere, & non apparere, & omnia alia, quæ enumerata sunt in secunda ratione, qua conclusionem probavimus; & tamen ea omnia prædicata in eorum doctrina verificantur de eadē realiter entitate: ergò, quod ipsi responderint, proportionaliter nos respondebimus.

Deindé resp. dist. mai. de eadem entitate, *quæ sit eadem re, & distincta per rationem*, conc. mai. *eadem re, & ratione*, neg. mai. & dist. min. *de eadem re, & ratione*, conc. min. *de eadem re, ratione tamen diversa*, neg. min. & cōseq. Quia quamvis animal, & rationale, sint eadem realitèr entitas, sunt tamen formalitates distinctę fundamentalitèr à parte rei, & actualitèr per intellectum cognoscentē præcisivè, & inadæquatè unā, & eandem entitatem, secundùm unam formalitatem, & non secundum aliam, quod satis est, ut de illis absque ulla contradictione contradictoria verificari possint; quando namque cognitio præcisiva est, & inadæquata, non est contradictoria videre, & cognoscere secundum unam rationem, & non secundum aliam, quandoque enim certi sumus de una formalitate, & dubij de alijs: & in ipsis sensibus externis, videmus ens; & dubitamus, an sit vivens, an animal, an homo? Et cognito, quod sit homo, inquirimus an sit Petrus? Sicut ergò præcisio hæc est in sensibus absque contradictione, multò maior poterit esse in intellectu; quandoque quidem sola formalis, quia fundamentum sumitur solùm ex modo cognoscendi imperfecto: quandoque verò etiam obiectiva, propter fundamentum, & correspondentiam illius ad obiectum.

Instabis eum Adversarijs: distinctio rationis non sufficit, ut de eadem entitate animalis, & rationalis verificentur prędicata contradictoria: ergò nulla est solutio. Prob. ant. primò. Distinctio prędicta satis non est, ut verificetur eandem entitatem existere, & non existere, produci, & non produci: ergò non sufficit, ut alia contradictoria verificentur de eadem entitate.

Secundò prob. ant. Si

prędicata contradictoria verificari poſſent de eadem entitate ſola diſtinctione rationis, poſſet aliquod prędicatum affirmari de ſubiecto, & non dici de omni identificato cum illo, & negari de ſubiecto, & non negari de omni cum illo identificato; ſed hoc eſt artem ſyllogiſticam evertere innixam illis principijs, *dici de omni, &c quæ ſunt eadem uni tertio &c.* ergò diſtinctio rationis non ſufficit, ut de eadē entitate animalis, & rationalis verificentur prædicata contradictoria.

Reſp. ad replicam neg. ant. & ad prob. neg. conſeq. Quia produci, & non produci, exiſtere, & non exiſtere, non conveniunt rebus ſecundùm formalitates, in quibus invenitur diſtinctio, ſed appellant entitatem materialitèr acceptam, & quod producere rem, & illi communicare exiſtentiam, per quam conſtituatur extrà omnes ſuas cauſas; & ſi ſemèl unum prædicatum, realitèr identificatum cum alio, conſtituitur extrà cauſas, etiam alterum extrà cauſas conſtituitur, cum exiſtentia totam entitatem afficiat, & in illa recipiatur: ideoque non poteſt de eadem entitate verificari produci, & non produci, exiſtere, & non exiſtere. Alia verò contradictoria, quæ ſuprà memoravimus, non appellant entitatem materialitèr acceptam, ſed ſolùm ſecundum formalitates diverſas, aut terminationes diſtinctas, in quibus habetur diſtinctio, & ità diſpar eſt ratio.

Præterquamquod inſtantia hæc etiam à contrarijs ſolvenda eſt. Nam ipſi concedunt Deum amare entitatem peccati; & non amare malitiam, potentiam viſivam attingere colorem, & non bonitatem illius, animal eſſe ſimile equo, & non rationale, & tamen concedere nolunt eandem entitatem exiſtere, & non exiſtere: ergó diſparitatem inter contradictoria prædicta aſsignare tenentur. Similiter de produci, & non produci tenentur etiam aſsignare diſcrimen: nam ipſi affirmant viſionem beatam non produci ab intellectu creato, quatenus viſio ſupernaturalis eſt, produci tamen ab illo, quatenus eſt vitalis. Et tandem Deus producit entitatem peccati, & non producit malitiam, quæ ab entitate prout in re, & materialiter diſtincta non eſt.

Ad ſecundam probationem ant. reſp. diſt. mai. de ſubiecto, *ut diſtincta per rationem*, conc. mai. *ut à parte rei, & adæquatè accepto*, neg. mai.

mai. min. & conſeq. Nam quidquid dicitur de ſubiecto, prout à parte rei, & quatenùs eſt unum, & idem, debet affirmari de omni identificato cum illo, & hoc tantum aſſerit principium *dici de omni*: & proportionabilitèr intelligendum eſt *principium dici de nullo*. Poteſt tamen aliquid affirmari de ſubiecto, ut per rationem diſtincto, & negari de alio identificato cum ipſo, & hoc eſt, quod in præſenti contingit, nam cognoſci affirmatur de animali, ut à rationali diverſo fundamentalitèr à parte rei, & actualitèr per intellectum exercitè diſtinguentem, & ideó poteſt de rationali negari. Quam ſolutionem deducimus ex D. Th. in 1. diſt. 34. q. 1. art. 1. ad 2. ubi aît: *quod de eodem, ſecundum quod idem eſt, impoſsibile eſt aliquid idem affirmare, & negare; ſed ſi in aliquo diſtinguantur, affirmationes, & negationes pertinentes ad illam diſtinctionem, de ipſo verificari poterunt, quia omnis diſtinctio ſive rei, ſive rationis, fundatur in affirmatione, ſicut patet etiam in ſynonimis. Tunica enim, & veſtis eandem rem ſignificat, tamen nomina ſunt diverſa, & ſimiliter indumentum: undè affirmationes, & negationes, quæ pertinent ad rem, non poſſunt verificari, ut dicatur tunica eſt alba, indumentum non eſt album, ſed affirmationes, & negationes, quæ pertinent ad ipſa nomina, poſſunt verificari, ut dicatur indumentum eſt neutri generis, veſtis non eſt neutri generis.* Ex quibus verbis manifeſtè colligitur, quod ſola diſtinctio rationis ſufficit tollere contradictionem affirmationum, & negationum, pertinentium ad talem diſtinctionem, & quæ fundantur in re prout ſic.

Dices: ergó poteſt fieri ſyllogiſmus rectè conſtructus in *Barbara*, cuius conſeq. bona non ſit. Prob. conſeq. in ſequenti ſyllogiſmo: *omne animal cognoſcitur cognitione A; omne rationale eſt animal: ergo omne rationale cognoſcitur cognitione A.* En (inquit P. Loſſada) ſyllogiſmum in Barbara conſtructum, cuius utràque præmiſſa eſt vera, & conſeq. negatur à Thomiſtis: ergò.

Sed en tibi alium ſimilem ſyllogiſmum in Barbara: *Omne animal immediatè, & formaliter eſt ſimile equo; omne rationale eſt animal: ergò omne rationale immediatè, & formaliter eſt ſimile equo*, cuius utraque præmiſſa eſt vera, & tamen conſeq. à P. Loſſada negatur: ipſe ergò ad utrumque ſyllogiſmum reſpondere debet,

Pro omnibus ergo reſp. utrumque ſyllogiſmum peccare fallacia accidentis, quia procedit ab identica ad formalem, eo quod ex identitate materiali inter animal, & rationale infert identitatem rationis, vel utrumque prædicatum eſſe idem in eſſe obiecti, & interminando cognitionem intellectus, quod totum docuit D. Th. q. 8. de Potent. art. 2. ubi in ſimili idem ſibi argumentum obijcit, adducens illam regulam: *quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur de ſubiecto*; & reſpondet: *ad 6. dicendum, quod ratio illa tenet in prædicabilibus per ſe, per ſe autem prædicatur aliquid de aliquo, quod prædicatur de eo ſecundum propriam rationem. Quod verò non ſecundum propriam rationem prædicatur, ſed propter rei identitatem, non etiam prædicatur per ſe.* Et in reſponſ. ad 7. ait: *quod ſicut Philoſophus dicit 3. phiſic. non oportet, quod omnia eadem prædicentur de quolibet modo eiſdem, ſed ſolum de eiſdem ſecundum rationem.* Ex quibus verbis infert Ang. Præcept. prædictum proceſſum incidere in fallaciã accidentis: cumque P. Loſſada eadem via procedat, etiam argumentatio eius contrà obiecta fallacia accidentis peccabit. Quæ omnia ideò adduximus, ut videas in quantis deficiat argumentum, quod adeò magnificatur, & tàm ſæpè à D. Th. cum diſcipulis eius fuit ſolutum, maximè cum fit ſermo de Perſonis, & Eſſentia divina.

§. IV.

Corollaria ex dictis.

EX dictis conſtat in doctrina contrariorum, non poſſe artem ſyllogiſticam ſubſiſtere, ſiquidem iuxta illam nunquam arguitur ab identica ad formalem, & conſequenter plurimi ſyllogiſmi, qui ſine dubio ſunt defectuoſi apud omnes, eſſent bonę conſequentię, cùm aliundè regulæ artis ſyllogiſticæ non ſervantur in illis, ut diſcurrenti per fallacias in Dialectica aſsignatas facilè conſtabit.

ARTIC. V.

Utrum à parte rei detur natura univerſalis formaliter?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis, ſtatuitur negativa concluſio.

AD intelligentiam articuli primò ſupponendum eſt,

est, universale posse dupliciter accipi, fundamentaliter videlicet, & formaliter. Universale fundamentaliter adhuc potest accipi dupliciter, remote scilicet, & proximè. Universale fundamentaliter remotè est natura, quę denominatur universalis, sicut natura humana, in qua Petrus, & Paulus conveniunt à parte rei; & quidem si sermo sit de universali sic accepto, iam dictum est art. 1. huius quæstionis reperiri à parte rei. Universale fundamentaliter proximè, est natura abstracta ab inferioribus, una, & communis pluribus, quæ quodammodò dicitur universale formaliter; quia licet sit fundamentum secundæ intentionis rationis, in qua universale Logicum formalissimè consistit, (ut quęstione sequenti dicemus) respectu tamen universalis fundamentaliter remotè, dicitur universale formaliter: & de hoc tantum inquirimus in præsenti.

Secundò notandum est, naturam aliquam posse dici unam in multis, aut pluribus communem positivè, vel negativè: positivè quidem, quando natura, una in se manens, in pluribus reperitur, & illis communis est; negativè vero, quando natura non est appropriata alicui singulari in re, & quatenùs illi non repugnat pluribus communicari, quod habet natura humana, & quæcumque alia natura, cum per intellectum abstrahitur ab individuis, & consideratur ut una, potest existere in pluribus, & de illis prædicari.

Tertiò præmittendum est, naturam considerari posse in triplici statu, ut docet D. Th. cap. 4. de ente, & essentia, videlicet *secundum se*, *in singularibus*, *& etiam in intellectu*. Naturæ *secundum se*, conveniunt prædicata quidditativa positiva, quæ sunt de illius essentia, & etiam prædicata negativa, quæ in essentia fundantur, sicut homini secundùm se competit esse animal rationale, & non esse irrationale, & huiusmodi prædicata in quocumque statu debent convenire naturæ. Et huiusmodi status solet vocari status indifferentię, siquidem natura, secundùm se indifferens est ad prædicata accidentalia: appellatur etiam status solitudinis, quia natura est sola ab omni prędicato extrinseco. Eidem etiam *in singularibus* competunt prædicata accidentalia realia, ut homini esse doctum, esse virtuosum, album, vel nigrum. Naturæ verò *in intellectu* conveniunt prædicata ficta, quæ

illi attribuuntur per actionem intellectus, qualiter homini competit esse speciem, animali esse genus, & vocibus competit esse subiectum, vel prędicatum. Et hic status etiam dici potest status solitudinis, non quidem pro solitudine ab omni prædicato extrinseco, sed solum pro solitudine, & præcisione ab individuis.

His ergò prælibatis, inquirimus in præsenti, utrum detur à parte rei natura aliqua pluribus posſitivè, aut negativé communis, ità ut una manens reperiatur in pluribus, aut sit apta posſitivè ad essendum in illis.

In qua parte duplex versatur sententia: prima affirmat à parte rei inveniri prædictam naturam unam in pluribus, posſitivè, & negativè communem. Illam defendit Scotus cum discipulis suis in 2. distinct. 3. q. 1. ubi inquirens, *an materialis substantia ex se, sive ex natura sua, sit individua, vel singularis, resolvit in §.* sed contra, §. ad quęstionem, & §. ad confirmationem, *quod non oportet quærere causam, quare natura sit communis, quia natura ipsa sit causa sufficiens suæ communitatis, & ideo sicut extrà animam invenitur natura una formaliter, ita invenitur, natura communis pluribus.*

Secunda sententia asserit non dari à parte rei prædictam naturam operatione intellectus secluſa, sed solùm per intellectum abstrahentem naturam a singularibus, in quibus multiplicata invenitur. Ita Ang. Præc. quem Thomistæ omnes nisibus totis sequuntur, cum quibus hæc erit.

§. II.

Noſtra concluſio.

Non datur à parte rei natura aliqua pluribus posſitivè, aut negativè communis.

CConcluſionem istam plurima suadent Ang. Præc. testimonia, quibus eam apertissimè tradit, pręcipue cap. 4. de ente, & essentia, ubi sic ait: *Si quæratur, utrum natura absolutè considerata sit una, vel plures, neutrum concedendum est: quia utrumque est extrà intellectum humanitatis, & utrumque potest sibi accidere. Si enim pluralitas esset de ratione eius, nunquam posset esse una; cum tamen una sit secundum quod est in Socrate. Similiter si unitas esset de intellectu, & ratione eius, tunc esset una, & eadem natura Socratis, & Platonis, nec posset in pluribus pluriſicari.* Et paulò infrà: *non potest dici, quod ratio universa-*

salis conveniat naturæ sic acceptæ, quia de ratione universalis est unitas, & communitas, naturæ autem humanæ neutrum eorum convenit secundum suam absolutam considerationem. Si enim communitas esset de intellectu hominis, tunc in quocumque inveniretur humanitas, inveniretur communitas; & hoc falsum est, quia in Socrate non invenitur communitas aliqua, sed quidquid est in eo, individuatum est. Similiter etiam non potest dici, quod ratio speciei conveniat naturæ humanæ secundum illud esse, quod habet in individuis, quia non invenitur in individui natura humana secundum unitatem, ut sit unum quid conveniens cuilibet, quod ratio universalis exigit. Relinquitur ergò, quod ratio speciei accidat naturæ humanæ secundum illud esse, quod habet in intellectu. Ipsa enim natura habet esse in intellectu abstractum ab omnibus individuantibus, & habet rationem uniformem ad omnia individua, quæ sunt extrà animam, prout essentialiter est imago omnium, & inducens in cognitionem omnium, in quantum sunt homines, & ex hoc, quod talem relationem habet ad omnia individua, intellectus adinvenit rationem speciei. Idemque docet D. Th. 1. p. q. 85. art. 2. ad 2. & opusc. 55. non longè à fine, & alibi.

Ex quibus verbis sic quo ad primam partem conclusio nostra probatur: si daretur à parte rei natura aliqua pluribus positivè communis, una in pluribus, aut positivè apta ad essendum in illis, hoc haberet secundum se, vel quatenùs in singularibus est, quia natura à parte rei, tantum considerari potest secundum se, vel quatenus reperitur in singularibus; sed nullo modo datur à parte rei natura in pluribus positivè communis, vel apta positivè ad essendum in illis: ergò prædicta natura nullo modo invenitur à parte rei. Prob. min. quantum ad primam partem. Quod convenit naturę, secundùm se convenit in omni statu, quod enim ità convenit naturæ est de illius essentia, & consequenter semper convenit illi, propterea que semper, & in omni statu competit homini esse animal rationale, quia talia prædicata conveniunt homini secundum se, vel secundum suam essentiam; sed esse communem pluribus positive, vel aptam positivè ad essendum in illis servata unitate, non competit naturæ in omni statu, siquidem non convenit illi prout in singularibus, ut ex sequenti probatione constabit: ergò non convenit etiam naturæ secundum se.

Quan-

Quantum ad ſecundam vero partem, illi videlicet, ut in ſingularibus non convenire, etiam convincitur: quia natura prout in ſingularibus non eſt una, ſed potius multiplicata realitèr, & inſuper ut in ipſis eſt determinata, & contracta, non autem indifferens, ut per plura determinetur: ergò prędicta univerſalitas, & communitas non convenit naturę prout in ſingularibus eſt.

Confirmatur hæc ratio: Petrus, & Paulus à parte rei non ſunt unus, ſed plures homines: ergò à parte rei non datur in Petro, & Paulo natura humana una, & utrique communis. Prob. conſeq. Si daretur à parte rei natura humana una, & utrique communis, non dicerentur plures homines, ſed unus homo, eo quod ſubſtantiva non poſſunt pluralitér dici, non multiplicata forma, iuxta regulam in Dialectica aſsignatam cap. de Appellatione; ſed homo eſt nomen ſubſtantivum, & forma ſignificata eſt ipſa natura humana: ergò ſi natura humana eſſet una in Petro, & Paulo, & communis utrique, non dicerentur plures homines, ſed unicus tantum homo, ſicut tres Divinę Perſonę non dicuntur plures Dij, ſed ſolum unicus Deus, quia natura una eſt, ut docet D. Th. 1. p. q. 39. ar. 3. in corp.

Urgetur: natura humana Petri diſtinguitur realiter à differentia propria Pauli, & ab eius hæcceitate: ergò etiã à natura Pauli, & conſequentèr in Petro, & Paulo non datur una natura, quę ſit utrique communis, ſed potiùs diſtincta realitèr. Prob. conſeq. Natura Pauli identificatur cũ differentia propria Pauli, & illius hęcceitate: ergò ſi natura Petri realiter diſtincta eſt à differentia propria Pauli, erit etiam realitèr à natura Pauli diſtincta, ſicut quia motus identificatur cùm paſsione, ſi actio eſſet realiter à paſſione diſtincta, eſſet etiam à motu diſtincta realitèr.

Reſpondebis cum Scoto, & diſcipulis ſuis: natura humana in Petro, & Paulo, non eſt una realitèr, ſed realitèr diviſa; eſt tamen una formaliter, quia Petrus, & Paulus non differunt formaliter in natura: & hoc ſufficit, ut detur à parte rei natura una, & poſsitivè communis.

Sed contra eſt: quia ex quocumque capite natura humana ſit realitèr diviſa in Petro, & Paulo, non erit realitèr poſsitivè una: nam unum poſsitive non ſolùm excludit diſtinctionem formalem, ſed quamcumque veram diſtinctio-

tionem; quomodo enim erit verè posſitivè aliquid unum, ſi verè posſitivè eſt diviſum? Sicut non poteſt aliquid eſſe verè vivum, ſi ex caſu, gladio, aut febre eſt verè mortuum: ergò ſi natura humana in Petro, & Paulo eſt diviſa realiter, & ſi ratione differentiæ numericæ, non poterit eſſe posſitivè una formalitèr.

Ratione etiam probatur ſecunda pars concluſionis noſtrę: quia naturam eſſe unam, & communem negativè, eſt naturam non eſſe appropriatam alicui ſingulari in re: ergò non datur à parte rei, & ſeclusa operatione intellectus, natura una, & pluribus communis negativa. Maj. patet ex ſecundo notabili. Min. verò ſic prob. Natura à parte rei ſolùm poteſt conſiderari vel ſecundùm ſe, vel in ſingularibus; ſed nullo modo convenit naturę non eſſe appropriatam alicui ſingulari in re: ergò vera eſt minor. Prob. min. quantùm ad utramque partem. Quo ad primam quidem: quia quod convenit naturę ſecundùm ſe, & ratione ſui, prædicatur ſine aliqua additione de ſuppoſito illius naturæ; ſed naturam humanam non eſſe appropriatam non convenit ſuppoſito talis naturę: ergò naturæ ſecundùm ſe non convenit non eſſe appropriatam alicui ſingulari in re. Mai. patet. Quia ſi humanitas in eo quod talis, eſſet non appropriata, nunquam eſſet appropriata alicui, iuxta illud 1. Poſter. *Quod convenit alicui ſecundum quod ipſum præſupponit de omni, neceſſarium, & per ſe.* Min. verò ſic prob. Nam hæc propoſitio eſt ſimpliciter falſa: *natura Petri eſt non appropriata alicui*, ſicut etiam hæc: *Petrus eſt communis pluribus negativè*: ergò naturam non eſſe appropriatam non convenit ſuppoſito naturæ humanæ.

Quantum ad ſecundam verè partem, ſcilicet, non convenire naturæ in ſingularibus non eſſe appropriatam, ſic prob. min. Natura non appropriata alicui ſuppoſito, neceſſario eſt ſolitariè, ſi enim non eſt ſolitariè, eſt in aliquo ſuppoſito; ſed ſi eſt in aliquo ſuppoſito, eſt illi appropriata, & non communis negativè: ergò naturæ in ſingularibus non convenit non eſſe alicui appropriatam. Mai. patet; quia natura non appropriata, eſt ſola ab omni prædicato extrinſeco. Min. verò prob. Quia commune, & proprium ſunt oppoſita, commune enim excludit negationem proprij, & è converſò, ſtatim enim ut res appropriatur alicui, deſinit eſſe communis negativè, eo quod

quod negatione appropriationis caret, & ſtatim ut eſt communis negativè, non eſt alicui appropriata, ſiquidem habet negationem appropriationis: ergò ſi eſt in aliquo ſuppoſito, eſt illi appropriata natura, & non negativè communis, conſequenterque non datur à parte rei natura aliqua pluribus negativè communis.

Confirmatur: natura à parte rei, accipit ſtatum ſingularitatis, ſine qua in re inveniri non poteſt, aliàs incideremus in ſententiam Platonis, qui ponebat naturas realitèr à ſingularibus ſeparatas; ſed poſita ſingularitate non manet natura una, & communis negativè: ergò non datur à parte rei natura aliqua pluribus negative communis. Prob. min. poſita ſingularitate, non manet una negatio diviſionis formalis: ergò non manet natura una, & communis negativè. Prob. ant. Quoties multiplicantur prædicata formalia, multiplicatur etiam negatio diviſionis formalis, nàm negatio diviſionis formalis, in qua unitas formalis conſiſtit, ſequitur ad prædicata formalia humanæ naturæ, ſiquidem animal rationale repertum in Petro realitèr diſtinctum eſt ab animali rationali, quod reperitur in Paulo: ergò poſita ſingularitate non manet una negatio diviſionis formalis, ac proindè ſecluſa operatione intellectus, abſtrahente naturam à ſingularibus, nunquam poteſt reperiri natura una, & communis pluribus negative.

§. III.

Solvitur argumentum contrà rationem prædictam.

ARguitur contrà rationem prædictam: poteſt aliquod prædicatum convenire naturę ſecundùm ſe, & in aliquo ſtatu non convenire: ergò ratio prędicta nititur principio falſo. Prob. ant. primò. Natura humana ſecundùm ſe eſt multiplicabilis; ſed hoc non convenit illi in Petro, in quo multiplicabilis non eſt, ſed ad Petrum determinata, & hoc idem in diverſis exemplis cernere licet, nàm motus ſecundùm ſe eſt velocitabilis in infinitum, ut dicitur 6. phyſic. text. com. 15. ſed motus in cœlo poſitus nequaquam, ut docetur lib. 2. de cœlo, text. com. 28. continuum ſecundùm ſe eſt diviſibile in infinitum, ex 6. Phyſic. text. com. 3. non tamèn continuum in re naturali poſitum, nàm in omnibus, quæ ſunt ſecundùm naturam, eſt certus terminus, & determinata ratio magnitudinis, ut dicitur 2. de anima

text.

text. com. 41. : ergò potest aliquod prædicatum convenire naturæ secundùm se, & in aliquo statu non convenire.

Secundò prob. ant. Naturæ secundùm se, competit esse unam, & communem negativè, quia secundum se non est alicui appropriata; & tamen prędictam unitatem, & communitatem non servat in individuis : ergo idem quod priùs.

Resp. ad argumentum dist. ant. convenire *positive* naturę secundùm se, & in aliquo statu non convenire, neg. ant. Convenire *permissivè*, *& per non repugnantiam*, conc. ant. & ad probationem, dist. maj. multiplicabilis *permissivè*, *& per non repugnantiam*, conc. mai. *positivè*, neg.mai. & conc. min. dist. conseq. sub distinct. ant. Aliud namque est dicere : aliquod prędicatum convenit positivè naturæ secundùm se, & aliud dicere, naturæ secundùm se non repugnat aliquod prædicatum. Nàm ad veritatem primi requiritur, quod natura vindicet sibi illud in primo, vel secundo, vel quarto modo dicendi per se, ad veritatem autem secundi sufficit, quod ipsi naturæ ut sic, non repugnet tale prædicatum. Similitèr ad veritatem primi sequitur illud prædicatum convenire naturę in quocumque ponatur, non autem ad veritatem secundi. Risibile enim non repugnat animali in eo quod animal, & tamen non invenitur inquolibet animali : sed quod convenit animali in primo, vel secundo, vel quarto modo dicendi per se, in omni animali invenitur. Undè nulla instantiarum in argumento adductarum infringit doctrinam datam inter probandam conclusionem, nàm omnia, quæ in illis dicuntur, intelligenda sunt per non repugnantiam, & permissivam conveniontiam. Cùm etiam dicitur : natura humana secundùm se est multiplicabilis, intelligimus, illi ut sic non repugnare multiplicabilitatem. Et cùm dicitur, motum esse velocitabilem in infinitum, intelligitur motui ut sic non repugnare velocitatem in infinitum, ut inquit D. Th. 6. Physic. lect. 3. idemque dicendum, cum dicitur, continuum esse divisibile in infinitum.

Instabis: potest aliquod prædicatum positivè convenire naturæ secundùm se, quod quidem naturę in individuo repugnet: ergò nulla est data solutio. Prob. ant. Permissio multiplicationis, positivè, convenit naturæ secundum se, siquidem natura secundum se positivè habet permittere mul-

multiplicationem ſibi non repugnantem, & tamen prædicta permiſsio non convenit naturę prout in Petro, nam illi prout ſic multiplicatio repugnat: ergò poteſt aliquod prædicatum poſsitivè convenire naturæ ſecundùm ſe, quod tamen naturæ in individuo repugnet.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. mai. Permiſsio *ſumpta ſubiectivè*, conc. mai. *terminative ſumpta*, neg. mai. & conceſ. min. diſt. conſeq. poſsitivè *ſubiective*, conc. conſeq. poſsitivè *terminative*, neg. conſeq. Quia permiſsio terminative ſumpta, eſt ipſa multiplicabilitas, quæ non exigitur poſsitivè à natura ſecundùm ſe, ſed convenit per non repugnantiam, & ideó permiſsio ſumpta terminativè pro termino permiſsionis, non convenit poſsitivè, quamvis ſubjectivè accepta, & in ſe poſsitivè conveniat: & propterea poteſt benè naturę repugnare in individuo, nàm ſolùm ea prædicata, quæ tàm ſubiectivè, quàm terminativè conveniunt poſsitivè naturæ, debent illi in quocumque ſtatu convenire, & de illis tantùm ſuprædicta ratio intelligitur. Inſtantia eſt in permiſsione rationalitatis, quę ſubiectivè ſumpta convenit poſsitive animali ſecundùm ſe, & tamen animali prout in equo convenire non poteſt.

Ad ſecundam probationem ant. Reſp. diſt. maj. naturæ ſecundum ſe *ratione ipſius naturæ*, neg. mai. *ratione ſtatus, & præciſsionis*, conc. mai. & min. & diſt. conſeq. *naturæ ſecundum ſe ratione præciſsionis, & ſtatus*, conc. conſeq. *ſecundum ſe, & ratione ſui*, neg. conſeq. Quia eſſe unam, & communem negativè, non convenit naturæ ratione ſui, & ſecundùm ſuam eſſentiam, ſed ſolum ratione ſtatu ſolitudinis, & quatenùs pręciſſa conſideratur, ſicut etiam ſingularias ſolum illi convenit ratione aſſociationis eius ad exiſtentiam. Et quia conditio ſolitudinis non convenit naturę ratione ſui, ſed ratione intellectus, qui natus eſt adunata dividere, ideò operatione intellectus ſecluſa nulla communitas in natura invenitur: ſed ſicut quærenda eſt cauſa, unde natura habet eſſe ſolitarium, ità etiam cauſa quærenda eſt, unde habeat communitatem, cum de ſe, & ratione ſui neutrum habeat. Quapropter communitas negativa non debet naturæ, prout in ſingularibus convenire.

Inſtabis: quod convenit naturæ ratione ſtatus, & præciſsionis, non convenit naturæ ſecundum ſe, ſed quatenùs

eſt

eſt in intellectu : ergó ſi eſſe unam, & communem negativè convenit naturę ratione ſtatus, non poteſt naturę ſecundum ſe convenire.

Reſp. diſt. conſeq. non poteſt naturę ſecundum ſe convenire *pro formali*, conc. conſeq. *pro ſubſtracto*, neg. conſeq. Quia eſſe communem negativè convenit naturæ conſideratæ tantum ſecundùm prædicata ſibi eſſentialia, quãvis ut ſic illi conveniat, requiratur pręciſsio intellectus; verum hęc pręciſsio non eſt ſubſtractum, vel ſubiectum, de quo affirmatur communitas negativa, nec ſe habet ex parte obiecti ſignatè, ſed ſolùm eſt modus, & conditio, ut naturæ conveniat communitas prędicta, & ſe habet exercitè ex parte obiecti : in quo diſtinguitur ſtatus naturæ ſecundùm ſe, à ſtatu, quem habet in intellectu, quia ſcilicet natura ſecundùm ſe ſolùm ex parte modi, & exercitè importat præciſsionem intellectus, natura verò ſecundùm ſtatum, quem habet in intellectu, etiam ex parte rei, & ſignatè, aliquid rationis, & pręciſsionem paſsivè ſumptam importat : ſicut ſpecies ex parte rei, & ſignatè dicit intentionem productam per actionem intellectus.

Dices : natura ſecundùm ſe præſcindit ab omni prędicato accidentali; ſed ſtatus ſolitudinis ſtatus accidentalis eſt, & ſimiliter eſt accidentalis ipſa præciſsio intellectus : ergò ab his præſcindere debet.

Reſp. diſting. maj. ab omni prędicato accidentali, *ut cognito ſignatè*, conc. mai. *ut exercite cognito*, neg. mai. quia natura ſecundùm ſe licet prędſcindat ab omni prędicato accidentali tanquam ab obiecto cognito ſignatè, non tamen præſcindere ab omni prędicato accidentali in exercitio; nãdum natura attingitur ſecundum prædicata ſibi eſſentialia, non poteſt non exercitè involvere præciſsionem intellectus, ut conſiderantis naturam a ſingularibus ſegregatam, vel ſingularitate non cognita.

§. IV.

Cæteris argumentis contrà concluſionem occurritur.

ARguitur primò : prędicata realia competunt naturæ à parte rei; ſed unitas, & aptitudo à qua natura eſt una, & cõmunis poſsitivè, eſt prædicatum reale: ergò à parte rei datur natura una in pluribus, & poſsitivè communis. Prob. min. Exercitium, vel actus aptitudinis prædictę, eſt prædicatum reale : ergò etiam

etiam aptitudo prædicta debet esse realis, quia quando actus est realis, potentia ad ipsum debet esse realis, aliàs actus esset ante potentiam. Prob. ant. actus prędictæ aptitudinis est existentia naturæ in pluribus individuis; sed natura à parte rei existit in pluribus individuis: ergò exercitium, vel actus aptitudinis prædictę est prædicatum reale.

Resp. neg. min. & ad probationem neg. ant. ad cuius probationem dist. mai. in pluribus individuis, *per identitatem cum illis*, conc. mai. *per distinctionem realem*, neg. mai. & dist. min. natura *multiplicata, & divisa*, conc. min. *una, & eadem*, neg. min. & conseq. Quia natura à parte rei solùm existit in pluribus individuis divisa, & multiplicata realitèr, non tamen una, & eadem in omnibus illis, & actus, vel exercitium aptitudinis, à qua natura denominatur positivè communis, non est existentia in pluribus per divisionem, & multiplicationem in illis, sed existentia in pluribus per identitatem naturæ cum omnibus illis, quæ identitas non datur à parte rei, sed solùm per intellectum: & ideò actus naturæ positivè communis, ut talis, non datur à parte rei.

Instabis; si natura à parte rei existit in individuis divisa, & multiplicata realitèr, in ipsa natura à parte rei debet dari potentia ad existendum in illis; sed prædicta potentia debet constituere naturam positivè communem, cũ pro priori talis potentiæ natura supponatur una, & capax ad essendum in pluribus: ergò si natura à parte rei existit in pluribus divisa, & multiplicata à parte rei est una, & communis positivè.

Resp. dist. mai. potentia *Logica*, cõc. mai. *Physica*, neg. mai. min. & cons. Quia ex eo, quod à parte rei natura existat in individuis, solum infertur dari potentiam logicam, vel non repugnantiam ad existendum in illis, quæ potentia logica sumpta pro non repugnantia ad existendum in pluribus divisa, & multiplicata constituere non potest naturam positivè communem: non tamen ex quo natura sit in pluribus à parte rei infertur dari potentiam physicam ad prædictam existentiam, & realitèr perfectibilem, aut determinabilem realiter per existentiam prędictam, nec etiam per ipsam singularitatem, cum qua natura à parte rei identificata invenitur.

Dices: potentia Logica, vel non repugnantia ad essendum in pluribus, debet præ-

cedere existentiam in illis; sed pro illo priori præcedentię est natura una, & positivè communis, siquidem nondùm intelligitur in illis multiplicata: ergò.

Resp. dist. mai. debet præcedere *nostro modo concipiendi*, conc. mai. *in re*, neg. mai. quia licet in ipsa natura multiplicata realitèr detur nõ repugnantia ad ipsam multiplicationem, tamen hæc non repugnantia non præcedit in re multiplicationem ipsam, sed solum per intellectum, & ex modo concipiendi; ex quo tantùm sequitur naturam, quatenùs prius ab intellectu concipitur esse unam, & saltem negativè communem, quod nos asserimus in præsenti, non tamen infertur esse unam, & communem in re, antequam multiplicetur, siquidem in re non est ante multiplicationem: undè natura multiplicata solum erat priùs una, antequam multiplicetur per intellectum, vel ex modo concipiendi.

Secundò arguitur: natura secundum se, debet esse una realitèr positivè: ergò à parte rei est una, & positivè communis. Prob. ant. Natura secundùm se est ens positivum, & reale; sed ad ens positivum, & reale sequitur unitas realis, & positiva; ergò natura secundùm se debet esse una realitèr positivè.

Resp. neg. ant. & ad prob. dist. min. unitas realis, & positiva, *transcendentalis*, conc. min. *formalis*, *& totaliter indivisa*, neg. min. & dist. conseq. positivè *transcendentaliter*, conc. conseq. *formaliter*, neg. conseq. Ad omnem quippe essentiam, & ad quamcumque rem positivam sequitur, tanquàm propria illius passio, unitas transcendentalis, quæ consistit in hoc, quod essentia in se ipsa, sit una essentia, & non alia, sed potius ab omni alia essentialiter distincta, ut indicat D. Th. p. 1. q. 11. art. 1. huiusmodi autem unitas reperitur in natura, eo modo, quo ipsa natura invenitur; quapropter si natura consideratur solùm secundùm principia essentialia, sic non est una positivè, sed solùm negativè, id est, non est divisa penes illa principia: si verò consideretur in statu singularitatis, habet unitatem positivam, non quia plures naturæ singulares dicantur unum, sed quia quælibet natura suam unitatem habet, & convenientiã in ratione specifica, & formali unitas autem ad universalem requisita, debet esse unitas formalis positiva numero multiplicata, quam unitatem non habet natura secundùm se, quæ prout sic po-

teſt numero multiplicari, nec etiam prout in ſingularibus, quæ re ipſa numero multiplicata eſt.

Inſtabis: natura ſecundum ſe, habet unitatem formalem totalitèr indiviſam: ergò nulla eſt data ſolutio. Prob. ant. natura ſecundùm ſe habet entitatem poſitivam, & inſuper negationem diviſionis penès principia formalia: ergò habet unitatem formalem totaliter indiviſam.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. ant. negationem diviſionis *ex capite principiorum formalium*, conc. ant. *abſolute, & ſimpliciter*, neg. ant. & conſeq. licet namque natura ſecundum ſe, quantùm eſt ex principijs formalibus, non habeat diviſionem, quia tamen manet indifferens ad pluralitatem, vel unitatem abſolutè talem, dici non poteſt, quod habeat unitatem formalem totalitèr indiviſam: ad hanc enim non ſolùm requiritur negatio diviſionis penès principia formalia, ſed etiam excluſio cuiuſcumque verę diſtinctionis, quam quidem non habet natura ſecundùm ſe, ac proindè non eſt una abſolutè, & ſimpliciter.

Tertiò arguitur: Natura, quę eſt in Petro, ſecundùm ſe, eſt una, & communis pluribus: ergò à parte rei datur natura ſaltem negativè communis. Prob. ant. Natura non determinata eſt una, & communis pluribus; ſed natura, quæ eſt in Petro ſecundùm ſe, eſt non determinata: ergò eſt una, & pluribus communis. Prob. min. Natura, quæ eſt in Petro, ſecundùm ſe, non eſt diviſa, & determinata: ergò ſecundùm ſe eſt non determinata. Prob. conſeq. Quia à negativa ad affirmativam, variato prædicato penès finitum, & infinitum, bona conſequentia eſt; ſed dum dicitur, *natura, quæ eſt in Petro ſecundum ſe, non eſt determinata: ergo eſt non determinata.* Arguitur à negativa ad affirmativam, variato prædicato penès finitum, & infinitum: ergò bona conſequentia eſt.

Reſp. neg. ant. & ad probat. neg. min. ad cuius probat. neg. conſeq. & ad eius prob. diſt. mai. à negativa *abſoluta* ad affirmativam &c. bona conſequentia eſt, conc. mai. à negativa *cum reduplicatione &c.* neg. mai. & diſt. min. à negativa *cum reduplicatione*, conc. min. *abſoluta*, neg. min. & conſeq. Quia natura ſecundùm ſe, nec eſt determinata, nec non determinata, ſed ad utrũque habet indifferentiam: ideó que, licet à negativa abſoluta ad affirmativam bona conſequentia ſit, ut dicitur 2. Periherm.

herm. lect. 2. apud D. Tho. non tamen à negativa cum aliqua reduplicatione. Et ratio est, quia in negativa absoluta removetur simpliciter prædicatum; in negativa vero reduplicante, vel appellante statum aliquem specialem, non removetur prædicatum absolutè, sed solum negatur de re sub ea reduplicatione, & statu: ex quo inferi non potest contradictoriam absolute convenire. Sicut namque deficit hæc argumentatio; *homo secundum se non est albus: ergò homo secundum se est non albus*, quia si homo, in eo quod homo, esset non albus, nunquam homini coniungi posset albedo, iuxta illud: *quod convenit alicui, secundum quod ipsum, convenit ei semper, necessariò, & per se*; ita etiam manifestè deficit processus Subtil. Doctoris; ipse namque sic procedit in 2. sent. *natura non est de se hic*, id est propria alicui: *ergo ex se est communis*, id est non propria, ubi antecedens est negativum de prædicato finito, & conclusio affirmativa de prædicato infinito. Parique forma incedit in alio processu, quem ibi inducit: *humanitati Socratis, ratione sui, non repugnat esse in alio: ergo ex se est communis.* In quibus aperte patet prędictus defectus: Reduplicationem enim in utroque processu sonat ly *ex se*, *de se*, & *ratione sui*, ac proinde licet verificentur antecedentia negativa, nunquam tamen verificari possunt conclusiones affirmativę, variatur enim appellatio propter particulas *secundum se*, *ex se*, & *ratione sui.*

Instabis: quod secundùm se non est determinatum, necessariò non est determinatum; sed quod necessariò non est determinatum, necessariò est non determinatum: ergò si natura secundum se non est determinata, secundum se erit non determinata.

Resp. dist. mai. secundū se, *positive*, conc. mai. *negative*, *aut præcisivè*, neg. mai. & concess. min. neg. conseq. Quia quod secundum se non est determinatum positivè, secundum se habet, quod non sit determinatum, & ità necessarium non est determinatum, quod verò secundùm se non est determinatum negativè, aut præcisivè, solum non est determinatum, quia præscindit à determinatione, & ab illius carentia, & ideò non habet necessariò, quod non sit determinatum, sed tantum hoc habet accidentaliter, & in statu pręcisionis, propterea que in alio statu potest determinationem habere, scilicet in statu contractionis. Sic

ergò in hac propoſitione : *natura ſecundum ſe eſt non terminata*, & alijs ſimilibus de ly *exſe*, *& ratione ſui*, animadvertere oportet, quod ly *ſecundum ſe* poteſt accipi poſitivè, vel negativè. Poſitivè dicit aliquam habitudinem cauſę; negativé verò tantum dicit ſolitudinem, ſcilicet non eſſe cum alio. Si ly *ſecundum ſe*, ſumatur negativè, prædicta propoſitio facit hunc ſenſum: *natura non cum alia ſumpta eſt non determinata*, quod eſt verum: ſi verò poſitivè ſumatur, facit hunc ſenſum: *natura ratione ſui in quantum talis, eſt non determinata*, quod eſt manifeſte falſum. Quod prę oculis ſemper habendum eſt, ut diluantur plurima argumenta, quæ ab Adverſarijs fieri ſolent.

Quartò arguitur : Natura humana ſecundùm ſe, eſt poſitivé communis : ergò à parte rei eſt communis poſitive. Prob. ant. primó. Natura humana ſecundùm ſe exigit plura individua : ergó ſecundúm ſe eſt poſitivè communis. Prob. ant. Natura humana ſecundùm ſe appetit plura individua : ergó exigit illa. Prob. ant. natura humana naturaliter appetit ſuam conſervationem; ſed in uno individuo conſervari non poteſt: ergò ſecundùm ſe appetit plura individua.

Secundò prob. ant. Quia materia ſecundùm ſe, nulli formæ eſt appropriata, eſt communis ſecundum ſe pluribus formis; ſed natura humana ſecundùm ſe non eſt alicui appropriata individuo : ergó ſecundum ſe eſt poſitivè communis.

Reſp. ad arg. neg. tria antecedentia, & ad prob. diſt. mai. natura humana *phyſicè ſumpta*, conc. mai. *ſecundum ſe conſiderata*, neg. mai. & conc. min. neg, conſeq. Quia natura humana ſecundùm ſe, non exigit plura individua, nec appetit illa, nec ſuam conſervationem, ſed ſolúm importat connexionem prędicatorum eſſentialium; ſi tamen conſideretur in ordine ad exiſtentiam, ſecundùm quam rationem eſt corruptibilis, appetit plura individua, ut in illis conſervetur, & in perpetuum exiſtat, verum hæc conſideratio non eſt propria naturæ ſecundùm ſe, ſed illius phyſicè ſumptæ.

Inſtabis : ergò natura humana phyſicè ſumpta habet aptitudinem poſitivam ad eſſendum in pluribus, ac proindè erit poſitivè communis. Prob. conſeq. quælibet natura habet aptitudinem poſitivam ad id, quod naturaliter appetit; ſed natura phyſicè ſumpta iuxtà datam ſolutionem, appe-

petit plura individua, ut in illis conservetur: ergo habet aptitudinem positivam ad essendum in illis.

Resp. neg. conseq. & ad prob. admissa mai. dist. min. plura individua *per identitatem ipsius cum illis*, neg. min. *per ipsius divisionem*, conc. min. & neg. conseq. non enim appetit humana natura, esse in pluribus per identitatem, ità ut omnino sit in eis indivisa (hoc enim est proprium naturæ divinę, & naturę universalis per intellectum) quod erat necessarium, ut esset una formaliter in multis; sed solum appetit humana natura esse in pluribus per conformitatem, & formalem convenientiam cum divisione reali, ità ut in pluribus individuis plures naturæ inveniantur, quod non sufficit ad prędictam unitatem, & communitatem.

Ad secundam prob. ant. resp. dist. mai. nulli formæ est appropriata *per distinctionem realem ab illa*, conc. mai. *per præcisionem ab ea*, neg. mai. & dist. min. alicui appropriata individuo *per præcisionem ab illo*, conc. min. *per realem distinctionem ab eo*, neg. min. & conseq. quia natura secundùm se sola ratione distinguitur à singularibus, & in re tamen cum illis identificata est, & ideò solùm per precisionem non est alicui appropriata, ex quo solum infertur esse communem per actionem intellectus: materia verò realiter à quacumque forma distinguitur, & realiter pro aliquo saltē priori naturę præcedit omnē formalē, & ideo est indifferens realiter, ut per unam, vel alteram actuetur, & realiter omnibus communis est. Et rursus; materia ex propria sua natura, capacitatem habet ad plures formas, aptitudoque eius ad illas, est eius entitas, & ità ubicumque salvatur entitas materię, salvatur ista aptitudo; aptitudo verò naturæ humanæ ad essendum in pluribus sequitur ipsam ratione status precisionis, est enim aptitudo ad hoc, ut una natura in multis multiplicetur, quæ illi convenire nequit antè opus intellectus: & ideó dispar est ratio.

Quintò arguitur: Natura humana Petri, est una numero positivè; sed prędicta natura habet aptitudinem ad essendum in pluribus: ergò dabilis est à parte rei natura una apta ad essendum in pluribus. Prob. min. Natura humana secundum se habet aptitudinem prædictam: ergò illam habet in Petro, quia quod convenit naturæ secundùm se, convenit in omni individuo. Prob. ant. natura humana determinatur

per differentiam individualem: ergò ſecundum ſe erat indiffe rens, nàm ſolum indifferens eſt capax determinari.

Reſp. neg.min. & ad probat. diſt. ant. aptitudinem *negativam*, conc. ant. *poſitivam*, neg. ant. ad cuius probat. conceſſo ant. diſt. conſeq. indifferens *negativè*, conc. conſeq. *poſitive*, neg. conſeq. quia natura humana ſecundum ſe, ſolum habet aptitudinem negativam, vel non repugnantiam ad plura, quæ quidem non repugnantia, vel negativa indifferentia, determinatur per differentiam individualē, & per ſingularitatē auferrur; quia natura prout in ſingularibus eſt incapax ad exiſtendùm in multis. Inſtantia eſt in lapide, qui licet ex eo præcisè quod eſt ſubſtantia, non ſit incapax ad intellectualitatem, abſolutè tamen, & ſimplicitèr quilibet lapis eſt incapax ad intelligendum.

Tandem arguitur: Petrus, & Paulus à parte rei ſunt unius, & eiuſdem ſpeciei: ergò datur à parte rei natura aliqua, quæ ſit utrique communis. Prob. ant. Petrus, & Paulus à parte rei non ſunt diſtinctæ ſpeciei, aliàs diſtinguerentur formalitèr: ergò ſunt unius, & eiuſdem ſpeciei.

Reſp. diſt. ant. unius, & eiuſdem ſpeciei *fundamentaliter*, conc. ant. *actualiter*, & *formaliter*, neg. ant. & conſeq. quia à parte rei natura Petri eſt cōformis naturæ Pauli, propterquam conformitatem poteſt intellectus naturam ab utroque ſeparare, & illi tribuere intentionem ſpeciei in ordine ad utrumque, quę quidem intentio à parte rei non invenitur, ſed ſolum fundamentum illius: nec probatio antecedentis convincit oppoſitum, nam ex quo Petrus, & Paulus, à parte rei non diſtinguantur ſpecie, ſolùm ſequitur eſſe à parte rei unius, & eiuſdem ſpeciei fundamentalitèr ſumptę.

Inſtabis: Petrus, & Paulus à parte rei non ſolùm fundamentalitèr, ſed etiam actualiter non diſtinguuntur ſpecie: ergô nedum fundamentalitèr, ſed etiam actualiter formaliter ſunt unius, & eiuſdem ſpeciei.

Reſp. neg. conſeq. tùm, quia negatio diſtinctionis in aliqua ratione, ſolum infert identitatem in ea, quando extrema illam participant, non verò quando extrema non participant illam; & quia Petrus, & Paulus à parte rei non participant rationem ſpeciei, quę eſt ſecunda intentio rationis facta per actionem intellectus; propterea quamvis actualitèr non diſtinguantur ſpecie, non in-

infertur esse unius, & eiusdem speciei, nam ut actualiter non distinguantur specie, satis est intentionem speciei a parte rei actualiter non dari: sicut ex quo Deus non sit eiusdem speciei cum homine, perperam infertur, quod sit distinctę speciei ab illo, nàm cum Deus non sit species, nec erit eiusdem, nec distinctæ speciei ab homine. Tùm etiam, quia ut benè advertit Mag. à S. Thoma, negatio distinctionis, non solum fit per veram, & positivam unitatem, verùm etiam per solam convenientiam, quæ enim conveniunt, ex vi illorum principiorum per quæ conveniunt, non dividuntur, cumque natura Petri à parte rei convenientiam, & similitudinem habeat cum natura Pauli in prędicatis quidditativis, Petrus, & Paulus à parte rei etiam actualiter non distinguerentur specie. Quod si prę oculis habeatur, facilè deludemus æquivocationes, quæ in hac parte accidere solent.

§. V.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in articuli discursu colligitur, quod licet universale sit obiectum intellectus, ut dicitur in 3. de Anima, non indè infertur dari à parte rei universale formaliter, vel universale in actu, quia obiectum intellectus est solum universale fundamentaliter sumptum secundum connexionem naturę communis cum proprietatibus suis: quamvis etiam posset dici obiectum intellectus pro subsstracto esse à parte rei, & formaliter quantum ad rationem movendi, ipsum intellectum prędecedere, nam res, quæ movet, & specificat intellectum, à parte rei reperitur, & si quantum ad conditionem, & modum universalis dependeat vel ab intellectu possibili, cuius est proprium facere universale Logicum formaliter, vel ab intellectu agente, cùius munus est facere universale in actu, quod sit obiectum intellectus possibilis, ut insinuat D. Th. opusc. 55. per hęc verba: *Universalia ex hoc quod sunt universalia, non habent esse insensibilibus, quia universalitas ipsa est in anima, & nullo modo in rebus. Cum autem dicimus, quod natura universalis habet esse in his sensibilibus, non intelligimus ex hoc, quod in eis habeat modum universalitatis, sed intelligimus, quod natura, cui accidit universalitas, habet esse in istis signatis.* Nihilominus absolutè dici potest, quod universale non tantum est obiectum intel-

tellectus, quando actu movet, ſed etiam quando eſt motivum, ſicut color non ſolùm dicitur obiectum viſus, quando actu movet viſum.

Secundò colligitur, naturam abſolutè conſideratam habere unitatem quandam, ſcilicet unitatem formalem, quæ quidem diſtincta eſt à numerali, ſicut diviſio formalis diſtincta eſt à materiali: verùm hæc unitas formalis non eſt ſpecifica, aut generica formaliter, ſed ſolùm eſt fundamentum unitatis ſpecificæ, aut genericę, nam hęc unitates fiunt ab intellectu formaliter, illa verò prævenit omnem actum intellectus. Et ſi inquiras, an iſta unitas ſit realis? Dicimus, quod ſecundùm ſe eſt realis, accipiendo ens reale, ſicut & natura ipſa abſolutè ſumpta: & ſicut natura ſecundùm eſſe in ſingularibus, eſt ens reale, & realiter exiſtit extrà cauſas, ità unitas illa, quæ ſemper naturam comitatur, in ſingularibus poſita, verè, & propriè realiter exiſtit extrà cauſas, non quidem communis, ſed particularizata, & multiplicata numeraliter ad multiplicationem naturę, nàm idem eſt judicium de natura, ac eius unitate. Quando verò inquit D. Th. quòd *natura ſecundum ſe, nec eſt una, nec plures*, de unitate, aut pluralitate numerali intelligendum eſt, ut notat Cajetanus ſuper litteram Ang. Prec.

Tandem infertur ex dictis; quod cùm univerſale, & particulare correlativa ſint, ſicut à parte rei non datur univerſale formaliter, & Logicè, ità non datur à parte rei ſingulare, vel particulare Logicè ſumptum, ſecundùm quam rationem conſtituitur per ordinem, & reſpectum ad ipſum univerſale: ſed tantùm datur à parte rei ſingulare, vel particulare materialiter, & phyſicè ſumptum pro individuo phyſico, quod eſt unum in ſe, diſtinctum ab omni alio individuo, verùm proùt ſic non eſt correlativum univerſalis, ſed fundamentum eius; ſolùm autem erit correlativum, ſi ſecundò intentionaliter ſummatur.

QUÆSTIO II.

De cauſa univerſalis, & in ea Articulus unicus.

Per quam actionem intellectus fiat univerſale formaliter?

§.

§. I.

Quibusdam suppositis statuitur prima conclusio.

AD intelligentiam articuli, primò supponendum est, quod ut natura fiat universalis, necessariò debet à conditionibus individuantibus separari: conditiones autem individuales, materiales, & numericæ pro eodem in rebus materialibus usurpantur, & sunt quędam accidentia, quæ non sunt de essentia rei, sine illis tamen non potest natura à parte rei reperiri: quarum prędipua est numerica differentia, quę regulariter appellatur hęccęitas, per quam natura redditur singularis, & hæc, & ad istam sequitur existentia, deindè ordo ad certum tempus, & ad locum, & rursus alia accidentia, sicut forma, figura, nomen, parentes, & patria, ægritudo, aut sanitas, scientia, vel ignorantia, bonitas, vel malitia, à quibus naturam humanam separamus dùm eam in communi concipimus.

Secundò notandum est, duplex dari universale: unum quidem Logicum, & alterum metaphisicum. Universale Logicum non est aliquid absolutum, sed aliquid relativum constituũ formaliter per ordinem rationis ad plura, unum, scilicet, respicens multa, seu comparatum ad illa, ut superius ad sua inferiora, ut indicat D. Th. quęst. 7. de Potent. art. 11. & 1. p. quæst. 28. art. 1. de materiali verò importat ipsam naturam communem: undè & accipi potest (sicut in 1. notabili art. præcedentis dictum est) formaliter, & fundamentaliter. Formaliter quidem, quatenùs actualiter, & formaliter dicit ipsam relationem ad multa. Fundamentaliter verò prout dicit fundamentum talis relationis. Cùm autem relatio nedum habeat fundamentum proximum, verum etiam remotum, etiam universale fundamentaliter accipi debet fundamentaliter proximè, & fundamentaliter remotè. Universale fundamentaliter proximè, est illud, ad cuius positionem, potest statim intellectus intentionem universalitatis tribuere. Universale fundamẽtaliter remotè est quidẽ universalitatis fundamentũ, non tamen ità completum, ut illo posito statim poni possit universalitatis relatio.

Uni-

Univerſale metaphiſicum, eſt ipſa natura à conditionibus individualibus ſeparata, quæ ſic accepta, univerſalis metaphiſicè nominatur, quia metaphiſica conſiderat omnium rerum eſſentias à conditionibus individualibus ſeparatas.

Tertiò ſupponendum eſt, ex Ang. Præcep. in lib. 3. de anim. lect. 10. & 1. p. q. 79. art. 2. 3. & 4. duplicem in homine dari intellectum: agentem videlicet, & poſsibilem, ſeu paſsibilem. Intellectus agens dicitur talis, non quidem ab agendo cognitionem, ſed ab agendo ſpecies, quæ recipiuntur in intellectu poſsibili, qui ideó dicitur paſsibilis, ſeu poſsibilis, quia patitur, ſeu recipit huiuſmodi ſpecies, illiſque receptis cognitionem operatur. Undè, intellectus agens ille eſt, qui ab ſpeciebus ſenſibilibus, repræſentantibus naturam cum conditionibus materialibus, abſtrahit naturam univerſalem, producendo ſpeciem intelligibilem, quæ naturam ſine ſingularitate, & alijs conditionibus materialibus repræſentat, & talem ſpeciem imprimit, vel ponit in intellectu poſsibili. Intellectus verò poſsibilis ille eſt, qui fœcundatus, & actuatus ſpecie prędicta elicit intellectionem, & naturam ità præciſſam cognoſcit.

Quartò prępmittendum eſt, intellectum poſsibilem poſſe cognoſcere naturam cognitione præciſsiva, ſeu abſoluta, non concipiendo ſingularitatem, quæ cognitio nominatur abſtractio, quatenùs naturam à ſingularibus abſtractam attingit. Hęc autem abſtractio dividitur in negativam, & poſsitivam; negativa eſt actio, per quam intellectus cognoſcit naturam, non cognitis ſingularibus, ſed merè negativè ſe habendo circa ipſa ſingularia. Abſtractio verò poſsitiva eſt actio, per quam intellectus cognoſcit naturam, ut abſtractam poſsitivè, attingendo etiam ſingularia, tanquam terminum *à quo* fuit abſtracta ipſa natura. Itaque huiuſmodi abſtractiones differunt in hoc, quod abſtractio negativa relinquit naturam nudatam, non enim conſiderat conditiones individuales, à quibus denudet, ſed omninò illas omittit: poſsitiva autem naturam relinquit nudatam, conditiones enim individuales conſiderat, ut ab illis denudet naturam. Poteſt inſuper intellectus poſsibilis naturam cognoſcere cognitione comparativa, quæ quidem etiam eſt duplex, ſimplex videlicet, & compoſita: comparatio ſimplex eſt actio, per quam intellectus naturam ordinat, &

com-

comparat ad inferiora, ut ad terminum *ad quem*. Comparatio verò composita, est actio per quam intellectus naturam actualiter prædicat, & cognoscit, vel componit cum inferioribus suis.

Ex diversitate igitur prædictarum actionum ortum habuit in hac parte diversitas sententiarum. Aliqui namque absque aliqua distinctione asserunt, universale formaliter fieri per abstractionem intellectus agentis. Alij censent, universale Logicum fieri per abstractionem positivam intellectus possibilis, per quam etiam autumant fieri eius fundamentum proximum. Alij verò affirmant fieri per actionem simplicem comparativam, qua natura cognoscitur in ordine ad individua, ut *in quibus* potest esse, & de illis prædicari. Ac tandem alij fieri existimant prædictum universale per actionem comparativam compositam. Quid tamen verum est triplici conclusione dicemus.

§. II.

Prima Conclusio.

Universale Metaphisicum fit per abstractionem intellectus agentis: perfectiori tamen modo per abstractionem negativam, vel positivam intellectus possibilis.

Conclusionem istam quo ad primam eius partē, docuit Ang. D. opusc. 55. per hæc verba: *Una, & eadem natura, quæ singularis erat, & individuatur per materiam in singularibus hominibus, efficitur postea universalis per actionem intellectus depurantis ipsam à conditionibus, quæ sunt hic, & nunc.* Quibus etiam consonat opusc. 42. cap. 5. ubi ait: quod *natura propter uniformitatem rationis inventam in intentione, quæ fit propter remotionem à materialibus conditionibus, & omni diversitate, est unum in multis.* Constat autem intellectum depurantem, & removentem naturam à conditionibus materialibus, esse intellectum agentem, ut pluribus in locis docet D. Th. & præcipuè 1. p. q. 79. art. 3. & 4.

Resp. Adversarij cum Collegio S. Thomæ Complutensi, quod Ang. Præc. solùm sentit per actionem intellectus agentis fieri universale præsuppositivè, & mediatè, quatenùs per illam reditur natura apta, ut ab intellectu possibili cognoscatur, ac si esset una, & per singularia minimè divisa, ac subindè fiat uniuersalis metaphisicè.

Hæc tamen solutio vera non est, sed omninò voluntaria, nàm D. Th. 1. p. q. 79. art.

art.5. in argum.2. aſſerit,quod intellectus agens facit univerſale, quod eſt unum in multis, quam propoſitionem non negat in ſolutione argumenti, ſed potiùs reſpondet, *ad 2.dicendum, quod intellectus agens cauſat univerſale abſtrahendo à materia*, quam doctrinam repetit 2.contra gent. cap.77. ut ibi notat Ferrarienſis §. *ex his itaque*: nec ad illam explicandam de efficientia mediata prębet alicubi fundamentum.

Ratione verò ſic, quo ad primam partem, concluſio noſtra probatur: univerſale metaphiſicum eſt natura una cùm non repugnantia ad eſſendum in pluribus; ſed per actionem intellectus agentis fit natura una cum non repugnantia ad eſſendum in pluribus: ergò per actionem intellectus agentis fit natura metaphiſicè univerſalis. Prob. min. Per actionem intellectus agentis abſtrahitur natura à ſingularibus, à quibus provenit pluralitas, & diſtinctio, & repugnantia ad eſſendum in pluribus: ergo per illam fit natura una cum non repugnantia ad eſſendum in pluribus.

Confirmatur: per actionem intellectus agentis abſtrahitur natura ab individuis, & non remanet alicui appropriata; ſed natura nulli individuo appropriata, eſt una, & potens in pluribus eſſe: ergó per talem actionem fit naturra univerſalis metaphiſicè formaliter.

Reſpondent Adverſarij, intellectum agentem abſtrahentem naturam ab inferioribus ſuis, non poſſe facere naturam metaphiſicè univerſalem, quia univerſale metaphiſicum conſtituitur per unitatem rationis conſequens in obiecto modum cognoſcendi pręciſivè, & inadæquatè, quam unitatem intellectus agens efficere non poteſt, eo quod cognoſcitivus non eſt.

Sed contra eſt: nam eatenùs per actionem intellectus agentis non poſſet fieri univerſale metaphiſicum formaliter, quia per talem actionem non fit unitas rationis, per quam conſtitui debet prædictum univerſale; ſed univerſale metaphiſicum neceſſariò debere conſtitui per unitatem rationis voluntariè affirmatur, & ſine ullo fundamento, aliàs per actionem qua intellectus poſsibilis cognoſcit naturam abſtractam præciſivè ſecundum prædicata eſſentialia, non fieret univerſale metaphiſicum formaliter, cum talis actio nihil rationis ponat in natura, ſed ſolum eam attingat ſecundùm ſuam eſſentiam, eamque prout ſic denominet

ex-

extrinsece cognitam : ergò nulla est solutio ab Adversarijs tradita.

Explicatur : dum intellectus possibilis per primam operationem cognoscit naturam sic esse abstractam per intellectum agentem, nihil fingit, sed cognoscit illum, quod revera factum est per intellectum agentem ; sed per operationem prædictam fit universale metaphisicum formaliter, ut fatentur Adversarij : ergò ad universale metaphisicum nulla unitas ficta requiritur, sed sufficit unitas negativa, quam habet natura semel à singularibus separata.

Secunda verò pars conclusionis sic probatur : perfectiori modo repræsentatur obiectum in specie expressa, quia species expressa est formalis, & actualis similitudo objecti, impressa verò solùm in actu primo est similitudo formalis obiecti ; sed natura in specie impressa producta per intellectum agentem repræsentatur ut communis, fit metaphisicè universalis, ut ex dictis probatum manet : ergò perfectiori modo fiet universalis metaphisicè in specie expressa producta per abstractionem negativam, vel positivā intellectus possibilis. Quapropter natura, tam in specie impressa producta per intellectum agentem, quam expressa per intellectum possibilem producta, habet quod sit repræsentata absque conditionibus individualibus, est abstracta ab hoc, & nunc, ac proindè quod sit metaphisicè universalis, cum hac tamen differentia, quod in specie impressa intellectus agentis, solum fit actu intelligibilis, non autem actu intellecta, in specie verò expressa intellectus possibilis, actu intellecta fit.

§. III.

Solvuntur argumenta contra istam conclusionem.

COntrà conclusionem istam arguitur primò: Per speciem productam per intellectum agentem repræsentatur natura secundum se, aut secundùm prædicata essentialia ; sed natura secundùm se non est universale metaphisicum : ergò prædictum universale non fit per actionem intellectus agentis. Prob. min. Quod convenit naturæ secundum se, etiam in singularibus convenit ; sed natura in singularibus non est metaphisicè universalis, ut per se manifestum est : ergò natura secundum se non est universale metaphisicum.

Resp.

Reſp. diſt. mai. natura ſecundùm ſe *pro ſubſtracto aut ex parte rei*, conc. mai. *exercitè & ex parte modi*, neg. mai. & diſt. min. natura ſecundùm ſe *præciſivè ab abſtractione intellectus*, conc.min. *ut præciſionem involvit exercitè*, neg. min. & conſeq. quia per ſpeciem productam per intellectum agentem, repræſentatur natura ſecundùm ſe ex parte rei repreſentatæ, & pro ſubſtracto rei præciſæ, quatenùs illa ſpecies ſolum repræſentat eſſentialia prædicata; verum quia illa repræſentat ſolitarie, & ut exercitè abſtracta, & præciſſa â ſingularibus, propterea intellectus agens ſic abſtrahens, facit univerſale metaphiſicum formaliter, quod tamen non datur à parte rei, eo quod quãvis natura abſtracta pro materiali ſit à parte rei, non tamẽ à parte rei exiſtit, ut exercitè præciſſa, ſed præciſio accidentaliter advenit ipſi naturæ ex opere intellectus agentis.

Inſtabis : licet per ſpeciem intellectus agentis repræſentetur natura, ut à ſingularibus præciſſa, non inde infertur repræſentari ut metaphiſicè univerſalem : ergò nulla eſt data ſolutio. Prob. ant. natura ſecundùm ſe præſcindit à ſingularibus, aliàs ſecundum ſe eſſet ſingularis; & tamen ſecundum ſe non eſt univerſalis metaphiſice : ergò quamvis repreſentetur natura, ut à ſingularibus præciſſa, per ſpeciem intellectus agentis nullatenùs infertur repreſentari ut metaphiſicè univerſalem.

Reſp.neg.ant.& ad prob. diſt. mai. preſcindit à ſingularibus *negativè*, conc. mai. *poſitivè*, neg. mai. & conceſſa min. neg. conſeq. licet namque natura ſecundum ſe preſcindat à ſingularibus negative, quatenùs illa non importat eſſentialitêr, cum ſecundum ſe non ſit plures, ut inquit D. Th. cap. 4. de ente, & eſſent. non tamen præſcindit poſsitivè, ea poſsitivè excludendo, hoc enim ſolum habet per actionem intellectus agentis, per quam poſsitivè abſtrahitur, & ſeparatur ab illis, & hoc ſecundum requiritur, ut fiat metaphiſicè univerſalis formaliter.

Secundô arguitur : per actionem, qua fit univerſale metaphiſicum, exiſtit unitas naturę : ſed per actionem intellectus agentis producentis ſpeciem repreſentantem naturam ſine conditionibus individualibus, non exiſtit unitas naturæ : ergò univerſale metaphiſicum formaliter non fit per abſtractionem intellectus agentis. Maior eſt certa, nam

ac-

actio productiva tendit ad rem ponendam sub existentia, & universale metaphisicum pro formali importat unitatem naturæ. Min. verò prob. unitas naturæ vel est realis, vel rationis; sed per speciem productam ab actione intellectus agentis non repręsentatur, nec existit natura sub unitate reali, nec sub unitate rationis: ergó per actionem intellectus agentis producentis speciem repręsentantem naturam sine conditionibus individualibus, non existit unitas naturę. Prob. min. quantum ad primam partem. Unitas realis est unitas singularis; sed per actionem intellectus agentis non existit unitas singularis naturæ, cùm potius per illam natura abstrahatur â singularibus: ergò vi actionis intellectus agentis non existit natura sub unitate reali. Quantum ad secundam verò etiam constat; quia intellectus agens non est cognoscitivus, & ità non potest unitatem rationis efficere.

Resp. neg. min. & ad prob. dist. min. sub unitate reali *intrinseca*, conc. min. *extrinseca*, neg. min. ad cuius prob. dist. mai. unitas realis, *ut purè distinguitur contrà unitatem ab intellectu possibili fabricatam*, neg. mai. *ut actu existens*, subdist. est unitas singularis *ideisè*, conc. mai. *formaliter*, neg. mai. & concess. min. neg. conseq. sub distinctione min. quia per speciem prędictam repræsentatur natura ut una unitate reali, non quidem intrinseca, sed extrinseca, proveniente ab actione intellectus agentis, & specie repræsentante, eo quod, sicut ab abstractione intellectus agentis, denominatur natura extrinsecè abstracta, ità denominatur extrinsecè una unitate pręcisionis, quatenùs repræsentatur, & attingitur ut à singularibus segregata, quæ unitas in ipsa natura, ut extrinsecè abstracta, verè realis est, secundum quod ens reale distinguitur contrà ens fabricatum ab intellectus, & reperitur in ea independentèr ab aliqua fictione intellectus; nec requiritur talem unitatem reperiri in singularibus, cùm non existat realitèr extrà causas, sed satis est convenire naturę sic pręcisę, & dependentèr ab operatione intellectus agentis: sicut denominatio extrinsecè cogniti convenit dependentèr ab operatione intellectus, & tamen verè realis est, & omnis res prædicamentalis est ens reale, sive existat, sive non, realiter extra causas.

Instabis primò: universalitas metaphisica, est unitas cognita, vel repræsentata; sed de-

denominatio extrinſeca deſumpta ab operatione intellectus agentis, vel ſpecie repræſentante, non eſt cognita, nec repręſentata per illam : ergò univerſalitas metaphiſica non eſt denominatio extrinſeca deſumpta ab ſpecie.

Inſtabis ſecundò : unitas extrinſeca proveniens ab actione intellectus agentis, vel ſpecie repręſentante, non poteſt conſtituere univerſale metaphiſicum formaliter : ergò nulla eſt ſolutio. Prob. ant. Nulla operatio poteſt conſtituere proprium obiectum ; ſed ſpecies illa, & operatio intellectus agentis habent univerſale metaphiſicum pro obiecto : ergò unitas extrinſeca proveniens ab actione intellectus agentis, vel ſpecie repræſentante, non poteſt conſtituere univerſale metaphiſicum formaliter.

Ad primam inſtantiam reſp. diſt. mai. repręſentata *exercite*, conc. mai. *ſignate*, neg. mai. & diſt. min. repræſentata *ſignate*, conc. min. *exercite*, neg. min. & conſeq. quia ut per actionem intellectus agentis fiat natura metaphiſicè univerſalis, ſufficit unitatem extrinſecam exercitè repræſentari per ſpeciem ab intellectu agente productum, qualiter defacto repræſentatur, ſiquidem repræſentat naturam ut exercitè à ſingularibus ſeparatam. Et ratio à poſteriori deſumitur ex eo, quod intellectus poſsibilis hac ſpecie informatus naturam ut unam cognoſcit : ergò quia in ipſa ſpecie ut una repræſentabatur : id enim attingit cognitio cognoſcendo, quod ſpecies repręſentando ; ac proindè ſi intellectus poſsibilis, illa ſpecie actuatus, naturam ut unam cognoſcit, etiam ſpecies naturam ut unam repræſentabit, non quidem cum unitate ſingulari, cum natura ſit ab individuis ſeparata, à quibus provenit ſingularitas: nec cum unitate rationis, hæc enim vel conſtituit univerſale Logicum, vel ſaltem eſt formaliter ejus fundamentum proximum, ut aliqui volunt, ſed cum unitate præciſsionis, quatenus repræſentatur, & attingitur ut à ſingularibus ſeparata.

Ad ſecundam inſtantiam reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. min. Univerſale metaphiſicum *pro materiali*, conc. min. *pro formali talis*, neg. min. & conſeq. Quia ſpecies per intellectum agentem producta, repræſentat univerſale metaphiſicum pro materiali, & ex parte rationis *quæ*, & illud habet pro obiecto, ipſam ſcilicet naturam, quæ abſtrahitur, & univerſalis di-

ci-

citur: non tamen habet pro objecto universale metaphisicum pro formali, pro forma videlicet extrinseca illud constituente, & ideó benè potest prædicta species ipsum universale pro formali constituere.

Dices: species prædicta habet pro objecto universale metaphisicum pro formali: ergò non potest ipsum pro formali constituere. Prob. ant. natura constituitur universale metaphisicum per unitatem; sed species habet pro objecto naturam ut unam: ergò habet pro objecto universale metaphisicum pro formali.

Resp. neg. ant. & ad probationem dist. maj. per unitatem *positivam*, conc. mai. *negativam*, neg. mai. & dist. min. ut unam *negativè*, conc. min. *positivé*, neg. min. & conseq. Quia species solùm habet pro objecto naturam secundum prędicata essentialia, quę prout sic nec est una, nec plures, ut sæpius diximus ex D. Th. cap. 4. de ent. & essent. non tamen habet pro objecto naturam, ut unam positivè, & positivè præcissam, & separatam à singularibus, secundùm quam rationem est universalis metaphisicé formaliter: & ità mirum non est, quod secundùm considerationem istam constituatur formaliter per speciem, & actionem intellectus agentis, aut per extrinsecam denominationem ab utraque provenientem. Et instantia est in intellectu possibili cognoscente naturam secundum se, in quo casu natura, quæ cognoscitur, & est objectum cognitionis, non est una positivè, quantum est ex ipsa natura; & tamen quia per modum unius cognoscitur, consequitur in ipsa natura ex ipso modo cognoscendi unitas præcisionis, & universalitatis, per quam, iuxta ipsos Adversarios cõstituitur universale metaphisicè formaliter.

Ex dictis constat non rectè inferri ab Adversarijs, per actionem intellectus agentis solùm fieri universale in repręsentando, non verò in essendo, & prædicando: & ratio est, quia quod aptum natum est esse in multis, & de illis prędicari, est universale in essendo, & prædicando; sed natura humana secundùm esse objectivum in intellectu agente est hujusmodi, cùm abstracta sit à conditionibus individualibus, ut ex D. Th. probatum relinquimus, & natura prout sic apta nata sit esse in multis, & prædicari de illis: ergò est universalis in essendo, & prædicando. Præterquamquod ipsa natura habet

bet eſſe in intellectu agente, tam objectivè, quam ſubjectivè, abſtractum ab omnibus conditionibus individualibus; & ſimilitèr habet rationem uniformem objectivè in prædicando, & ſubjectivè in repræſentando ad omnia individua, quæ ſunt extrà animam, prout eſſentialitèr eſt imago omnium objectivè in eſſendo, & ſubjectivè in repręſentando, quatenùs inducit in cognitionem omnium hominum, in quantum ſunt homines, prout ſic enim aſsimilantur abſque ulla diverſitate: ergò nedum in repręſentando, verum etiam in eſſendo, & prędicando fiet natura univerſalis per actionem intellectus agentis. Quod totum non obſcure docet Ang. Prącept.cap. 4. de ent. & eſſent. & Cajetanus ibi.

§. IV.

Secunda concluſio.

Fundamentum proximum univerſalis Logici formaliter fit per abſtractionem poſsitivam intellectus poſsibilis, non verò per abſtractionem negativam.

QUantum ad utramque partem, concluſio noſtra probatur: per illam actionem fit proximum fundamentum univerſalis Logici formalitèr, per quam natura redditur proximè capax relationis, qua univerſale Logicum formalitèr conſtituitur; ſed per abſtractionem poſsitivà intellectus poſsibilis redditur natura proxime capax relationis, qua univerſale Logicum formalitér conſtituitur, non verò per abſtractionem negativam: ergò per illam, & non per iſtam fit proximum fundamentum univerſalis Logici formalitér. Maj. conſtat, tùm ex dictis in 2. notabili: tùm ex eo, quod proximum fundamentum alicujus formæ illud eſt, ad quod proximè, & immediatè conſequitur ipſa forma. Min. verò prob. Per abſtractionem poſsitivam intellectus poſsibilis cognoſcuntur inferiora, à quibus fuit abſtracta natura, tanquam terminus *à quo* abſtractionis prędictæ, per abſtractionem verò negativam, nullo modo inferiora cognoſcuntur, ut patet ex 4. notabili, ſed cognitis inferioribus tanquam terminus *à quo* abſtractionis prædictæ, redditur natura proxi-

me

mè capax determinatę relationis, qua constituitur universale Logicum formalitèr, non verò illis non cognitis: ergò per abstractionem positivam intellectus possibilis, & non per negativam, redditur natura proximè capax relationis constitutivæ universalis Logici formaliter. Prob. min. Cognitis inferioribus tanquam terminus *à quo* determinatè est abstracta ipsa natura, cognoscitur etiam saltem exercitè per eandem actionem esse naturam propriam horum individuorum, illis verò non cognitis, natura manet indifferens ad hæc, vel alia inferiora; sed cognito naturam esse propriam horum individuorum, nihil deest, ut intellectus possit naturam ad hæc determinatè individua, ut ad inferiora propria formalitèr comparare, è contra verò, dum natura adhuc indifferens manet: ergò cognitis inferioribus tanquam terminus *à quo* redditur natura proximè capax determinatę relationis, qua universale Logicum formalitèr constitutitur, non verò inferioribus non cognitis.

Explicatur: Dum intellectus cognoscit naturam coloris, non cognoscendo singularia, à quibus abstrahit, natura coloris indifferens est, ut comparetur ad albedinem, & nigredinem, vel ad hominem, & equum, non enim est major ratio, quare ad hæc inferiora, vel ad illa comparetur, & consequentèr indifferens perseverat, ut intellectus illi tribuat intentionem speciei, vel intentionem accidentis quinti prædicabilis; si verò cognoscatur natura coloris cognitis etiam singularibus, homini scilicet, & equo, à quibus fuit abstracta, non manet indifferens, ut ad hæc, vel ad alia inferiora comparetur, sed potius exigit determinatè intentionem accidentis quinti prædicabilis: ergò cum per abstractionem positivam intellectus possibilis tollatur indifferentia naturæ, non verò per abstractionem negativam per illam, & non per istam fiet natura proximè capax determinatę relationis, qua constituitur universale Logicum formalitèr.

Respondent Adversarij, non esse contrâ rationem fundamenti proximi, quod natura perseveret indifferens ad unam, vel alteram relationem, nàm albedo indifferens est, ut re-

feratur per relationem ſimilitudinis ad alterum album, vel per relationem diſſimilitudinis ad nigrum, & tamen albedo eſt proximum fundamentum relationis ſimilitudinis ad alterum album. Sicut ergò albedo, poſito termino determinato relationem determinatam fundat, ità natura, quim abſtractio poſsitiva neceſſaria ſit: ergò ex quo ex vi abſtractionis negativæ natura perſeveret indifferens ad unam, vel alteram intentionem, non licet inferre non habere eſſe proximum fundamentum ex vi talis abſtractionis.

Sed contrà eſt: quia relatio realis conſequitur ad entitatem fundamenti, & ab illo dimanat naturaliter poſsito termino determinato, relatio verò rationis non conſequitur ad unitatem ſubjecti, vel fundamenti, ſed præſtatur ab intellectu iuxtà exigentiam ſubjecti; ſed dum natura non eſt proximè capax intentionis determinatæ, ſed indifferens perſeverat ad unam, vel alteram, non exigit intentionem determinatam: ergò nequit eſſe proximum fundamentum determinatę intentionis.

Inſtabis cum Adverſarijs: per illam actionem ponitur fundamentum proximum univerſalitatis Logicę, per quam natura redditur una poſsitivè, & indifferens ad plura; ſed per abſtractionem negativam intellectus poſsibilis natura redditur una poſsitivè, & indifferens ad plura: ergò per abſtractionem negativam intellectus poſsibilis ponitur proximum fundamentum univerſalitatis logicę. Maj. patet. Quia nullum aliud fundamentum præter unitatem poſsitivam, & indifferentiam ad plura deſiderat intellectus, ut tribuat naturę relationem univerſalis. Min. verò prob. Unitas excludens differentias, per quas natura dividitur, eſt unitas poſsitiva cum indifferentia ad plura; ſed per abſtractionem negativam intellectus poſsibilis redditur natura una, unitate excludente differentias, per quas natura dividitur: ergò per eam natura redditur una poſsitivè, & indifferens ad plura.

Reſp. diſt. mai. & indifferens *poſsitive* ad plura *determinata*, conc. mai. indifferens *negative* ad plura *indeterminata*, neg. mai. & diſt. min. indifferens *negative* ad plura *indeterminata*,

ta, conc. min. indifferens *positive* ad plura *determinata*, neg. min. & conseq. Quia per abstractionem negativam intellectus possibilis solum manet natura indifferens negativè ad plura indeterminata, cum adhuc possit ad hęc, vel alia inferiora indeterminatè comparari, ut diximus, inter probandam conclusionem, ad fundamentum autem proximum universalitatis Logicæ determinatè requiritur, quod natura fiat indifferens positivè ad plura determinata, ut sic subinduat intentionem determinatam universalis, quod tamen non habet natura per actionem prædictam, sed solum esse unam negativè, quandoquidem per illam nullo modo individua cognoscuntur. Et ad indifferentiā positivam requiritur terminum indifferentiæ aliquo modo cognosci, sin autem indifferentia erit purè negativa, quatenus natura ad nulla inferiora determinata est.

§. V.

Solvuntur argumenta contrà conclusionem istam.

CONtrà conclusionem istam arguitur primò: proximum fundamentum universalis Logici formaliter fit per actionem intellectus agentis: ergò non fit per abstractionem positivam intellectus possibilis. Prob. ant. fundamentum proximum universalis Logici formaliter, illud est (iuxta dicta in 2. notabili) ad cuius positionem potest statim intellectus tribuere intentionem universalis Logici; sed posita actione intellectus agentis, statim potest intellectus tribuere intentionem universalis Logici: ergo proximum fundamentum universalis Logici formaliter fit per actionem intellectus agentis. Prob. min. Posita actione intellectus agentis aufertur impedimentum ad intentionem universalis Logici; sed ablato impedimento ad intentionem universalis Logici, statim potest intellectus talem intentionem tribuere: ergò posita actione intellectus agentis, statim potest intellectus intentionem universalis Logici tribuere. Prob. mai. impedimentū ad intentionē universalis Logici, est singularitas; sed hęc aufertur per actionē intellectus agētis: ergò posita actione intellectus agentis, aufertur impedimentum ad intentionem universalis Logici.

Resp. neg. ant. & ad probat. neg. min. ad cuius probationem dist. mai. impedimen-

tum *inadæquatum*, conc. mai. *adæquatum*, neg. mai. & diſt. min. impedimento *adæquato*, conc. min. *inadæquato*, neg. min. & conſeq. Quia per actionem intellectus agentis, ſolùm tollitur ſingularitas, quæ eſt impedimentum inadęquatum intentionis univerſalis: non tamen aufertur adęquatum impedimentū, indifferentia videlicet naturæ, ut ad hęc, vel alia inferiora indeterminatè comparetur: ideoquè quamvis ſingularitas auferatur per actionem intellectus agentis, non infertur proximum fundamentum per talem actionem poni.

Inſtabis: relatio univerſalis Logici, non petit pro fundamēto proximo naturam, ut cognitam in ordine ad individua, ut ad terminum *à quo*: ergò totum requiſitum ad prędictum fundamentum ponitur per actionem intellectus agentis. Prob. ant. una relatio rationis non poteſt ſuprà alteram fundari; ſicut etiam una relatio realis nequit fundari ſuprà aliam; ſed natura cognita in ordine ad individua, ut ad terminum à quo, importat relationem rationis: ergò relatio univerſalis Logici non petit pro fundamento proximo naturam cognitam in ordine ad individua, ut ad terminum *à quo*.

Reſp. neg. ant. & ad probat. neg. mai. Ratioque diſcriminis eſt; quia relatio realis, naturaliter à fundamento dimanat, & fundamentum habet efficientiam illam, quæ quidem efficientia repugnat relationi rationis propter ſuā minimam entitatem, & propterea una relatio realis ſuprà alteram fundari non poteſt: fundamentum verò relationis, non importat efficientiam reſpectu formę fundatæ, ſed ſolùm exigentiam illius, quæ quidem exigentia non repugnat relationi rationis, & ideò una relatio rationis ſuprà alteram fundari poteſt. Qualitèr autem natura abſtracta dicat ordinem ad individua, concluſione ſequenti videbimus.

Secundò arguitur: per abſtractionem poſitivam intellectus poſsibilis, non fit natura proximè capax intentionis determinatę: ergò per illam non ponitur proximum fundamentum intentionis univerſalis. Prob. ant. Natura albedinis v. g. ut abſtracta poſſitivè ab individuis, indifferens eſt ad hanc, vel alteram intentionem: ergo non eſt proximè capax intentionis determinatę. Prob. ant. natura albedinis, ut abſtracta poſsitivè à Petro, & Paulo, indifferens perſeverat, ut comparetur ad Petrum, & Paulum,

& ità subinduat intentionem quinti prædicabilis, vel ut cõparetur ad hanc, & illam albedinem, & ità subinduat intentionem speciei: ergò natura albedinis, ut abstracta positivè ab individuis, indifferens perseverat ad hanc, vel alteram intentionem.

Resp. neg. omnia antecedentia. Nam motus abstractionis, & comparationis, est motus intellectualis circularis; in motu autem circulari illud idem est terminus *ad quem*, quod in principio fuit terminus *à quo*: ideòque individua, quę sunt terminus *à quo* abstractionis, debent esse terminus *ad quem* comparatur ipsa natura. Undè natura semel abstracta à Petro, & Paulo, & ut talis cognita, non est indifferens, ut comparetur ad alia inferiora, sed determinatè debet ad Petrum, & Paulum comparari.

Instabis: Natura albedinis abstracta à Petro, & Paulo, non solùm potest comparari ad Petrum, & Paulum, sed etiam ad hoc, & illud album: ergò nulla est solutio. Prob. ant. Natura albedinis abstracta ab uno individuo, potest comparari ad omnia individua ejusdem rationis: ergò etiam abstracta à Petro, & Paulo poterit comparari, non solùm ad Petrum, & Paulum, sed etiam ad hoc & illud album.

Resp. neg. ant. & ad probat. neg. conseq. Quia omnia individua ejusdem rationis conveniunt in participando eandem naturam, & ideó natura abstrahitur ab uno individuo secundùm convenientiam, quam habet cum alijs ejusdem naturæ. Prętereaquè ad omnia ejusdem rationis comparari potest, non tamen abstrahitur natura albedinis à Petro, & Paulo, secundùm quod conveniunt in ratione albi signatè sumpta cum alijs diversæ rationis, sed solùm quatenùs sunt albi accidentaliter exercitè, in quo conveniunt Petrus, & Paulus cum alijs individuis naturæ humanæ, ideoquè ad omnia illa comparari potest, non tamen ad alia, quæ diversæ rationis sunt.

§. VI.

Tertia conclusio.

Universale Logicum formaliter fit per actionem simplicem comparativam.

Conclusionem istam pluribus in locis docet Ang. Doct. præcipue 1. p. q. 28. art. 1. in corpor. ubi asserit, quod *respectus significatus*

per ea, quæ dicuntur ad aliquid, eſt tantum in ipſa apprehenſione rationis conferentis unum alteri, ſicut cum comparat hominem animali, ut ſpeciem ad genus. Et in reſp. ad 4. ait: quod *relationes, quæ conſequuntur ſolam operationem intellectus in ipſis rebus intellectis, ſunt relationes rationis tantum, quia ſcilicet eas ratio adinvenit inter duas res intellectas.* Et q. 7. de potent. art. 11. initio corp. inquit: *relatio rationis conſiſtit in ordine intellectum. Quod quidem poteſt contingere ſecundum quod iſte ordo eſt adinventus per intellectuum, & attributus ei, quod relativè dicitur. Et huiuſmodi ſunt relationes, quæ attribuuntur ab intellectu rebus intellectis, prout ſunt intellectæ, ſicut relatio generis, & ſpeciei. Has enim relationes ratio adinvenit conſiderando ordinem eius, quod eſt in intellectu ad res, quæ ſunt extrà, vel etiam ordinem intellectuum adinvicem.* Ad denique 1. Periherm. lect. 10. lit. b. loquens in ſpecie de relatione; ſeu intentione univerſalitatis, docet, quod *huiuſmodi intentiones format intellectus, attribuens eas naturæ intellectæ, ſecundum quod comparat ipſas ad res, quæ ſunt extrà animam.* In quibus verbis duo nobis à D. Th. traduntur; ſcilicet, univerſale Logicum (cujuſmodi ſunt genus, & ſpecies) conſiſtere in relatione rationis ad inferiora, & prædictam relationem fieri per actum comparativum, non quo aliquid alicui ut ſubjecto attribuitur, ſed ad aliquid, ut ad terminum ordinatur: ut etiam docet loc. cit. 1. p. in reſp. ad 1. per hęc verba: *propria ratio eius, quod ad aliquid dicitur, non accipitur per comparationem ad illud, cui in eſt relatio, ſed per reſpectum ad alterum.*

Ratione verò probatur concluſio noſtra: forma conſtitutiva univerſalis Logici, eſt relatio, qua natura reſpicit inferiora, nàm univerſale Logicum, eſt formalitèr unum in multis, quod quidem neceſſariò importat formalitèr ordinem unius ad multa; ſed relatio prędicta fit per actionem ſimplicem comparativam: ergò per eandem fit Logicum univerſale formaliter. Prob. min. Relatio prędicta fit quando natura cognoſcitur cum ordine ad individua, ad quæ tamen realiter ordinata non eſt; ſed natura cognoſcitur cũ ordine ad individua, quando formaliter per actionem intellectus comparatur ad illa: ergò relatio, qua natura reſpicit inferiora fit formaliter per actionem ſimplicem comparativam.

Reſ-

Respondent contrarij, relationem prædictam non fieri per actionem simplicem comparativam, sed per abstractionem positivam intellectus possibilis, per quam natura cognoscitur in ordine ad individua, ut ad terminum *à quo*, qua mediante ponitur formaliter proximum fundamentum relationis, ex quo resultat absque aliqua nova actione ipsâ naturæ ad inferiora relatio.

Sed contra est: quia universale Logicum est natura respiciens plura, tanquam terminum *ad quem*, non quidem à parte rei, sed in esse tantum cognito, aut in esse objectivo. Sed natura solum formaliter respicit plura in esse objectivo, quando formaliter comparatur ad ea, vel cognoscitur in ordine ad illa, quod solum habetur per actum comparativum, non verò per positivam abstractionem intellectus possibilis, per quam solùm cognoscuntur individua à parte rei, & natura tantum dicit ordinem ad illa, ut ad terminum a quo prædictæ abstractionis: ergò universale Logicum formaliter tantum fit per actionem simplicem comparativam, & non per actum absolutum, abstractionem scilicet positivam intellectus possibilis.

Deinde: esse actuale, & formale relationis rationis, consistit in actualiter cognosci objectivè, quod non provenit ex fundamento, & termino, sed ex intellectu; ad distinctionem relationis realis, quæ ex fundamento, & termino naturaliter resultat: ergò, cum per actum absolutum actu non cognoscatur relatio, siquidem non cognoscitur in ordine ad terminum, ad quem comparatur, benè verò per actum comparativum per istum, & non per illum fiet relatio rationis constitutiva universalis Logici formaliter.

§. VII.

Solvuntur argumenta contrà conclusionem istam.

COntrà conclusionem istam arguitur primò: intentio universalis fit per actionem intellectus agentis: ergò non per actionem simplicem comparativã. Prob. ant. ex D. Th. 1. p. q. 85. art. 2. ad 2. ubi ait: *quod ad ipsum abstrahi sequitur in natura intentio universalitatis*; sed abstrahere est intellectus agentis: ergò per ejus actionem fit intentio universalitatis.

Resp. neg. ant. & ad probat. explico maj. universalitatis *metaphisicæ*, conc. mai. *Logicæ*, subdist. sequitur *mediatè*, transeat mai. *immediate*, neg. mai. quia per actionem in-

intellectus agentis ſolùm fit intentio univerſalitatis metaphiſicę, unitas ſcilicet naturæ communis conveniens illi ex vi abſtractionis à ſingularibus, ut loco cit. indicat D. Th. nàm poſt verba in argumento relata, ſubdit: quod *humanitas apprehẽdatur ſine individualibus cõditionibus accidit humanitati ſecundũ quod percipitur ab intellectu, in quo eſt ſimilitudo naturæ ſpeciei, & non individualium principiorum.* Dum autem procedit D. Th. de intentione rationis, & aſſerit eam conſequi ad abſtractionem intellectus, de ſequela mediata intelligendus eſt; quia ad abſtractionem prędictam non ſequitur immediatè talis intentio, ſed mediante conſideratione intellectus, & actione comparante naturam abſtractam ad inferiora ſua, ut clariſsimè infertur ex locis D. Th. in concluſione aſsignati.

Inſtabis: Natura ſic abſtracta per intellectum agentem, eſt una negativè; ſed natura tali gaudens unitate eſt univerſalis Logicè: ergò per actionem intellectus agentis fit univerſale Logicum formaliter. Prob. min. Natura realitèr à ſingularibus ſeparata tantum eſſet una negativè, & tamen eſſe Logicè univerſalis: ergò natura unitate gaudens negativa Logicè univerſalis eſt.

Reſp. neg. min. & ad prob. dicimus cum communiori doctrina, quod ſi daretur natura realiter à ſingularibus ſeparata, ut ponebat Plato, (cujus poſitionem, ut à veritate alienam damnavimus cum D. Th. art. 1. hujus libri) dicere poſitivum reſpectum ad illa, ut à quibus participari poſſet, natura vero per intellectum agentem abſtracta, ſolùm dicit non repugnantiam ad plura, ut ab illis participetur, ordo namque poſsitivus ad plura, & relatio rationis, quæ non datur, uſque quò intellectus cognoſcat naturam, illam ad plura referendo: & ideò diſpar eſt ratio.

Dices: natura abſtracta per intellectum agentem, dicit relationem ad multa: ergò erit Logicè univerſalis. Prob. ant. Natura multorum dicit relationem ad multa; ſed natura abſtracta per intellectum agentem, eſt natura multorum: ergò dicit relationem ad multa.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. mai. relationem ad multa, *ſi ad illa comparetur*, conc. mai. *ſi ab illis penitus abſtrahatur*, neg. mai. & conceſſa min. neg. conſeq. Nàm cum univerſale ſit unum verſus multa, tunc ſolum natura multorum dicit relationem ad mul-

multa, quando fit versus multa, & accedit ad illa; hoc autem solum fit per comparationem naturæ ad individua, ut in quibus potest esse, per abstractionem enim non accedit natura ad individua, sed potius ab illis recedit.

Secundò arguitur: relatio ad plura, non potest constituere universale Logicum: ergò quamvis relatio prædicta fiat per actionem simplicem comparativam, non indè infertur universale Logicum per talem actionem fieri. Prob. ant. Universale Logicum prædicatur de inferioribus suis; sed relatio rationis de inferioribus non prędicatur: ergò nequit constituere Logicum universale. Prob. min. Petrus est relatio rationis, & Paulus est relatio rationis, sunt falsę propositiones: ergò relatio rationis de inferioribus non prædicatur.

Resp. neg. ant. & ad probat. dist. mai. universale *pro subſtracto*, conc. mai *pro formali*, neg. mai. quia, quod prædicatur de suis inferioribus, non est ipsa forma rationis, sed natura, quæ universalis constituitur per illam, & prædicatur ut quod de suis inferioribus: ipsa verò relatio solùm est ratio, vel. condit o, ut natura prædicetur. Solutio est D. Th. opusc. 56. propè medium, & cap. 4. de ent. & essent. ubi ipse videri potest.

Instabis: relatio rationis, nequit esse ratio, quare natura illi subjecta universaliter prędicetur: ergò nullatenùs constituere potest universale Logicum formaliter. Prob. ant. Relatio prædicta est in se unica, & singularis: ergò nequit esse ratio, quarè natura illi subjecta universaliter prædicetur, sicut è contrà forma universalis nequit esse ratio constitutiva rei singularis.

Resp. neg. ant. & ad probat. dist. ant. singularis *ut quod*, conc. ant. *ut quo*, neg. ant. quia licet relatio illa in se ipsa sit res quędam singularis, tamen naturam, quam afficit, universalem reddit, quia naturam esse universalem Logicè, nihil aliud est, quam esse aptam ad existendum in pluribus, & talem aptitudinem habet natura communis à relatione, qua respicit inferiora, ac proindè prędicta relatio *ut quo* est universalis Logicè. Nec probatio inducta aliquid in contrarium suadet: nam singulare constituitur per formã determinantem ad unum, & cum forma universalis non determinet ad unum, indè fit non posse singulare per formã universalem constitui: verùm, cum forma constitutiva universalis sit, quę reddit naturam

ram aptam ad exiſtendum in pluribus, & de illis prædicari, & relatio rationis, licet in ſe ſingularis, naturam aptam reddat, ut in pluribus exiſtat, & de illis prędicetur, optimè poteſt eſſe ratio, quare natura illi ſubjecta univerſalitèr prædicetur.

Dices: prædicta relatio non reddit naturam aptam, ut in pluribus exiſtat, & de illis prędicetur: ergò non eſt univerſalis *ut quo*. Prob. ant. Antequam natura per comparationem referatur ad plura, eſt apta ad eſſendum in pluribus, & de illis prędicari: ergó relatio non reddit naturam aptam ut in pluribus exiſtat, & de illis prædicetur. Prob. ant. ideò natura per comparationem reſpicit plura, quia in illis poteſt eſſe, & de illis prędicari: ergò ante relationem eſt apta ad eſſendum in pluribus, & de illis prædicari.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. ant. eſt apta *negativè*, conc. ant. *poſitivè*, neg. ant. & conſeq. Quia antequã natura per comparationem ad plura referatur, ſolùm habet aptitudinem negativam, vel non repugnantiam ad illa, non tamen habet aptitudinem poſitivam, uſque dũm referatur ad illa, & ideò antequã referatur, non eſt Logicè univerſalis, eo quod univerſalitas Logica conſiſtit in habitudine naturæ ad plura, ut in quibus poteſt eſſe, quę ſine relatione intelligi non valet: undè cum dicitur, quod ideó natura per comparationem reſpicit plura, quia in illis poteſt eſſe, & de illis prædicari, ly *quia* non denotat ſequelam phiſicam, aut fundamentum comparationis, ſed ſolùm ſequelam Logicam, & illationis, quatenùs ab uno ad alterum eſt bona conſequentia, ut cum dicimus Petrum eſſe Patrem, quia reſpicit filium, ly *quia* non importat cauſam, aut fundamentum, ſed Logicam illationem.

Tertiò arguitur: poſito fundamento proximo, & termino, abſque aliqua nova actione debet reſultare relatio; ſed per abſtractionem poſitivam intellectus poſsibilis ponitur proximum fundamentum, & terminus relationis: ergò per illam fit Logicum univerſale formaliter, abſque eo quod deſideretur actio ſimplex comparativa. Prob. min. Per talem actionem nedum cognoſcitur natura ut una, quæ eſt proximũ fundamentum, ſed etiam cognoſcuntur inferiora: ergò per illam ponitur proximum fundamentum, & terminus relationis.

Reſp. diſt. maj. debet reſul-

ſultare relatio *realis*, conc. mai. relatio *rationis*, neg. mai. & min. ad cuius prob. diſt. ant. inferiora *tanquam terminus à quo*, conc. ant. *tanquam terminus ad quem*, neg. ant. & conſeq. quia relatio rationis non dimanat à fundamento ſequela naturali (ſicut relatio realis, ad quam nec datur per ſe motus, nec datur per ſe actio, utpotè reſultans ex actione, qua ponitur fundamentum) ſed fit per illam actionem, qua practicè cognoſcitur: & cum cognitio relationis, utpotè comparativa, diverſa ſit à cognitione fundamenti, quæ abſoluta eſt, fit conſequens præter cognitionem fundamenti exigi novam actionem, ut relatio rationis reſultare poſsit. Præterquamquod, ut reſultet relatio, debent cognoſci inferiora tanquam terminus *ad quem*, ſic enim terminant relationem naturæ; & per abſtractionem poſsitivam ſolùm cognoſcuntur tanquam terminus *à quo*, & ideò per talem actionem non ponitur terminus relationis formaliter.

Inſtabis: per actionem prædictam cognoſcuntur inferiora, ut *in quibus* poteſt eſſe natura: ergò cognoſcuntur tanquàm terminus *ad quem*. Prob. ant. non poſſunt inferiora cognoſci, niſi cognoſcatur natura, ut exiſtens in illis; ſed per actionem illam cognoſcuntur inferiora: ergò cognoſcuntur etiam ut in quibus eſt natura, vel in quibus poteſt eſſe. Prob. maj. non poſſunt inferiora cognoſci, niſi cognoſcantur ut includentia naturam: ergò non poſſunt cognoſci, niſi cognoſcatur natura ut exiſtens in illis. Prob. ant. inferiora conſtituuntur per incluſionem naturę, quæ veré eſt prædicatum eſſentiale illorum: ergò non poſſunt cognoſci, niſi cognoſcantur ut includentia naturam.

Reſp. neg. ant. & ad prob. neg. mai. ad cuius probat. diſt. ant. inferiora *phiſicè ſumpta*, conc. ant. *Logice conſiderata*, neg. ant. & applicata eadem diſtinctione probationi ant. neg. utraque conſeq. Quia licet inferiora phiſicè ſumpta, & in re, & includant naturam, & per illam conſtituantur formalitér, Logice tamen, & in ratione inferiorum, non conſtituuntur per incluſionem naturæ, nec natura eſt prædicatum eſſentiale illorum prout ſic, ſed ſolùm conſtituuntur per reſpectum ſubijcibilis ad naturam ſuperiorem, ut dictum eſt §. ult. art. precedentis. Unde ſicut natura ſuperior, licet in re ſit idem cum inferio-

riori in ratione superioris cognoscitur sine inferiori; ità inferiora esto in re includant, & identificentur cum superiori, respiciuntur à superiori, non per inclusionem naturæ superioris in ipsis, sed per subjectionem illorum ad naturam superiorem. Ac demùm per abstractionem positivam intellectus possibilis solùm cognoscuntur inferiora contractionis; contractio autem solum facit singularia metaphisica, sicut & abstractio universale metaphisicum: non tamen facit inferiora Logica, quę actu sunt talia sub formalitate inferiorum, quando cõsiderantur, quod actu eis convenit posse includere, & contrahere superiùs suam, prout sic enim terminans relationem superioris, non verò quando actu includunt, tùnc enim dissipatur distinctio superioris, & inferioris.

§. VIII.

Corollaria ex dictis.

EX dictis colligitur primò: Universale Logicum non fieri per actionem comparativam compositam; quia comparatio composita est actualis prędicatio naturæ de inferioribus suis; sed actualis prędicatio supponit universale: ergó universale non fit per actionem comparativam compositam. Prob. min. Actualis prędicatio supponit naturam unam & aptam possitivè ad essendum, & prędicandum de pluribus, nàm potentia prior est actu: ergò actualis prædicatio supponit universale. Insuper prædicatio actualis supponit prędicabile; sed prędicabile supponit universale: ergó actualis prædicatio universale supponit.

Instabis: Universale Logicum fit per actum, quo cognoscitur natura ut una in pluribus; sed hic actus est comparatio composita: ergò universale Logicum fit per actionem comparativam compositam. Prob. min. Quando concipitur natura ut una in pluribus, concipitur ut identificata cum illis; sed solum per comparationem compositam concipitur natura identificata cum suis inferioribus, cùm sola prędicatio importet identitatem prædicati cum subiecto: ergò actus, quo cognoscitur natura ut una in pluribus, est comparatio composita.

Resp: dist. mai. ut una in pluribus *aptitudine*, conc.mai. ut una in pluribus *actu*, neg. mai. Nàm actus, quo fit universale Logicum formalitèr non est illa, quo natura cognos-

noscirur, quatenùs existit actualitèr in pluribus, sed quo cognoscitur ut apta ad essendum in illis, qui quidem actus debet esse simplex comparatio. Et ratio est, quia comparatio composita, vel attribuit naturam cognitam inferioribus, vel attribuit relationem ipsi naturæ cognitæ; primum non est ad rem, ut inquit Mag à S. Thoma: quia prędicatio naturæ de inferioribus suis facta per comparationem compositam solum facit actu prędicatum, sed prædicatum supponit prędicabile, & prędicabile supponit universale: ergò ante talem actionem supponitur iam factum universale Logicum. Si secundum, non facit relationem, sed illam iam factam supponit, quia in subjecto ponit, & non ordinat ad terminum, quod proprium est relationis, ut relatio est: relinquitur ergò, quod solùm per actionem simplicem comparativam fiat formalitèr Logicum universale.

Dices: Universale Logicum formalitèr fit per actum, quo cognoscitur natura, quatenùs existit actualiter in pluribus: ergò fit per comparationem compositam. Prob. ant. Conservatio est continuata productio; sed actus quo cognoscitur natura, quatenùs existit actualitèr in pluribus, conservat universalitatem Logicam, iuxta communiorem sententiam: ergò per illum fit Logicum universale formalitèr.

Resp. neg. ant. & ad probat. dist. mai. conservatio *directa* est continuata productio, conc. mai. *indirecta*, neg. mai. & dist. min. conservat *indirectè*, conc. min. *directè*, neg. min. & conseq. Dupliciter namque aliquid rem aliquam in esse conservare potest, ut inquit D. Th. 1. p. q. 104. art. 1. & 2. uno modo indirectè, & per accidens, per hoc, quod removet, vel impedit actionem corrumpentis; alio modo directè, & per se, quia ab eo dependet esse alteriùs, ita ut sine eo esse non possit, sicut à causa dependet effectus. Primò modo conservatio non est continuata productio, aliàs dum aliquis custodit puerum, ne cadat in ignem, produceret ipsum puerum: & sal impediens carnes à putrefactione, etiam produceret carnem. Secundò autem modo conservatio est continuata productio, quia cessante actione conservativa agentis, quod est causa effectus, non solùm secundùm fieri, sed etiam secundùm esse, nec esse rei potest remanere. Nunc sic; sed actualis prædicatio in communiori sententia, solum removet,

vet , & impedit differentias corrumpentes univerſalitatẽ, cum tantum ſervet naturam à differentijs præciſſam : ergó ipſa non poteſt univerſalitatẽ producere.

Secundò colligitur , *univerſale Logicum non fieri per actionem comparativam diſcurſus* ; quia diſcurſus ſupponit prædicationem , cum ex propoſitionibus fiat ; ſed prædicatio ſupponit factum univerſale Logicum: ergo etiam diſcurſus ipſum jam factum ſupponit.

Inſtabis: facere univerſale Logicum , eſt cognoſcere unum in multis, & de multis; ſed dùm diſcurſu probamus naturam eſſe unam in multis , & de multis , cognoſcimus naturam ut unam in multis , & de multis : ergó univerſale Logicum fit per actionem comparativam diſcurſus.

Reſp. diſt. mai. eſt cognoſcere *practicè* , conc. mai. *ſpeculativè* , neg. mai. & diſt. min. cognoſcimus *ſpeculativè*, conc. min. *practice*, neg. min. & conſeq. Quiá dúm diſcurſu cognoſcimus , & judicamus univerſalitatem convenire naturæ , non facimus univerſale , ſed illud factum, vel factibile ſupponimus per actionem exercitè comparantem naturam ad inferiora ; non enim eſt neceſſe in actu ſignato cognoſcere relationem univerſalitatis , & illam attribuere naturæ , ſed ſufficit , quod in ipſo exercitio extrema relationis cognoſcantur comparativè unum ad aliud : ſicut relatio prędicati non fit per actum , quo probatur animal eſſe prędicatum , ſed per actum , quo in exercitio comparatur animal ad hominem, tanquam ad ſubiectum. Quod idem de alijs relationibus rationis dicendum eſt.

Tertiò colligitur , *eſſentiam univerſalis in eo conſiſtere , quod natura cognoſcatur ut una apta ad eſſendum in pluribus* ; illam verò concipi, ut de illis prędicabilem non eſſe eſſentiam univerſalis , ſed paſſionem illius ; quia eſſe prędicabilem de inferioribus ſupponit naturam aptam ad eſſendum in illis, & conſequentèr naturam univerſalem ſupponit.

Inſtabis : prædicabilitas eſt eſſentia univerſalis logici: ergó eſſentia univerſalis logici conſiſtit in eo , quod cognoſcatur natura ut prędicabilis in pluribus. Prob. ant. primò. Univerſale denominatur Logicum , quatenùs eſt prædicabile : ergò prędicabilitas eſt eſſentia univerſalis Logici.

Secundò prob. ant. Prędicabilitas de pluribus , eſt per-

perfectior aptitudine ad essendum in illis; sed essentia perfectior est proprietatibus: ergò prędicabilitas, & non aptitudo prędicta est essentia universalis Logici. Prob. mai. Actualis prædicatio est perfectior, quam existentia naturę in pluribus, siquidem actualis prædicatio fit per judicium intellectus, qui actus perfectior est, quam apprehensio, per quam natura cõcipitur, quatenùs in inferioribus est: ergò etiam prędicabilitas de pluribus perfectior erit, quam aptitudo ad essendum in illis, quia sicut actus excedit actum, ità potentia debet potentiam excedere.

Resp. ad instantiam, neg. ant. & ad primam probationem dicimus, universale nedùm pertinere ad Logicam, quatenùs est prædicabile, sed etiam, & per se primò ad illam pertinere secundùm rationem formalem universalis, quam Logica per se primò considerat, & ad quam rectè statuendam per se primò dirigit intellectum.

Ad secundam probationem ant. resp. neg. mai. & ad probationem neg. ant. & conseq. Quia ex quo actualis prædicatio terminet judicium intellectus, solùm infertur in ratione termini esse perfectiorem, quatenùs perfectiorem terminat actum, non tamen esse perfectiorem absolutè, & comparativè ad actum, quo natura existit in inferioribus suis.

LIBER QUARTUS

de Prædicabilibus maximè conducens ad Prædicamentorum notitiam; & in eo Quæstio prima de Comparatione universalis ad qninque prædicabilia.

AUthor huius libri fuit Porphirius, natione Tirius, & professione Philosophus Platonicus, qui (ut refert Suidas) floruit temporibus Aureliani, & Diocletiani Imperatorum circà annum Domini 280. Hic cum esset Christianus, iram ad versus quosdam Christianos non ferens, à quibus in Cæsarea Palestinæ cęsus fuerat, Christianismum desecuit per furorem, ut habetur ib. 7. historiæ tripartitæ. Undè inter alia plurima opera, quindecim libros adversus Christianam religionem evomuit. At, cum in Sicilia stipendia faceret Philosophiæ, à Chrysanto Romano patritij ordinis requisitus, ut, quoniam Prædicamenta Aristotelis sibi obscura erant, instruere ipsum

vellet, quatenùs valeret prædictam Aristotelis doctrinam assequi, præsens opusculum edidit, quod inscripsit Isagogè ad Aristotelis Categorias, id est introductio ad Aristotelis prædicamenta.

ART. I.

Utrum universale dividatur adæquatè in quinque prædicabilia?

§. I.

Explicatur sensus difficultatis, & statuitur affirmativa conclusio.

CUm omnia prædicabilia prædicentur, vel *in quale*, vel *in quid*, antequam ad ea in particulari descendamus, prædictos terminos explicare debemus. *Quid* significat substantiam, & essentiam; *quale* verò significat accidens qualificans, & determinans. Est igitur prædicari in *quid*, prædicari essentialitèr, & substantive: essentialitèr quidem, quia res, quę prædicatur, est de essentia subiecti; & substantivè, quia prædicatur per modum per se stantis: ut cum dicitur, *Petrus est homo*, aut *homo est animal*, in quibus propositionibus *homo*, & *animal* essentialitèr ex parte rei, & substantivè ex parte modi, de suis subjectis prædicantur. Prædicari in *quale* etiam contingit dupliciter, nempè ex parte rei, dùm res, quæ prædicatur, est qualitas, vel accidens, & ex parte modi, quia prædicatur adiectivè, & per modum formæ alterum determinantis; undè in his propositionibus *homo est risibilis*, *homo est albus*, risibile, & albū prædicantur in *quale* de homine, tàm ex parte rei, quam ex parte modi: in hac verò *homo est rationalis*, rationale non prædicatur in *quale* ex parte rei, quia rationalitas non est accidens, sed potius de essentia hominis, sed solùm ex parte modi, prædicatur enim adiectivè, & per modum formæ determinantis rationem communem animalis. Quapropter genus, & species in eo *quod quid* prædicantur; differentia autem prædicatur in quale quid, propriū verò, & accidens absolutè prædicantur in *quale*, eo quod prædicari in *quale* sine ullo addito, & absolutè prolatum formæ accidentalis proprium est.

Modò autem prœmittendum est, universale, & prædicabile debere esse omninò unum, & consequenter univocum, ex quo habetur ana-

lo-

loga, & æquivoca non esse vere prædicabilia: prima quidem, quia sunt partim eadem, & partim diversa, & non omnino una, secunda verò, quia totaliter diversa sunt, & solum habent unitatem in eo, quod est per eandem vocem significari. Et exindè etiam colligitur prædicata transcendētia non esse prędicabilia, vel quia transcendentia causat analogiam, vel quia præcisionem perfectam tollit: & similiter habetur indè, prædicata negativa, & prædicata complexa prædicabilia non esse; negativa, quia aliquam transcendentiam important, & non dicunt de suis inferioribus quid sint, vel qualia sint, sed potius quid non sint: complexa verò, quia non habent unitatem talem simpliciter, complexis enim duplex conceptus, & non unicus correspondet. Et tandem habemus prędicata incompleta, sicut anima, & materia, vel punctum indivisibile non esse prædicabilia, eo quod prædicabilia sunt prædicata completa.

Similitèr observandum est, universale, & prædicabile posse accipi pro natura, quę substernitur universalitati, & prædicabilitati, & pro intentione universalitatis, & prędicabilitatis; dùm autem inquirimus, an universale dividatur adæquatè in quinque prædicabilia, solum est nobis sermo de universali, & prædicabili sumpto pro intentione universalitatis, & prædicabilitatis, non tamen de natura, quę huiusmodi intentionibus substernitur: natura enim, quę substernitur, non est aliquid certum, & determinatum, cum possit esse aliquid reale, vel rationis, substantia, vel accidens, ipsa verò intentio aliquid certum, & determinatum est.

His ergò prælibatis, aliqui plurima congerunt prædicabilia, alij verò minorant: sed cum Porphirio, cuius authoritas specialitèr in materia præsenti valde commendatur, & Ang. Pręcept. opusc. 48. cap. 1. quinque tantùm prædicabilia assignamus, asserentes genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens exhaurire omnem rationem prædicabilitatis. Ideoque hæc erit.

§. II.

Nostra conclusio.

Universale adæquatè dividitur in quinque prædicabilia.

PRobatur conclusio nostra ra-

tione: Tot sunt prædicabilia, quot sunt modi prædicandi superioris de inferiori per modum prædicati univoci, completi, positivi, & incomplexi; sed in modi sunt quinque, & non sunt plures, quam quinque: ergò prædicabilia sunt quinque, & non sunt plura, quàm quinque, & consequenter est adæquata divisio. Prob. min. Prædicatum superius univocum, vel prædicatur dicendo totam essentiam, sicut homo prædicatur de Petro, & Paulo, & ità est species: aut dicit partem essentiæ determinabilem, sicut animal dicit partem, aut rationem communem hominis determinabilem per ipsius specificam differentiam, & sic est genus: vel dicit partem determinantem essentiam, sicut rationale dicit differentiam essentialitèr determinantem rationem genericam animalis, & sic est prædicabile differentiæ: vel prædicatur ut accidens proprium dimanans ab essentia, & necessariò cum illa cõjunctum, & sic est proprium quartum prædicabile: vel tandem est accidens, quod ab essentia non dimanat, sed advenit contingenter, sicut esse album, & sic est prædicabile quintũ; sed præter modi istos prædicandi, non est assignabilis alius, sed potius omnes reduc-

cuntur ad istos, ut docet D. Th. 1. contr. gent. cap. 32. ergò modo prædicandi superioris de inferiori per modum prædicati univoci, completi, positivè, & incomplexi sunt quinque, & non sunt plures quam quinque.

§. III.

Argumentis contrariorum occurritur.

COntra conclusionem arguitur primò: Universale adæquatè dividitur in duo prædicabilia: ergò divisio universalis in quinque prædicabilia bona, & adæquata non est. Prob. ant. Universale adæquatè dividitur in prædicabile essentialitèr, & in prædicabile accidentalitèr, nam omne, quod prædicatur, essentialitèr, aut accidentalitèr prædicatur: ergò adæquatè dividitur in duo prædicabilia.

Resp. neg. ant. & ad probat. dist. ant. in prædicabile essentialiter, & accidentaliter, *tanquam in genera, vel species subalternas*, conc. ant. *tanquam in species infimas*, neg. ant. & conseq. Quia universale dividitur in hæc duo prædicabilia assignata, tanquàm in species subalternas divisibiles in alias species infimas, quę

quæ quidem ſpecies infimę adæquatè dividentes ſunt quinque aſsignatę, & non plures, vel pauciores, & ita prætata diviſio adæquata eſt.

Inſtabis: ſi quinque prędicabilia ſunt ſpecies infimæ, plura debent eſſe, quam quinque: ergo vel dividitur adæquatè in illa duo, vel dividitur in plura, quam quinque. Prob. ant. Sicut prædicatio in *quid* dividitur in prædicationem de pluribus differentibus ſpecie, quę eſt genus, & de pluribus differentibus numero, quæ eſt ſpecies; ità prædicatio in *quale quid* poteſt dividi in id, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, ſicut differentia ſubalterna, in id, quod prædicatur de pluribus differentibus numero, ſicut differentia athoma; ſimilitèr genus dividi poteſt in ſupremum, & ſubalternum: ergo ſi quinque prædicabilia ſunt ſpecies infimæ, plura debent eſſe, quàm quinque.

Reſp. neg. ant. & ad probationem dicimus, quod genus, & ſpecies non diſtinguuntur formalitèr, quia genus prędicatur de pluribus differentibus ſpecie, & ſpecies de pluribus differentibus numero, cum idem genus prædicetur de ſpeciebus, & individuis diverſis, & ſimilitèr eadem differentia, & proprietas generica: ſed formalitèr diſtinguuntur, quia genus prædicatur in *quid* incompletè, dicens partem detetm inabilem, & potentialem eſſentiæ; ſpecies verò prædicatur in *quid* completè, dicens totam eſſentiam, & quidditatem: tota autem quidditas, non niſi de pluribus individuis prędicari poteſt, non quia explicet totum, quod eſt in individuis, etiam per modum ſingularitatis, ſed totum, quod pertinet ad quidditatem in individuis. Differentia autem, ſivè ſubalterna, ſivè athoma, ſemper habet eundem modum prædicandi, cum utraque prędicetur in *quale quid*, dicens partem eſſentiæ actualem, & determinantem formalitèr, de materiali ſe habente, quod illa prædicetur de pluribus differentibus ſpecie, hæc verò de pluribus numero differentibus. Similiterquè genus ſupremum, & ſubalternum, habent eundem modum prædicandi in eo *quod quid* incompletè: conſequenterque non debent aſsignari plures ſpecies infimę prædicabilium, quã quinque.

Dices: Differentia ſubalterna, & athoma dicunt relationes diverſas formalitèr: ergô conſtituunt prędicabilia formalitèr diſtincta, ac proinde erunt ſaltim ſex

ſpecies infimæ prędicabilium. Prob. ant. Differentia ſubalterna, & athoma, reſpiciunt terminos diſtinctos formalitèr; videlicet, plura differentia ſpecie, & plura numero differentia: ergò dicunt relationes diverſas formalitèr.

Reſp. neg. duo anteced. Utraque enim differentia reſpicit ſolùm terminum realiter diverſum, & quatenùs terminat eundem modum formaliter prædicandi, quod formaliter ſe habet in terminando relationem differentiæ; inferiora verò eſſe numero, vel ſpecie diſtincta, de materiali ſe habet: ſicut eſſe Philoſophum pertinet ad quintum prædicabile, ad quod etiam pertinet eſſe album, & utrumque reſpicit eundem terminum pro formali, quatenùs album prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, & eſſe Philoſophum, cum ſolùm homini conveniat, prędicatur tantum de pluribus differentibus numero.

Secundò arguitur: Prædicabilia ſunt decem: ergò non ſunt tantum quinque. Prob. ant. Tot ſunt prędicabilia, quot ſunt prædicamenta; ſed prædicamenta ſunt decem: ergò prædicabilia ſunt decem. Prob. mai. Tot ſunt prędicabilia, quot ſunt modi prædicandi; ſed tot ſunt modi prędicandi, quot ſunt prædicamenta: ergò tot ſunt prędicabilia, quot ſunt prędicamenta. Prob. min. Modus prædicandi ſumitur ex modo eſſendi; ſed tot ſunt modi eſſendi, quot ſunt prędicamenta: ergò tot ſunt modi prædicandi, quot ſunt prędicamenta.

Reſp. neg. ant. & ad probat. neg. mai. ad cuius prob. neg. min. & ad eius prob. diſt. mai. ex modo eſſendi *in ſe*, *vel in alio*, neg. mai. *ſuperioris in inferioribus ſuis*, conc. mai. & diſt. min. modi eſſendi *in ſe*, *vel in alio*, conc. min. *ſuperioris in inferioribus ſuis*, neg. min. & conſeq. Nàm ratio prædicabilis, & ratio prędicamenti, ſumitur à diverſo principio; quia ratio prædicamenti ſumitur ex diverſo modo eſſendi in re, & abſolutè, & ex diverſis effectibus, quos ſubſtantia, & accidentia communicant, ut indicat D. Th. 5. Metaph. lect. 9. prop. med. & cum dentur decem modi eſſendi in re, unus quidem eſſendi in ſe, & novem eſſendi in alio, omneſque adæquatè diſtincti, inde fit dari decem prædicamenta: Ratio tamen prædicabilis, ſumitur ex diverſo modo eſſendi ſuperioris in inferioribus ſuis, quod tantum contingere poteſt quinque modis, interè probandam con-

concluſionem aſsignatis, ut docet D. Th. 1. contr. gent. cap. 32. & opuſc. 48. cap. 1.

Tertiò arguitur: Tantùm datur duplex prædicabile: ergo diviſio univerſalis in quinque prædicabilia non eſt exacta, & adęquata. Prob. ant. Tot modis dicitur unum oppoſitorum, quot dicitur alterum, iuxta Ariſtotelem 1. topic. cap. 13. ſed univerſale, & particulare, ſeù ſuperiùs, & inferiùs ſunt oppoſita: ergò cùm inferiùs dicatur tantùm duobus modis, nempè ſpecies, & individuum, ſuperius quoque duplex tantum erit, genus ſcilicet, & ſpecies.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. mai. tot. modis dicitur unum oppoſitorum, quot dicitur alterum, *ſi conſiderentur formalitèr, ut oppoſita*, conc. mai. *Si materialitèr conſiderentur*, neg. mai. Licet enim particularia, & inferiora materialitèr ſumpta duobus tantum modis dicantur, ſcilicèt ut ſpecies, & individuum, formalitèr tamen conſiderata ſunt quinque, nam prout ſic conſtituuntur per reſpectum ſubjicibilis ad naturam ſuperiorem, qui reſpectus quintuplex eſt, ſicut etiam quintuplex eſt relatio ſuperioris.

Quartò arguitur: Tùnc diviſio eſt adæquata, quando nihil continetur ſub diviſo, quod non contineatur ſub aliquo ex membris dividentibus; ſed aliquid continetur ſub prædicabili, quod non continetur ſub aliquo ex quinque prædicabilibus aſsignatis: ergò alia pręter quinque aſsignari debent, & conſequenter diviſio adæquata non eſt. Prob. min. Individuum vagum, perſona, & ſuppoſitum prædicantur per modum ſuperioris de inferioribus ſuis, ut cum dicimus: *Petrus eſt aliquis homo, perſona, & ſuppoſitum, & Paulus eſt aliquis homo, &c.* Et inſuper perſona eſſentialiter prædicatur de hac, & illa perſona, & ſuppoſitum de hoc, & illo ſuppoſito; & tamen non continentur ſub aliquo ex quinque prædicabilibus aſsignatis; ergò aliquid continetur ſub prædicabili, quod non continetur, ſub aliquo ex quinque prędicabilibus aſsignatis, Prob. min. Si ſub aliquo continerentur, maximè ſub genere, vel ſpecie; ſed ſub iſtis non: Ergò ſub nullo. Prob. min. Genus, & ſpecies abſtrahūt ab indivìduis, & ſolùm prædicant naturam; ſed individuum vagum, &c. non abſtrahunt ab individuis: ergô non continetur ſub genere, vel ſpecie.

Reſp. neg. min. & ad probationem dicimus, quod individuum vagum, perſona,

& ſuppoſitum non ſunt directè prędicabilia, quia non important in recto naturam, vel partem naturæ, vel accidens illius; *ſed individuum vagum, ut aliquis homo*, (teſte D. Th. 1. p. q. 30. art. 4. in corp.) *Significat naturam communem cum determinato modo eſſendi, qui competit ſingularibus, & ut ſcilicet ſit per ſe ſubſiſtens diſtinctum ab aliis, & perſona ſignificat rem ſubſiſtentem in tali natura.* Unde individuum vagum non habet ſimplicem modum prædicandi, ſed prædicatur in *quid*, & in *quale*; in *quid*, quatenus dicit naturam hominis, vel animalis, &c. & in *quale*, quatenùs dicit modum individuationis: qua propter non reducitur ad unũ tantum prędicabile, ſed ad plura, eſſentiale ſcilicet, & accidentale. De perſona autem, & ſuppoſito, aſſerimus non reduci ad genus, vel ſpeciem, ſed ad accidens quintum prędicabile: nam idem eſt dicere Petrus eſt ſuppoſitum, ac Petrus ſubſiſtit, & Petrus eſt perſona, ac Petrus ſubſiſtit in rationali natura, in quibus propoſitionibus prædicatum eſt accidens quintum prædicabile, quia ſubſiſtentia ſicut & exiſtentia poteſt adeſſe, & abeſſe abſque corruptione metaphiſica ſubjecti, cui convenit, ut latius infra dicemus, cum de accidenti diſſeramus.

Quintò arguitur: Modus prædicandi inſeparabiliter, & neceſſario, & prędicandi ſeparabilitèr contingenter nequit variare duo ultima prædicabilia: ergo non datur duplex prædicabile accidentis. Prob. ant. Modus prędicandi intrinſece, vel extrinſecè, nequit variare formaliter prędicabile unde iſtæ prędicationes, *homo eſt extrinſecè cognitus*, & *homo eſt albus*, ad idem quintum prędicabile pertinent: ergó nec modus prædicandi inſeparabiliter, & ſeparabilitèr poteſt variare duo ultima prædicabilia.

Reſp. neg. ant. & ad probationem conceſſo ant. neg. conſeq. Nam intrinſecum, & extrinſecum, ſolum variant modum denominandi, non tamen modum prædicandi, eo quod non diverſificant connexionem ſuperioris cum inferioribus; nã denominatio extrinſeca cogniti ita contingenter advenit, ſicut denominatio intrinſeca albi, & æquali contingentia connectitur: verum accidens commune contingentèr cum ſubjecto connectitur, & connexio proprii neceſſaria eſt, undè diſparitas eſt ratio.

* * *

* * *

ARTICULUS I I.

Utrum universale sit genus ad quinque prædicabilia?

§. I.

Aperitur difficultas, & statuitur affirmativa Conclusio.

AD articuli intelligentiam notandum est non procedere quæsitum præsentis articuli de prædicabilibus, ut passiones sunt universalis, quia cum nulla essentia possit esse genus respectu suæ passionis, nec etiam universale poterit esse genus ad prædicabilia, prout eius passiones sunt; sed quod in dubium vertitur est, an universale sit genus ad quinque universalia, quæ art. præcedenti memorabimus, genus videlicèt, & speciem, differentiam, proprium, & accidens, quæ prædicabilia dicuntur: & quia ipsa prædicabilitas est passio universalis, eaque notissima est propterea sub titulo prædicabilium difficultas nostra procedit.

Secundò notandum est, universale materialitèr sumptum, & pro subtracto non esse univocum ad quinque prædicabilia, & consequentèr prout sic non esse genus ad omnia illa, immò nec respectu unius tantum; nam genus habere potest pro materiali, quod denominat, tàm ens reale, quam ens rationis, substantiam, & accidens. Quapropter solùm procedit difficultas præsens de universali formalitèr accepto pro secunda intentione universalis; de quo quidem investigamus, an dicat unam rationem communem ad quinque prædicabilia scilicet esse in pluribus, ac prædicari de illis, abstrahendo ab hoc, quod est prædicari essentialitèr, & accidentaliter, *in quid*, vel *in quale* de pluribus differentibus specie, aut de pluribus differentibus numero, ad modum, quo animal dicit unam rationem communem ad omnia animalia; cum hac sola differentia, quod ratio animalis, est prima intentio conveniens rebus ex natura rei; ratio verò generis est secunda intentio accidentaliter attributa primis intentionibus: Similitèrque intentio universalitatis est secunda intentio, conveniens itidem secundis in-

ten-

tentionibus tanquam genus ſuis ſpeciebus: & ſicut in hac: *Homo eſt ſpecies*, ſubjectum ſupponit ſimpliciter, ita & in hac: *Genus* (idemque dicendum de aliis prædicabilibus) *eſt ſpecies univerſalis*, ſubiectum non ſupponat pro hoc, vel illo genere, ſed pro genere in communi.

His ergò prælibatis circà propoſitam difficultatem diverſimodè loquuntur Authores: quidam enim compulſi ex hoc, quod tria prima prædicabilia prædicantur eſſentialitèr, duo autèm ultima accidentalitér conſtantèr propugnant, univerſale ſolùm eſſe analogum ad quinque prędicabilia, ac proinde non eſſe genus ad illa. Alii verò autumant non eſſe genus, quia exiſtimant univerſale equivocè dici de univerſalibus prędicamenti ſubſtantiæ, & univerſalibus prædicamenti accidentis. Acies verò Thomiſtarum pręcavens huiuſmodi anfractus, & ambages, oppſitum unanimi conſenſu defendit. Cum quibus hæc erit.

§. II.

Noſtra Concluſio.

Univerſale eſt genus ad quinque prædicabilia.

PRobatur Concluſio noſtra ratione: genus eſt, quod prædicatur univocè in eo quod quid de pluribus, differentibus eſpecie; ſed univerſale prędicatur univocè in eo quod quid de quinque prædicabilibus aſsignatis, & illa diſtinguuntur ſpecie: ergò univerſale eſt genus ad quinque prædicabilia. Min. conſtat quantum ad omnes ſuas partes. Quoad primam quidem: quia ratio communis ſimplicitèr participata ab inferioribus univocè prædicatur de illis; ſed ratio univerſalis conſiſtens in eo, quod ſit unum in multis ſimpliciter participatur à ſingulis prędicabilibus, cum quilibet eorum abſolutè, & ſimplicitèr ſit unum aptum eſſe in multis: ergò univerſale prædicatur univocè de quinque prędicabilibus aſsignatis. Quantum ad ſecundam ſic probatur: Quinque prędicabilia pro formali eſſentialiter ſunt univerſalia, quia iſtæ propoſitiones: *Genus eſt univerſale, ſpecies eſt univerſalis*, ſunt eſſentiales, & idem de aliis predicabilibus: ergò univerſale prędicatur *in quid* de omnibus prædicabilibus, nam prędicari *in quid* eſt eſſentialitèr prędicari.

Quoad tertiam verò partem ſcilicet quinque prædicabilia ſpecie diſtingui, etiam pro-

prob. min. Nam quinque prædicabilia habent diverſum modum prædicandi formaliter, & diverſo modo inferiora reſpiciunt, ut conſtabit per inductionem, tûm ex infrà dicendis, tùm ex dictis art. præcedenti: ergó illa diſtinguuntur ſpecie.

§. III.

Argumentis Contrariorum occurritur.

CONtrà Concluſionem arguitur primò: Univerſale eſt analogum ad quinque prędicabilia: ergò non eſt genus ad illa, quia ratio analoga obſtat relationi genericę. Prob. ant. Nihil poteſt univocũ dari ad prædicari eſſentialiter, & prædicari accidẽtaliter; ſed tria prima prędicabilia eſſentialiter prædicantur, duo verò ultima prędicantur accidentaliter: ergò univerſale non eſt univocum, ſed analogum ad quinque prędicabilia. Prob. mai. Nihil univocũ poteſt dari ad ſubſtantiam, & accidens; ſed prædicabilia, quæ dicuntur eſſentialiter ſunt ſubſtantia, quæ verò accidentaliter, ſunt accidentia: ergò nihil poteſt univocum dari ad prædicari eſſentialiter, & prędicari accidentaliter.

Reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. mai. ad prædicari eſſentialiter, & accidentaliter *in eſſe entis*, conc. mai. *in ratione prædicabilis*, neg. mai. ad cuius prob. diſt. mai. nihil *reale*, conc. mai. nihil *rationis*, neg. mai. & diſt. min. Subſtantia, quę verò accidentaliter, ſunt accidentia pro materiali, conc. min. pro formali, neg. min. & conſeq. Licet namque ſubſtantia, & accidens in eſſe entis, & quãtum ad entitatem, quam prędicant, non poſsint ſimpliciter, & univocè convenire, ſed ſolum ſecundum quid, & analogicè, tamen quantum ad univerſalitatem, ſecundum quam prędicantur, de facto conveniunt univocè: univerſalitas enim ſolûm exigit, ut aliquid reſpiciat multa, tanquam ſuperius ſua inferiora, & tàm ea, quę prædicantur eſſentialiter, quàm quæ accidentaliter prædicantur, reſpiciunt multa, ut ſuperius inferiora ſua. Undè univerſalitas, quæ aliquid rationis eſt, univocè dicitur de accidenti, & alijs univerſalibus, quæ eſtó pro materiali ſubſtantię, & accidentia ſint, pro formali tamen ſunt aliquid rationis. Adeſt exemplum in his propoſitionibus: *Pater æternus eſt Deus, homo eſt albus, Petrus eſt animal, in quibus Deus, albus, animal*, conveniunt uni-

univocè in ratione prædicati, licet in esse entis sint maximè diversa, & nullo modo univoca.

Secundò arguitur: si universale esset genus, ad quinque prædicabilia, contineretur sub genere primo prædicabili; sed universale contineri non potest sub genere primo prædicabili: ergò non est genus ad quinque prædicabilia. Maj. patet, quia universale posset prædicari in quid de pluribus differentibus specie; omnia autem prædicabilia in quid de pluribus differentibus specie sub genere continentur. Min. vero prob. Nullum divisum potest contineri sub aliquo ex membris dividentibus, aliàs esset superius, & interius ad ipsum, quod est contrà primam regulam pro bona divisione assignatam in Dialectica lib.2.cap. 1. §.4. sed universale est divisum in quinque prædicabilia, ut dictum est art. præced. ergò requit contineri sub genere primò prædicabili.

Resp. dist. mai. contineretur *ut quod*, *accidentaliter*, *& denominative*, conc. mai. *essentialiter*, *& ut quo*, neg. maj. & dist. min. contineri non potest *essentialiter*, *& ut quo*, conc. min. *ut quod*, *accidentaliter*, *& denominative*, neg. min. & conseq. Nam ex quo universale sit genus ad quinque prædicabilia tantùm sequitur contineri sub genere primò prædicabili accidentaliter, & denominativè, quatenùs est subjectum secundæ intentionis generis, & ab illa denominatur; non verò sequitur contineri sub genere essentialiter, & *ut quo*, quia universale essentialiter a genere differt & intentio constitutiva universalis essentialiter distincta est ab intentione constitutiva generis: nàm intentio universalis non est forma, quo aliquid est genus, sed qua est universalis, licet hęc forma, concepta ut res quædam est, in se suscipiat denominationē generis respectu quinque prædicabilium, & sic denominetur à genere. Hoc autē nullā implicationem involvit; nam intellectus nostet reflexivus est suprá suos actus, & denominationes, & dum resultat intentio generis v. g. ex abstractione naturæ animalis, iterùm suprà istàm intentionem reflectit intellectus, & intentionem istam tanquam rem quandam, vel naturam nova intentione afficit, & denominat. Et hac ratione unum membrum dividens potest etiam à suo opposito denominari, sicut intentio generis denominatur quædam species universalis, & intentio

tio individui quædam ſpecies intentionis. Quapropter, licet univerſale prædicetur *in quid* de pluribus differentibus ſpecie; eſſentialiter eſt intentio univerſalitatis: & ſolum accidentaliter, & denominativè continetur ſub genere primó prædicabili, quod eſt unum ex membris dividentibus.

Inſtabis: ex prędicta ſolutione ſequitur univerſale ſub ſe ipſo accidentaliter, & denominative contineri; hoc non eſt dicendum: ergò nec quod univerſale accidentaliter denominativè contineatur ſub genere primó prædicabili. Prob. ſequela. Univerſale accidentaliter continetur ſub genere; ſed genus neceſſariò continetur ſub univerſali: ergo ſi univerſale accidentaliter continetur ſub genere, etiam ſub ſe ipſo accidentaliter continetur.

Reſp. diſt. mai. accidentaliter, & denominative *ſub ea ratione, qua eſt eſſentialiter univerſale*, neg. mai. *ſub alia conſideratione*, conc. mai. Quia univerſale, ſicut denominativè *ut quod*, & accidentaliter continetur ſub genere, ità ſub ſe ipſo eodem modo continetur, & de ſe accidentaliter prędicatur, quamvis ſub alia cõſideratione ſit eſſentialiter univerſale. Et hoc ideó eſt, quia univerſale eſt concretum accidentale; & concretũ accidentale poteſt denominari tale eſſentialitèr, & accidentaliter: quia prętèr formam quaſi eſſentialem, & qua primò conſtituitur; poteſt habere aliam, qua accidentalitèr denominetur. Id circó univerſale, quod prætèr univerſalitatem, quæ eſt forma, qua primò conſtituitur, aliam recipit, videlicèt genereitatem, quę ſimilitèr eſt univerſalis, ab ea denominatur accidentalitèr univerſale. Sicut terminus eſſentialitèr diviſus in univocum, & equivocum eſſentialiter abſtrahit, ab utroque, & tamen denominativè, & ut *quod* continetur accidentaliter ſub termino univoco, & etiam mediatè accidentaliter ſub ſe ipſo continetur, & ſe ipſo inferior eſt. Nec implicat prędicatum eſſentialiter ſuperius, eſſe ad ſeipſum inferiùs accidentalitèr, ut patet in exemplo de termino adducto.

Dices: quia animal eſt genus ad hominem nec accidentalitèr poteſt ſub homine contineri: ergó ſi univerſale continetur accidentalitèr ſub primo prędicabili, non erit genus ad ipſum, & alia prædicabilia.

Reſp. neg. cauſalem antecedentis. Non enim ideò præciſsè, quia animal eſt genus

nus ad hominem, non potest sub genere contineri, sed quia nec natura animalis, nec secunda intentio generis sub homine continetur. Cæterum universale licet secundum se non contineatur sub genere, secunda tamen intentio generis, à qua universale denominatur genus accidentaliter, sub intentione generis continetur: nam intentio generis communis est ad omnes generis intentiones formaliter ut tales sunt.

Tertiò arguitur: Universale est accidens quintum prædicabile: ergò non est genus ad quinque prædicabilia. Prob. ant. Universale est accidens rationis, quod accidentaliter contingenter convenit subjecto denominato: ergo est accidens quintum prædicabile.

Confirmatur: accidens quintum prædicabile non est universale simpliciter; ergò universale non est genus ad omnia prædicabilia. Prob. ant. Universale est unum aptum identificari cum multis; sed accidens non potest simpliciter identificari cum multis; ergò accidens quintum prædicabile non est universale simpliciter. Prob. min. Accidens solùm utitur subjecto, quod denominat, non tamen identificatur cum illo: ergò non potest simpliciter identificari cum multis.

Resp. ad argumentum dist. ant. accidens *comparativè ad naturam, quam denominat universalem*, conc. ant. *Comparative ad hoc, & illud universale*, neg. antec. & conseq. Licet namque universale sit accidens comparativè ad hanc & illam naturam, quam universalem denominat, non tamen est accidens comparativè ad omnia universalia, sed de illis essentialiter prædicatur: sicut color est accidens comparativè ad quantitatem diversam, quam denominat coloratam, non tamen comparativè ad albedinem, & nigredinem, de quibus color essentialiter prædicatur.

Ad confirmationem resp. neg. ant. & ad prob. dist. min. Accidens in abstracto, conc. min. pro subjecto, neg. min. & conseq. Quia licèt accidens in abstracto non possit identificari cum subjecto inferiori, aut cum substantia, concretum tamen accidentis cum substantia identificatur, nam concretum supponit pro subjecto habente formam, quod subjectum est idem realiter cum substantia: & non accidens in abstracto, sed accidens in concreto quintum prædicabile constituit. Ad probationem autem superadditam dicimus cum Mag. à

Sto.

Sto. Thom. accidens non idẽtificari cum ſubjecto quidditativè, & inſtrinſece ; ſed denominativè, & omnia inferiora conveniunt in accidente, ſicut in denominante, licèt non conveniant in illo, ſicùt in conſtituente, & ſic reſultat univerſale prędicationis denominative, quod eſt ſimplicitèr univerſale : licèt namque ex parte entitatis ſecundum quid identificetur cum ſubjecto prędicetur tamen abſolutè ex parte univerſalitatis, & modi ſub qno identificatur.

Quartò arguitur ; ſi univerſale eſſet genus ad quinque prædicabilia, omnia illa eſſent ſpecies : hoc non eſt dicendum: ergò nec quod univerſale ſit genus ad omnia illa : Prob. min. Si prædicabilia omnia eſſent ſpecies, non daretur niſi unum prædicabile, ſcilicèt prædicabile ſpeciei, hoc implicat : ergò minor vera eſt.

Reſp. diſt. mai. eſſent ſpecies, *ut quod accidentaliter, & denominativè*, conc. mai. *eſſentialitèr, & ut quo*, neg. mai. Quia licèt repugnet omnia prędicabilia eſſe eſſentialitèr ſpecies, non tamen repugnat, quod omnia illa accidentalitèr ſpecies denominentur : nam bene poteſt una ſpecies accidentaliter denominativè ſub altera contineri, ſicut terminus æquivocus comparativè ad omnes terminos æquivocos denominatur univocus, & accidentalitèr ſub univoco continetur.

Inſtabis: Si univerſale eſſet genus ad quinque prædicabilia, omnia illa eſſent, eſſentialiter ſpecies: ergò nulla eſt data ſolutio. Prob. ant. Omnia prædicabilia continẽtur eſſentialiter ſub univerſali: ergò omnia illa eſſent eſſentialitèr ſpecies.

Reſp. neg. ant. & ad probationem neg. conſeq. Nam ex quo omnia prædicabilia eſſentialitèr ſub univerſali contineantur, ſolum infertur poſſe accidentalitèr ſpecies denominare, quod non implicat ; ſicut homo, & equus continentur eſſentialiter ſub animali, & tamen non eſſentialiter, ſed tantùm accidentaliter denominantur ſpecies.

Dices : Una ſpecies eſſentialitèr ab altera diſtincta nec denominativè poteſt ſub altera contineri, ſicut homo non poteſt etiam accidentalitèr contineri ſub equo ; ſed alia prædicabilia eſſentialitèr diſtinguuntur à prædicabili ſpeciei : ergo nec accidentaliter poſſunt ſub ſpecie contineri.

Ref.

Resp. dist. mai. Una species *substantialis*, conc. mai. *accidentalis*, neg. mai. Licet namque una species substantialis essentialiter ab alia distincta non possit accidentaliter sub altera contineri, ut patet in exemplo de homine, & equo, species tamen accidentalis bene potest accidentaliter contineri sub alia essentialiter distincta, sicut album, & dulce essentialiter distinguuntur, & tamen album continetur sub dulci, & dulce prædicatur de albo. Ratio autem ea est, quia species substantialis constituitur per formam substantialem, & cum duæ formę substantiales non possint esse simùl, nec una species substantialis potest accidentaliter contineri sub alia: species verò accidentalis constituitur per formam accidentalem, cumque duo accidentia specificè distincta possint esse in eodem subjecto, & maxime si sint accidentia rationis, consequens fit, quod una species accidentalis benè potest sub altera accidentaliter contineri.

Replicabis: non potest aliquid esse tale per se, & simúl per accidens, perfectè, & imperfectè tale: ergò non poterit esse tale essentialiter, & accidentaliter.

Resp. ant. esse verum in concretis substantialibus, quę nullo modo possunt denominari aliqua denominatione essentialiter, & accidentaliter, nam effectus formalis, quem subjectum habet à substantia, nequit haberi ab aliquo accidenti: sed concretum accidentale præter formam essentialem potest habere aliam, à qua etiam denominetur accidentaliter tale, ut diximus in resp. ad instantiam secundi argumenti.

§. IV.

Corollarium ex dictis.

Ex dictis constat non sequi ex doctrina nostra decem prædicamenta non esse genera suprema, quamvis contineantur univocè sub genere primo prędicabili, quia licet secundò intentionalitèr sumpta sint species contentæ sub genere primo prędicabili, primò tamen intentionalitèr accepta genera suprema sunt, nec est dabile suprà illa aliquod prædicatum reale, quod possit ab intentione generis denominari.

***
***

Genus

Differentia — Corporea

Genus subalt.

Differentia — Animatum

Genus subalt. — Vivens

Differentia — Sentiens

Genus subalt. — Animal

Differentia — Rationale.


Species. — Homo

Propria

Accidens

Adjunctum

Judex vivorum.


SUBSTAN-
tia.
Genus
Generaliſſim.
Diviſiva.
Diviſiva.
Differentia.--
Corporea.
Conſtitutiva
Subjicib.
Prædic.
Incorporea.
Differentia.
Genus ſubalt.
corpus
Spec. ſubalt.
Diviſiva.
Diviſiva.
Differentia.--
Animatum.
Conſtitutiva
Subjicib.
Prædic.
Inanimatum
Differentia.
Genus ſubalt.
Vivens
Species ſub
Diviſiva.
Diviſiva.
Differentia.--
Senſibile.
Conſtitutiva.
Subjicib.
Prædic.
Inſenſibile.
Differentia.
Genus ſubalt.
animal
Species ſub
Diviſiva.
Diviſiva.
Differentia.--
Rationale.
Conſtitutiva.
Subjicib.
Prædic.
Irrationale.
Differentia.
Species.
Homo
Infimæ
Prædic.
Aſinus.
Petrus
Paulus
Indi---
vidua.
Leo.

QUÆSTIO SECUNDA.

De genere primo prædicabili, & in ea.

ARTICULUS I.

Utrum bona ſit diffinitio generis à Porphyrio tradita.

§. I.

Explicantur diverſæ generis acceptiones, & ſtatuitur affirmativa Concluſio.

GEnus (ut inquit Porphyrius in lib. prædicab. cap. 1. & D. Th. 5. Metaph. Lect. 22.) quatuor modis accipi poteſt: primò pro generatione continua aliquorum habentium eandem ſpeciem, ſicut dicitur, *dum erit genus hominum*, id eſt, dùm durabit generatio continua hominum; & hic eſt (inquit D. Th.) primus modus in Porphyrio poſitus, ſcilicet collectio aliquorum quodammodo ſe habentium ad unum aliquod, & ad ſe invicem: ſicut genus Romanorum dicitur à Romulo. Secundo modo dicitur genus illud, à quo tanquam à generante procedunt aliqua: ſicut dicuntur Helines genere, quia deſcendunt à quodam Helines nomine, & aliqui dicuntur Iones genere, quia deſcendunt à quodam Iore, ſicut à primo generante. Magis autem denominantur aliqui à Patre, quam à Matre, & tamen aliqui denominantur genere à Matre, ſicut a quadam fœmina nomine Pleia, dicuntur aliquę Pleiades; & iſte eſt ſecundus modus, de quo dicit Porphyrius, quod etiam dicitur genus, quod eſt uniuſcuiuſque generationis principium, vel ab eo, qui genuit vel ab eo loco, in quo quis genitus eſt: ſicut Oreſtem dicimus à Tantalo genus habere, Hilum ab Hercule, Pindarum Thebanum eſſe genere, Platonem verò Athenienſem.

Tertio modo dicitur genus illud, quod non ſignificat ſubſtantiam ſpeciei, ſed ſolùm eſt proprium ſubjectũ ſpecie differentium accidentium, ſicùt ſuperficies dicitur genus figurarum ſuperficialium. Quarto vero modo dicitur genus, quod primo ponitur in diffinitione, & prędicatur in eo quod quid, vel (ut inquit Porphirius) cui ſupponitur ſpecies. Quatuor ergò modis cum genus dicatur, de hoc ultimo tantum apud Logicos ſermo eſt,

quod quidem loc. ſuprà cit. diffinitur à Porphirio eſſe illud, quod prędicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid. Quam diffinitionem eſſe bonam, probat conſenſus Logicorum, uno excepto Laurentio Valla. Ideòque erit.

§. II.

Noſtra concluſio.

Bona eſt diffinitio generis à Porphirio tradita.

PRobatur ratione: hæc diffinitio conſtat genere, & differentia: ergò eſt bona. Ant. prob. per ſingulas eius partes diſcurrendo. Nàm in hoc quod eſt *prædicari* convenit genus cum omnibus alijs prædicabilibus, ac proindè illa particula *prædicatur* ponitur loco generis. Per ly de *pluribus* licet conveniat genus cum ſpecie, differentia, proprio, & accidenti, diſtinguitur tamen ab individuo, quod, etiam ſecundò intentionaliter ſumptum, de uno tantùm prędicatur eſſentialiter, & *ut quo*. Reliquę particulæ loco differentię ponuntur: nam per eas diſtinguitur genus ab alijs prædicabilibus. Per particulam de *pluribus differentibus ſpecie* diſtinguitur à ſpecie, quę prædicatur de pluribus ſolo numero differentibus, ſicut homo prædicatur de Petro, & Paulo, qui non ſpecie, ſed ſolum numero differunt: & per eandem particulam diſtinguitur etiam à proprio; nam proprium de una ſola ſpecie, cuius eſt proprium, prædicatur, & de his tantùm individuis, quæ ſub ipſa ſpecie continentur: ſicut riſibile prędicatur de homine ſolo, & de particularibus hominibus. Genus autem non de una ſpecie prædicatur, ſed de pluribus, & differentibus.

Per particulam *in eo quod quid* diſtinguitur genus à differentia, & etiam à proprio, & accidenti. Ab iſtis quidem, quia tàm ex parte rei, quàm ex parte modi prędicantur in *quale*; ab alia verò, quia ex parte modi prædicatur *in quale*: genus autem, tam ex parte rei, quàm ex parte modi in *eo quod quid* prædicatur. Quid autem ſit prædicari in *quid*, & *in quale* quæſt. præc. art. 1. §. 1. ſatis explicatum relinquimus.

Rurſus ex hac particula conſtat genus prędicari in *quid*, non ſolum ex parte rei, & dicendo prædicatum, quod eſt de eſſentia ſubiecti, ſed etiam ex parte modi, ſubſtantivè videlicet, & per modum

per

per ſe ſtantis, ita ut per ipſum reſponderi poſsimus interroganti, quid res ſit? ſicut interroganti, quid ſit homo? reſpondemus, & rectè, eſſe animal.

Et tandèm ex eadem particula manifeſtum ſit genus prædicari in *quid* incompletè, dicens partem eſſentię determinabilem, nàm quidquid prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, non poteſt dicere totam eſſentiam illorum, nec partem, aut differentiam determinantem, ſed rationem genericam, & communem contrahibilem, vel determinabilem per differentias eſſentialitèr dividentes, & conſtituentes ſpecies, de quibus genus ipſum prædicatur: undè, & dicitur genus natura *potentialis contrahibilis*, *& perfectibilis*: potentialis quidem, quia eſt in potentia ad recipiendas differentias: contrahibilis quia eſt quid vagum, & indifferens ad plures ſpecies, per differentiam verò ad unam determinatur: ac denique dicitur *perfectibilis*, quia poteſt perfici per ſupervenientes differentias, ſicut animal per differentiam rationalis perficitur, & ad ſpeciem hominis determinatur.

Ex quibus omnibus manifeſtè apparet bonitas præ. dictę diffinitionis, nàm cum illa ſit bona diffinitio, quæ naturam explicat diffiniti, illàdque ſeparat, & diſtinguit à quocumque non tali, totumque hoc ſalvetur in diffinitione generis aſsignata, (ut conſtat per ſingulas particulas, nàm in *prædicari* convenit cum omnibus prædicabilibus, per ly *de pluribus* ab individuo diſtinguitur: per ly *differentibus ſpecie* ab ſpecie, & proprio differt: & per ly *in quod quid* a differentia, & accidenti eſt diſtinctum: ulteriùs ſe per prædicari *in quid* incompletè diſtinguitur ab ſpecie, quæ licet prædicetur *in quid*, non tamen incompletè, ſed completè prędicatur, dicendo totam eſſentiam) manifeſtum fit optimam eſſe diffinitionem generis à Porphirio tradditam.

Si autem interroget quiſpiam, an hęc diffinitio ſit eſſentialis, vel deſcriptiva? Dicimus diffinitionem à Porphyrio tradditam deſcriptivam eſſe, ut ipſemet inſinuat cit. cap. 1. per hæc verba: *quod etiam deſcribentes aſsignaverunt, genus eſſe quod prædicatur &c. Nihil igitur ſuperfluum, neque minus continet generis dicta deſcriptio notionis.* Et D. Th. ſic eam nominat opuſc. 48. cap. 2. in principio. Diffinitio autem quid-

dicativa, & eſſentialis generis hæc eſt (ut inquit Mag. Soto:) *Genus eſt univerſale, quod eſt in pluribus differentibus ſpecie per uniformem rationem ad eorum quidditatem.* Ubi traditur diffinitio per prædicatum genericum, ſcilicet ly *univerſale*, & per differentiam intrinſecam, ſcilicet *per reſpicere in quid incompletè plura ſpecie diſtincta.*

§. III.

Solvuntur argumenta.

CONTRÀ diffinitionis bonitatem arguitur: diffinitio generis conſtare non poteſt ex genere, & differentia: ergo non eſt bona. Prob. ant. Genus in communi non conſtat ex genere: ergò diffinitio generis conſtare non poteſt ex genere, & differentia. Prob. ant. Genus in communi eſt quid ſuperius ad decem prædicamenta; ſed iſta non conſtant genere; aliàs genere ſuprema non eſſent: ergò nec genus in communi ex genere conſtat.

Reſp. neg. duo ant. prima, & ad probationem diſt. mai. quid ſuperius ad decem prædicamenta *ſecundò intentionaliter ſumpta*, conc. mai. *primò intentionaliter accepta*, neg. mai. & diſt. min. iſta *primo intentionaliter ſumpta*, neg. min. *ſecundo intentionaliter accepta*, neg. min. & conſeq. Licet namque decem prædicamenta primò intentionaliter, & phiſicè, & ſecundum conſtitutionem realem ſint genera prima, & ſuprema non habentia univocam convenientiam in aliquo prædicato reali ſuperiori ad illa, ideòque ſic ſumpta ſint primò diverſa, & non conſtent aliquo genere, ut dictum eſt *in ex dictis art. præc.* ſi tamen Logicè conſiderentur, aut ſecundò intentionaliter, & ut veſtita intentione generis ſupremi, univocè conveniunt in ratione generis ad omnia genera communi, & conſequenter prout ſic genere, & differentia conſtant, & diffiniri poſſunt. Undè ex quo genus in communi ſit quid ſuperiùs ad decem prædicamenta ſecunda intentionaliter ſumpta, nequit inferri, quod non poſſit ex genere conſtare.

Inſtabis: genus in communi conſtare non poteſt ex aliquo prædicato, in quo conveniat cum alijs: ergò ex genere conſtare non poteſt. Prob. ant. Non poteſt aſſignari aliquid prædicatum commune, in quo genus univocè cum alijs conveniat; aliàs tale prædicatum eſſet ſuperius ad genus, & alia, & conſe-

quen-

quenter ſuprà genus in communi eſſet aliud genus: ergò genus in communi conſtare non poteſt ex aliquo prædicato, in quo conveniat cum alijs.

Reſp. neg. ant. & ad probat. dicimus, ſuprà genus in communi dari rationem communem univerſalis; quæ eſt ſuperior ad genus, & alia prædicabilia, ex quo tamen non infertur ſuprà primum genus dari alterum genus, quia ratio illa communis accidentaliter, & denominativè eſt genus, & ſub primo genere accidentaliter continetur, quamvis eſſentialiter ſuperior ſit.

Secundò arguitur: diffinitio generis convenit alijs à diffinito: ergò non eſt bona. Prob. ant. primò. Tùm quia diffinitio generis convenit enti, nàm ens eſſentialiter, & *in quid* prædicatur de omnibus rebus, quantumlibet ſpecie differentibus: Tùm etiam, quia convenit ſpeciei, & diffinitioni, quę eſſentialitér, & *in quid* prędicantur ut conſtat ex earum diffinitionibus: ergò diffinitio generis convenit alijs a diffinito.

Secundò prob. ant. Prædicari *in quid* convenit differentię: ergò diffinitio generis convenit alijs à diffinito. Prob. ant. Differētia eſſentialiter, & *in quid* prædicatur de ſuis inferioribus, nàm iſtę propoſitiones: *Petrus eſt rationalis, Paulus eſt rationalis*, ſunt eſſentiales: ergò prædicari in quid convenit differentiæ.

Reſp. ad argum. neg. ant. & ad prob. diſt. ant. & in quid *analogicè*, conc. ant. *univocè*, neg. ant. Nàm ens eſt prædicatum tranſcendens, imbibitum in omni re, ſive ad eſſentiam pertineat, ſive non, quod autem eſt commune eſſentiæ, & non eſſentiæ, non poteſt in quid univocè prædicari, ſed tantum analogicè: genus autem prædicatur in *quid* univocé, & ità particula *in quid* non convenit enti, eo modo quo in diffinitione generis intelligitur. Ad probationem autem ſuperadditam dicimus, quod ſpecies, & diffinitio non ſolùm prædicantur *in quid*, ſed etiã *in quale*, vel (alijs terminis) prędicantur in *quid* completè dicendo totam eſſentiam, genus videlicet, & differentiam: ſed genus prędicatur in *quid* incompletè dicendo partem determinabilem per eſſentialem differentiam, quod non convenit alijs à genere.

Ad ſecundam prob. ant. reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. ant. in *quid ex parte rei*, conc. ant. ex *parte modi*, neg. ant. & conſeq. Differentia namque

solum prędicatur essentialiter, & in *quid* ex parte rei, quia revera est prædicatum essentiale; verùm ex parte modi prędicatur *in quale*, quatenùs prędicatur adiectivè per modum alteri adjacentis, aut per modum formæ determinantis, & qualificantis genus, ipsum verò genus tam ex parte rei, quàm ex parte modi prædicatur *in quid* substantivè, & per modum per se stantis, dicendo partem contrahibilem per essentialem differentiam.

Instabis: etiam genus ex parte modi prædicatur *in quale*: ergò nulla est solutio. Probat. ant. Superius gerit vices formę, & ità prædicatur in quale: sed genus est superius ad inferiora: ergò ex parte modi in quale prædicatur.

Resp. neg. ant. & ad probat. dist. mai. formæ Dialecticæ, vel Metaphisicæ, conc. mai. Metaphisicæ determinate, neg. mai. & conc. min. neg. conseq. Licet namquè omne prædicatum superius comparatum ad inferiora sit forma Dialectica, qualiter omne prædicatum in propositione induit modum formę respectu subiecti, & secundę substantiæ comparativè ad primas substantias, quæ significant suppositum substentans: non tamen omne prędicatum superius est forma Metaphisica, seu ex parte rei, quam explicat, aut comparativè ad naturam, quam constituit, qualiter necessarium erat, ut prædicautur *in quale* simpliciter dictum. Undè licet genus sit prędicatum superius, quia tamèn non est forma metaphisica, sive ex parte rei, nec comparativè ad naturam, sed potius est metaphisice potentia determinabilis per differentiam, ut actum, idcircò non prædicatur *in quale*, eo modo, quo differentia *in quale* prædicatur, sed solùm *in quale* secundum quid, & cum addito diminuente, scilicet *in quale* dialecticè.

Tertio arguitur: Genera suprema prædicantur de pluribus differentibus genere; ergò genus non solùm prædicatur de pluribus differentibus specie. Probatur ant. Substantia creata prędicamentalis est genus supremum; sed hęc prædicatur de pluribus differentibus genere videlicèt de substantia spirituali, & corporea, quæ genere differunt: ergò genera suprema prædicantur de pluribus differentibus genere.

Confirmatur: Genus etiã prædicatur de pluribus differentibus numero: sicut animal de Petro & Paulo: ergò non solùm prædicatur de plu-

pluribus differentibus ſpecie.

Reſp. ad argumentum diſt. ant. de pluribus differentibus *genere ſpecificativè*, conc. ant. *reduplicativè*. neg. ant. Genera namque ſupremа ſolùm prędicantur de pluribus differentibus genere ſpecificativè, & materialiter, non tamen formaliter, eo quod non prędicantur de illis, quatenùs differunt genere, ſed quatenùs ſpecie differunt, non enim ſubſtantia creata prędicamentalis v. g. prædicatur de corporea, & incorporea, ſecundum quod ut genera ad ſua inferiora comparantur, ſed ſecundum quod per modum ſpeciei ſubjicibilis comparantur ad genus ſupremum ſub qua ratione ſpecies ſunt ſubalternę, quia ſubiiciuntur illi, quatenùs conſtant ex illo, & ex differentia, quod eſt eſſe ſpeciem. Undè genus ſolùm prędicatur de pluribus, quatenùs differunt ſpecie, quia ſubijciuntur ei, quatenùs ſpecies ſunt.

Ad confirmationem diſt. ant. prædicatur *mediatè*, conc. ant. *immediatè*, neg. ant Quia genus immediatè prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, & hoc ipſo, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie etiam prædicatur de pluribus numero differentibus. Et ratio eſt: quia cum individua contineantur ſub ſpecie, & quidquid dicitur univerſaliter de aliquo, dicatur etiam de omni contento ſub illo, iuxta regulam *dici de omni*; cum genus prędicetur de ſpecie, & ſpecies de individuis, & etiam genus de individuis prædicabitur, non quidem immediate ſicut ſpecies, ſed tantùm mediatè, quia individua medijs ſpeciebus ad genus comparantur.

Inſtabis: etiam genus immediatè prędicatur de pluribus differentibus numero: ergò nulla eſt ſolutio. Prob. ant. Animal prædicatur de hoc, & illo animali tanquam genus, ut cum dicimus: *hoc animal eſt animal, & illud animal eſt animal*; ſed hoc & illud animal ſolo numero diſtinguuntur; ergò genus immediatè prædicatur de pluribus differentibus numero.

Reſp. neg. ant. & ad prob. neg. mai. Quia animal de hoc, & illo animali non prædicatur ut genus, ſed ut ſpecies; quia ut ſic formaliter non accipitur ut contrahibile per differentias, ſed dicit actu totam eſſentiam huius, & alterius animalis: animal enim actu dicit vivens ſenſibile, quæ eſt tota eſſentia huius animalis, in quan-

tum hoc animal est. *Undè* nunquam genus, ut tale, prędicatur immediatè de pluribus differentibus numero.

Quartò arguitur: Genus non potest prædicari de specie: ergò non potest prędicari de pluribus differentibus specie. Prob. ant. Pars non potest prædicari de toto; sed genus est pars speciei: ergò nō potest prędicari de specie.

Resp. neg. ant. & ad probationem dist. mai. Pars *phisica*, conc. mai. *metaphisica*, neg. mai. & dist. min. pars *metaphisica*, conc. min. *phisica*, neg. min. & conseq. Quia licet pars phisica non possit prædicari de toto, ut indicat D. Th. 1. p. q. 75. art. 4. in corp. & 7. Metaph. lect. 11. ideòque falsę sint istæ propositiones: *Homo est anima, homo est corpus*: pars tamen metaphisica de toto prædicari potest: quia pars metaphisica continet in potentia quidquid continet totum. Genus autem est pars metaphisica, quæ simùl est totum potentiale; pars quidem in quantum ex parte rei prædicatę non explicat nisi partem quidditatis illius rei, de qua prędicatur; sicut dùm prędicamus animal de homine, id quod nomine animalis explicatur, est ratio formæ sensitivæ: totum verò potentiale, quia in ipsa quidditate specifica designat partem determinabilem, & contrahibilem per differentiam, & consequenter magis indeterminatam, & potentialem. Undé animal, & universaliter omnis essentia generico nomine importata ut sic, includit totum, quod includit speciem, licet non eodem modo, ut aiat D. Th. cap. 3. de ent. & essent. per hæc verba: *quidquid est in specie, est etiam in genere, ut non determinatum. Si enim animal non esset totum, quod est homo, sed pars eius, non prædicaretur de eo cū nulla pars integralis prædicetur de suo toto.*

Instabis: genus non prædicatur de specie, ut totum potentiale est: ergò nulla est solutio. Prob. ant. Genus prędicatur de specie, quatenus illam componit; sed non componit ut totum, sed ut pars: ergò non prædicatur de specie, ut totum potentiale est.

Resp. neg. ant. & ad probat. dist. min. ut totum sub *ea ratione, qua est totum*, conc. min. *sub ea ratione, qua est pars*, neg. min. & conseq. Genus namque, & est totum potentiale, & simul pars metaphisica, in quantum est pars metaphisica, componit ut pars actualis, quia dum actu componit simul cum differentia, actualiter debet esse pars cōparative ad differentiam: verùm quia hæc pars actualis non est distincta realiter ab alia comparte, vel a natura spe-

ſpecifica, quæ eſt totum, & aliundè ipſa eſt totum potentiale comparativè ad ſpeciem ſibi inferiorem, implicitè continens quidquid continet ſpecies cum ſola differentia penès determinatum, & indeterminatum, ut loc. cit. de ent. & eſſent. docet Ang. Doct. conſequens fit genus de ſpecie prædicari poſſe, non quidem in eo quod pars, quia pars, in eo quod pars, directè, & in recto nequit prædicari de toto, non enim homo eſt animalitas, ſed ex animalitate cōponitur, ſed in quantum ſignificatur per modum totius; utroque enim modo pars ſignificari poteſt, ut inquit Cajet. ſuper cap. 3. de ent. & eſſent. §. *in hac ſecunda parte capituli*, prope finem.

§. IV. *Corollaria ex dictis.*

EX dictis in articuli diſcurſu colligitur, genus, ſpeciem, & differentiam ſignificare quidem totam eſſentiam, verùm ſolius ſpeciei eſt, ut eam exprimat cōpletè. Quia genus tantum exprimit id, quod habet commune cum alijs ſpeciebus, differentia tantùm explicat id, in quo differt: ſpecies verò utrūque comprehendit, & exprimit, ſcilicet determinatam materiā, quā deſignat nomen generis, & formā, quā deſignat nomen differentiæ, ut docet D. Th. cap. 3. de ent. & eſſent. lit. E. undè & genus ſolet cōmuniter dici *totum perfectibile*, *differentia totum perfectivum*, & *ſpecies totum perfectum*.

Ex quo ſimiliter habetur, proprium, & accidens etiam ut tota prędicari, cum enim dicitur, *homo eſt riſibilis*, *homo eſt albus*, *riſibilis*, & *albus*, licet ſolùm explicent accidentia quędam hominis, reverà etiam ſignificant rem ipſam, cui adjungūtur, reſibilis enim eſt, qui habet reſibilitatem, & albus, qui habet albedinem.

ART. II.

Quodnam ſit diffinitum in diffinitione generis?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis ſtatuitur prima concluſio.

AD intelligentiā articuli primò ſupponendū eſt nomen genus eſſe terminum connotativū, & conſequenter duplex ſignificatū habere, materiale videlicet, & formale, quorū hoc ſecundūm eſt ipſa ſecunda intentio rationis, materiala verò eſt natura illa, quę ab intentione generis denominatur, ſicut hoc nomen *album* de formali ſignificat albedinē, de materiali autem ſignificat corpus, cui inhæret albedo. Undè genus eſt concretū ſecūdò intentionale, aut concretū accidentale rationis includens naturam, ut ſubjectū, & ſecundā intentionē, ut formā. Propterea quidquid dixerimus de diffinito in diffinitione generis, proportionalitèr de ōnibus

alijs prædicabilibus, & concretis accidentalibus dicendũ eſt, nàm de omnibus eadem eſt difficultas.

Secundò notandum eſt cum D. Th. quodlib. 9. art. 5. ad 1. & 7. Metaph. lect. 4. omne accidens, ſive in concreto, ſive in abſtracto ſemper poſſe diffiniri per additionem, id eſt per ordinem ad ſubjectum, quod eſt extrà eſſentiam illius, cum hac tamẽ differentia, quod quando accidens diffinitur in concreto, ſubjectum ponitur loco generis, quandó verò diffinitur in abſtracto, ponitur ſubjectum loco differentię: ſicut ſimus in concreto diffinitur *naſus curvus*, & ſimiſtas in abſtracto diffinitur *curvitas naſi*, ubi conſtat ſubjectum loco differentiæ poni. Et criſpus in cõcreto diffinitur *capillus cõtractus*, & criſpitudo in abſtracto *contractio capillorum*.

Tertiò ſupponendum eſt, accidens metaphiſicè diffiniri etiam per additamentum, & cum ordine ad ſubjectum in eius tamen diffinitione pro genere poni rationem communem, & genericam accidentis in concreto, & rationem differentialem in concreti aſſumi pro differentia, ut cum dicitur, *album eſt coloratum diſgregativum viſus*, in qua diffinitione coloratũ ſupponit pro ſubjecto, ſed non ponitur expreſsè ſubjectum, ſicut expreſsè in diffinitione phiſica ponitur.

Quartò ſupponimus in diffinitione præſenti non diffiniri ſecundam intentionem generis in abſtracto, quia illa prout ſic, nec ut *quod*, nec ut *quo* prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in *eo quod quid*, ut per ſe manifeſtum eſt.

Tandem ſupponimus, naturam, quæ denominatur genus, ſecundum ſe ſumptam non eſſe diffinitum prædictæ diffinitionis. Tùm, quia diffinitum prędictę diffinitionis debet ad Logicam pertinere, ſicut ipſa diffinitio, natura verò ſecundum ſe non pertinet ad Logicam, quandoque namque natura, quæ denominatur genus, eſt aliquid reale: conſtat autem naturas reales inſpectas ſecundum ſe ad Logicam non pertinere. Tùm etiam, quia diffinito iſtius diffinitionis eſſentialitèr convenit diffiniito, naturæ verò ſecundum ſe non convenit eſſentialitèr prædicabilitas de pluribus, ſed illi accidentalitèr advenit, ſicut & ipſa intentio univerſalis, & prędicabilis.

Rurſus etiam, diffinitum huius diffinitionis debet eſſe illud, in quo omnia genera par-

particularia habent univocam convenientiam, & naturę quę denominantur ab intentione generis, talem convenientiā non habent, cum aliquæ ſint entia realia, alia entia rationis, aliæ ſubſtantiæ, alia accidentia, quibus omnibus ſecundum ſuum eſſe nihil univocum poteſt dari.

Quapropter difficultas ſolum eſt, an diffinitum formale *quod* diffinitionis prædictæ ſit natura prout ſubeſt ſecundæ intentioni generis, ità ut natura directè, & in recto diffiniatur, ſecunda autem intentio indirecte, & in obliquo, vel e contrà diffinitum prædictum ſit ſecunda intentio in recto, & natura ſolum ingrediatur in obliquo: aut tale diffinitū ſit aggregatum ex natura, & ex ſecunda intentione, ità taliter, quod utrumque ingrediatur diffinitionem, & eſt eius diffinitum.

Primum docent communiter Authores Societatis, quibus noviſsimè adhæret P. Loſſada, & ex noſtris Javellius, & Lerma allegans pro ſe Sap. Mag. Soto quæſt. unica de genere art. 1. concl. 2. ſecundum docet Cajetanus cap. de genere, quem ſequuntur regulariter noſtri Thomiſtæ, quibus etiam conſentiunt ferè omnes Scotiſtæ, ut refert Merinero cap. 2. de genere, diſp. unic. quæſt. 1. Tertium verò tenent Cabero, Oviedo, Peñafiel, & plures alij extra Scholam D. Tho. Quid autem verùm ſit, duplici concluſione dicemus.

§. II.

Prima concluſio.

Aggregatum non eſt diffinitum formale quod iſtius diffinitionis.

COnclusionem iſtam apertiſsimè docet Ang. Precep. cap. 7. de ente, & eſſent. circa principium, ubi, poſtquàm dicit, quod eſſentia ſignificatur per diffinitionem, & ità oportet, quod eadem modo habeant eſſentiam, quo habent diffinitionem, & quod accidentia habent diffinitionem incompletam, quia non poſſunt diffiniri, niſi ponatur ſubjectum in eorum diffinitione, paulo poſt ſubjungit: *Ex accidenti, & ſubjecto non fit unum per ſe, ſed unum per accidens, & ideo ex eorum conjunctione non reſultat eſſentia quædam, ſicut ex conjunctione formæ cum materia, propter quod accidens, neque rationem completæ eſſentiæ habet, neque pars completæ eſſentiæ eſt, ſed ſicut ut ens ſecundum quid, ità*

eſt

& eſſentiam ſecundum quid habet. Quod idem repetit Doct. Ang. 7. Metaph. lect. 3. propè medium, ubi ex textu Philoſ. ponit iſtammet quæſt. in terminis, quam nos in præſenti proponimus, eiuſque reſolutio manifeſtè ſuadet de mente ipſius eſſe concluſionē noſtram. Ac demúm, loc. cit. de ent. & eſſent. lit. H. ait: quod *ex accidenti, & ſubiecto non fit unum per ſe, undè non reſultat ex eorum conjunctione aliqua natura, cui intentio generis, & ſpeciei poſsit attribui.* Quę verba adeo favent concluſioni noſtrę, ut potius indigeant lectione, quàm explicatione.

Ratione verò probatur concluſio noſtra: aggregatū per accidens non eſt veré diffinibile unica diffinitione; ſed diffinitio generis eſt unica diffinitio, & aggregatum ex natura, & ſecunda intentione ingredientibus equè primò, & in recto, eſt aggregatum per accidens: ergo nequit eſſe diffinitum formale quod iſtius diffinitionis. Min. quantum ad primam partem conſtat; quantum ad ſecundam etiam certa videtur. Nàm aggregatum per accidens illud eſt, quod conſtat equè primó, & in recto ex rebus pertinentibus ad prædicamenta diverſa, ſicut ex ſubſtantia, & accidenti, vel ex accidentibus diverſi prædicamenti, vel ex ente reali, & aliquo ente rationis; qualiter aggregatum prędictum conſtat ex natura reali, & ſecunda intentione rationis, à qua genus denominatur ipſa natura: ergò aggregatum ex natura, & ſecunda intentione, utraque ingrediente in recto, eſt aggregatum per accidens.

Maior verò prob. unica diffinitio tantùm poteſt explicare unam eſſentiam; ſed aggregatum per accidens non importat unam eſſentiam, ſed plures, cum ſit aggregatum plurium quidditatum pertinentium ad prædicamenta diverſa: ergó aggregatum per accidens non eſt verè diffinibile unica diffinitione. Prob. mai. unica diffinitio conſtat unico genere, & unica differentia, nám ſi duplici genere, & differentia duplici conſtat, erit duplex diffiuitio; ſed ubi eſt unicum genus, & nnica differentia, ſolùm eſt unica eſſentia: ergò unica diffinitio tantum poteſt explicare unam eſſentiam.

Reſpondent Adverſarij, aggregatum ſupradictum non conſtare ex natura ſecundum ſe, & ſecunda intentione, qualiter diffiniri non poſſet unica diffinitione, ſed potius conſtare ex natura, ut eſt ſubiectum

tum intentionis prędictæ, ſecundum quam rationem non ponit in numero cum intentione ipſa in concreto: & ità unica diffinitione diffiniri poteſt.

Sed contrà eſt: quia natura, ut ſubeſt ſecundæ intentioni, ſolùm importat intentionem in obliquo, non verò illam importat in recto; ſicut quodcumque ſubjectum, ut ſubeſt formæ, non dicit illam in recto, ſed duntaxat in obliquo: ergò ſi diffinitum prædictę diffinitionis eſt natura, ut ſubeſt intentioni rationis, diffinitum diffinitionis prædictæ non erit aggregatum, quatenús utramque partem importat in recto.

Secundò reſpondent alij, aggregatum per accidens cōpoſitum ex partibus diſparatè ſe habentibus non poſſe diffiniri unica diffinitione: poſſe tamen unica diffinitione diffiniri, quando reſultat ex partibus, quæ per modum potentiæ, & actus, aut ordinatè ſe habent, qualitèr ſe habent natura, & ſecunda intentio.

Contrà tamen eſt: nàm ideò primum aggregatum non eſt diffinibile unica diffinitione, quia non conſtat unico genere, & unica differentia; ſed etiam aggregatum ex natura, & ſecunda intentione non conſtat unico genere, & unica differentia, cum alia ſit differentia naturę in recto, & ſecundę intentionis in recto: ergó hoc aggregatum non erit verè diffinibile unica diffinitione. Tùm etiam, quia quando duo diffiniuntur unica diffinitione, per illam quid ſit utrumque explicatur; unica autem diffinitione nequit explicari, quid ſit natura in recto, & quid ſit ſecunda intentio: natura enim in recto non eſt eſſentialitèr ſecunda intentio, nec ſecunda intentio in recto eſt eſſentialiter natura, & ità eſſentia utriuſque in recto diverſa eſt; ſed unica diffinitione nequit explicari eſſentia duplex in recto, aliàs diffinitio eſſet duplex eſſentia diffinita, & conſequentèr diffinitio duplex: ergò unica diffinitione explicari non poteſt, quid natura ſit, & quid ſit ſecunda intentio.

Confirmatur: ſolùm ens per ſe eſt diffinibile, & ſcibile verè; ſed aggregatum per accidens, licet conſtet ex partibus, ſe habentibus per modum potentię, & actus, non eſt ens per ſe, aliàs non eſſet aggregatum per accidens: ergò etiam tale aggregatum nō erit diffinibile unica diffinitione. Prob. mai. Nàm ideò probatur in Metaphiſica numerum eſſe ens per ſe, veramque ſpe-

ſpeciem quantitatis, quia eſt objectum Arithmeticæ, & conſequenter, per ſe ſcibile: ergò ſolùm ens per ſe eſt diffinibile, & ſcibile verè.

Dices: non benè valet, aliquid eſt per ſe ſcibile: ergò ens per ſe: ergò non tenet doctrina data. Prob. ant. Non benè valet, aliquid eſt ſcibile ſimpliciter, ergò eſt ſimpliciter ens, ut patet in ente rationis: ergò non benè valet, eſt ſcibile per ſe, ergò ens per ſe.

Reſp. neg. ant. & ad probationem neg. conſeq. Quia ens ſecundum quid, quale eſt ens rationis, habet veram eſſentiam, & veram connexionem cum proprietatibus ſuis, & ideò eſt ſimpliciter ſcibile; ſed ens per accidens non habet veram eſſentiam, veraſque paſsiones, & ideò non eſt verè ſcibile; proindeque ex quo aliquid ſit verè ſcibile, bene infertur eſſe ens per ſe.

§. III.

Solvuntur argumenta contrariorum.

COntrà concluſionem arguitur primò: Aggregatum per accidens poteſt per unicam diffinitionem diffiniri: ergò aggregatum ex natura, & ſecunda intentione, utraque ingrediente in rectò, erit diffinitum formale *quod* in diffinitione generis. Prob. ant. Unio accidentalis partium ſufficit, ut aggregatum ex illis poſsit diffiniri unica diffinitione: ergò aggregatū per accidens poteſt per unicam diffinitionem diffiniri. Prob. ant. Civitas diffinitur unica diffinitione, & ſyllogiſmus unica diffinitione diffinitur, & tamen partes Civitatis, & ſyllogiſmi ſolùm accidentaliter uniuntur: ergo unio accidentalis partium ſufficit, ut aggregatum ex illis poſsit diffiniri unica diffinitione.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. ant. Unio accidentalis partium &c. ſi una pars importetur in recto, & alia de connotato, conc. ant. ſi utraque importetur in recto, neg. ant. & conſeq. Quia unio accidentalis ſufficit, ut aggregatū diffiniatur unica diffinitione, quando aggregatum non importat utramque partem in recto, ſed unam in recto, & aliam de connotato; ſicut Civitas in recto importat, ordinē civilē, & Cives de connotato; & ſyllogiſmus importat in recto intentionē ſyllogiſmi, propoſitiones autem componentes importat de cōnotato; non tamen poteſt aggregatum unica diffinitione diffiniri, ſi utramque partem importet in recto.

Inſtabis: unio accidenta-

ta-

tàlis partium ſufficit, ut aggregatum ex illis poſsit diffiniri unica diffinitione, etiam ſi utraque pars ingrediatur in recto: ergò nulla eſt ſolutio. Prob. ant. Syllogiſmus importat in recto intentionem maioris, minoris, & conſequentis, ex quibus pro formali componitur; & tamen eſt diffinibilis unica diffinitione: ergó unio accidentalis partium ſufficit, ut aggregatum ex illis poſsit diffiniri unica diffinitione, licet utraque pars ingrediatur in recto.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. mai. intentionem mai. min. & conſequentis, *tanquam quid partiale, & incompletum*, conc. mai. *tanquam quid totale, & completum*, neg. mai. & conc. min. neg. conſeq. Licet namque ſyllogiſmus pro formali componatur ex prædictis intentionibus, in quibus conſiſtit eius modus, & figura; quia tamen intentiones prædictæ ſunt intentiones partiales, & incompletæ conſtituentes eandem formam totalem, ſcilicet ſecundam intentionem ſyllogiſmi, quæ unica eſt, & cadens ſuprà omnes partes, ex quibus ſyllogiſmus coaleſcit, idcircó plures partes totales in recto importare nequit, ac proindè unica diffinitione diffiniri poteſt: aggregatum verò omnes eius partes, quantumvis totales, in recto importare debet, aliàs non erit aggregatum, & ità unica diffinitione diffiniri non poteſt.

Secundó arguitur: aggregatum per accidens habet ſuam eſſentiam: ergó poteſt diffiniri unica diffinitione. Prob. ant. Quidquid exiſtit in rerum natura habet ſuam eſſentiam; ſed aggregatum per accidens exiſtit in rerum natura: ergò ſuam eſſentiam habet.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. mai. ſuam eſſentiam *per ſe, vel per accidens*, conc. mai. *per ſe præcisè*, neg. mai. & conc. min. diſt. conſeq. eſſentiam *per accidens*, conc. conſeq. *per ſe*, neg. conſeq. Non enim omne id, quod exiſtit in rerum natura, habet unam, & determinatam eſſentiam, & diffinitionem per ſe; ſed plura ſolùm habent unam eſſentiam per accidens compoſitam ex pluribus eſſentijs in recto ingredientibus aggregatum, & ex æquo in illa ſe habentibus; ſicut hoc aggregatum *Socrates eſt albus, & muſicus, & criſpus*, ſolùm habet eſſentiam unam per accidens, & ſimiliter ea, quæ ſunt unum in continuitate, ſicut Illias ſeu poëma de bello Troyano, aut ea quæ ſunt unum per colligationem, ut ſi dicé-

ceretur, quod *domus eſt lapides, & cementum, & ligna*: quæ omnia ſolùm habent eſſentiam una per accidens, ut inquit D. Th. 7. Metaph. lect. 4. propè medium. Huiuſmodi autem eſt aggregatùm per accidens, ut cap. 7. de ent. & eſſent. docet Ang. Doct. Undè non poteſt diffiniri unica diffinitione, eo enim modo, quo habet eſſentiam, habet diffinitionem, ut inter probandam concluſionem diximus ex D. Th.

Inſtabis: habere eſſentiam compoſitam per accidēs ex pluribus, eſt quædam eſſentia determinata: ergò ſi per accidens habet eſſentiam compoſitam ex pluribus, habet determinatam eſſentiam, & ita erit verè diffinibile unica diffinitione per ſe tali.

Reſp. diſt. conſeq. habet determinatam eſſentiam, *ſi conſideretur in communi*, conc. conſeq. *ſi in particulari conſideretur*, neg. conſeq. Nàm ſi aggregatum per accidens conſideretur in communi, habet quidem eſſentiam determinatam, conſiſtentem in eo, quod eſt habere plures eſſentias unitas, & aggregatas; ſi tamen eſſentia aggregati per accidens conſideretur in ſingulari, & exercite, in aliquo ente per accidens exercitè exiſtente, aut exiſtente objectivè in particulari, non eſt una, ſed ſunt plures eſſentiæ per accidens aggregatę: & ideò nullum particulare poteſt eſſe unica diffinitione diffinibile, proindeque aggregatum ex natura, & ſecunda intentione non poterit eſſe diffinitum in diffinitione generis.

Tertiò arguitur: diffinitum eſt illud, cui convenit diffinitio; ſed aggregato ex natura, & ſecunda intentione convenit diffinitio generis: ergò illud eſt diffinitum. Prob. min. Natura prædicatur *ut quod*, & ſecunda intentio prędicatur *ut quo*; ſed non aliud in diffinitione generis importatur: ergò aggregato ex natura, & ſecunda intentione convenit diffinitio generis.

Reſp. neg. min. & ad prob. neg. conſeq. Argumentum enim convincit oppoſitum ſui intenti, nàm ſi una pars prædicatur *ut quod*, & alia prædicatur *ut quo*, aggregatum formaliter ut tale nec ut *quo*, nec ut *quod* prædicatur, & conſequenter aggregato ex natura, & ſecunda intentione non convenit diffinitio generis.

Inſtabis: ſecunda intentio in concreto eſt aggregatum, ſed illi convenit diffinitio generis, ut poſteà dicemus: ergò etiam aggregato

ex

ex natura, & ſecunda intentione. Prob. mai. ſecunda intentio in concreto non eſt ſola intentio, ſed ſecunda intentio, & etiam ipſa natura: ergò ſecunda intentio in concreto eſt aggregatum.

Reſp. neg. mai. & ad prob. diſt. ant. ſecunda intentio *in recto*, & etiam ipſa natura *in obliquo*, conc. ant. utrumque in *recto*, neg. ant. & conſeq. Licet namque ſecunda intentio in concreto non ſit intentio ſola, ſed ſit intentio, & natura, eſt quidem intentio in recto, & natura ſolùm in obliquo, & conſequentèr non eſt aggregatum; quia aggregatum importat utramque partem in recto. Ex quo fit, genus formaliter eſſe unum ſimpliciter, eo quod non dicit in recto utramque partem, ſed ſolùm ſecundam intentionem, ut connotantem naturam, & ſecunda intentio ut ita connotans eſt una ſimplicitér: undè diffinitio generis erit ſimplicitér una, nàm unitas diffinitionis ab unitate diffiniti formalis, & directi deſumitur.

Quartò arguitur: eadem diffinitio poteſt explicare duas eſſentias: ergó aggregatum per accidens poteſt diffiniri unica diffinitione. Prob. ant. ſicut diffinitio adæquatur cum quidditate, quam explicat, ità ſpecies adæquatur cum objecto, quod repræſentat; ſed eadem ſpecies poteſt repræſentare duo, aut plura obiecta, ut patet in ſpecie Angeli: ergò eadem diffinitio poteſt explicare duas eſſentias.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. mai. *ità*, *& diverſo modo*, conc. mai. *ità*, *& eodem modo*, neg. mai. & conc. min. neg. conſeq. Et ratio diſcriminis eſt, quia ſpecies non petit adæquari cum quidditate objecti, ſed ſolùm cum objecto pro formali, quod poteſt ſub ſe comprehendere plures quidditates, pluraque objecta poſſunt pro formali convenire in hoc quod eſt repræſentari per unam ſpeciem: diffinitio verò, cum conſtet uno genere, & unica differentia, adæquatur cum unica quidditate, & ità unam ſolã eſſentiam explicare poteſt: maximè cum diffinitio ſit ipſa quidditas diffinita, ac proinde ubi duplex eſt quidditas, duplex erit diffinitio. Adeſt exemplum in Angelo, qui eadem ſpecie, immò eodem conceptu comprehenſivo attingit hominem, & præciſiones illius, & tamen diverſa diffinitione objectiva diffinit hominem, & illius proprietates. Undè licet una ſpecies poſsit duo objecta repræſentare, non tamen unica diffinitio

explicare poteſt duas eſſentias, quia convenientia in eſſe repræſentativa minor eſt, quàm convenientia in eſſe entis, de cuius genere quidditates ſunt, conſequenterque ex duplici quidditate non poteſt fieri unica quidditas, unica diffinitione diffinibilis.

Inſtabis materia, & forma ſunt duo quidditates, & tamen ex illis fit una quidditas totalis: ergò ex duplici quidditate poteſt etiam una quidditas reſultare.

Reſp. diſt. mai. *duæ quidditates incompletæ, & eiuſdem lineæ*, conc. mai. *completæ, & diverſæ lineæ*, neg. mai. & conc. min. neg. conſeq. ſub diſt. mai. Materia namque, & forma ſunt duæ quidditates partiales, & incompletæ, eiuſdem lineæ, & ordinis ſubſtantialis, quarum una comparatur ad alteram, ut potentia ad actum, & ideò poteſt ex illis una quidditas completa reſultare: ex duplici verò quidditate completa, & diverſę lineę, non poteſt una quidditas reſultare, quia quidditates completæ habent completam ſpeciem, & ex duplici ſpecie completa alia ſpecies completa reſultare non valet. Et per hunc modum ſe habet aggregatum ex ſubjecto, & accidenti, & ideò ex eorum conjunctione non reſultat eſſentia quædam, ſicut ex conjunctione formę cum materia, ut docet D. Th. cap. 7. de ente, & eſſentia.

Dices: ſubiectum, & ſecunda intentio ſunt ſpecies incompletæ in genere Logicę: ergò ex illis in recto, & ex æquo conſideratis poteſt reſultare unica eſſentia completa unica diffinitione diffinibilis.

Reſp. neg. ant. Quia ſubjectum per ſe non eſt de genere Logico, nec in tali genere eſt ſpecies incompleta, ſed potius eſt ſpecies completa in genere phiſico, & ideó ex illa, & ſecunda intentione in recto una quidditas completa in genere logico reſultare non poteſt.

§. IV.

Secunda concluſio.

Diffinitum formale quod *in diffinitione generis eſt ſecunda intentio in concreto, & ut connotat naturam, ipſa verò natura ſolum eſt diffinitum materiale, & in obliquo.*

Concluſionem iſtam pluribus in locis docuit Ang. Doct. præcipuè 5. Metaph. lect. 9. §. *diſtinguit modum*, propè finem, ubi ait: *Nec eſt verum, quod Avic. dicit, quod prædicata, quæ ſunt in generibus accidentis, principaliter ſignificant ſubſtantiam, & per poſterius accidens, ſicut hoc quod dico album, & muſicum. Nam album, ut in prædicamentis dicitur, ſolam qualitatem, ſignificat. Hoc autem nomen album ſignificat ſubiectum ex conſequenti, in quantum ſignificat albedinem per modum accidentis.* Et 7. Metaph. lect. 1. §. *probat idem*, inquit, *quod unumquodque talium nominum, quæ ſignificant accidens in concreto, videtur importare prædicamentum ſubſtantiæ, non ità quod prædicamentum ſubſtantiæ ſit pars ſignificationis talium nominum, album enim, ut in prædicamentis dicitur, ſolum qualitatem ſignificat, ſed in quantum huiuſmodi nomina ſignificant accidentia, ut inhærentia ſubſtantiæ.* Et 8. Metaph. lect. 4. §. *determinat*, aſſerit, *quod album ſignificat formam tantum.* Cum ergò genus ſit concretum accidentale, ut in 1. notabili dictum eſt, ſolam ſecundam intentionem in concreto, & ut connotantem naturam, cui inhæret, ſignificare debet, conſequenterque illa ſola, prout ſic, erit diffinitum formale *quod* in diffinitione generis.

Modò autem ratione communi ex doctrina Div. Thom. deſumpta probatur concluſio noſtra. Illud eſt diffinitum formale *quod* in diffinitione generis, quod principaliter, & formaliter per nomen ſignificatur, nàm in quacumque diffinitione diffinitum formale *quod*, illud eſt, quod formaliter, & directè ſignificatur per nomen, ſic enim diffinimus res, ſicut illas concipimus, & ſicut concipimus, ità nominamus, undè quod per nomen principaliter ſignificamus, debet eſſe principaliter diffinitum; ſed nomen genus principaliter, & formaliter ſignificat intentionem generis in concreto: ergò ſecunda intentio in concreto debet eſſe diffinitum principale, directum, for-

male, & *quod.* Prob. min. primò ex Ariſtot. & Div. Thom. aſſerentibus in locis cit. antecedentèr, quod *album ſolum qualitatem ſignificat*, quod utique de ſola illa principaliter, & in recto ſignificata intelligendum eſt, ſi namque ſubjectum in recto ſignificaret, non deberet dici, quod album ſolam qualitatem ſignificat, ſicut non dicitur hominem ſignificare ſolam animam rationalem: quia quamvis animam principaliter ſignificet, non tamen illam ſolam in recto, ſed etiam corpus ipſum ſignificat, ſed de hoc nomine genus idem dicendum eſt: ergò aſſerendum eſt, genus ſolam ſecundam intentionem ſignificare principaliter, & in recto.

Secundò prob. min. ſignificatum formale huius termini *genus* idem eſt, quod ſignificatum formale huius termini *genereitas*, nàm concretum, & abſtractum idem habent formale ſignificatum, quamvis modo diverſo, quatenùs concretum ſignificat illud in concreto, & alterum in abſtracto; ſed ſignificatum formale huius termini *genereitas* eſt ſecunda intentio in abſtracto: ergò etiam ſignificatum formale huius termini *genus* erit ſecunda intentio in concreto.

Inſtabis: falſo dicitur concretum accidentale ſignificare formam in recto, & ſubjectum in obliquo: ergò ratio prædicta nititur principio falſo. Prob. ant. Terminus concretus idem prędicat, quod ſignificat, iuxta Doctrinam Div. Tho. opuſc. 56. ſed terminus concretus non prędicat formam in recto: ergò illam non ſignificat in recto.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. mai. terminus concretus *abſolutus*, conc. mai. *connotativus*, ſubdiſt. *idem*, & *eodem modo*, neg. mai. *idem modo diverſo* conc. mai. & min. & neg. conſeq. Licet nam-

namque absolutè verum sit, quod terminus absolutus idem prædicat, quod significat, & de quo solùm loquitur Div. Thom. opusc. cit. cum ponat exemplum in isto termino *homo*, qui terminus absolutus est, terminus tamen connotativus non idem, & eodem modo prædicat, quod significat, sed formam, quam significat in recto prędicat in obliquo, & subjectum, quod significat in obliquo, prædicat in recto: & ratio est, quia significatur id, quod exprimitur per terminum, prædicatur verò, quod identificatur cum subjecto, & quia albedo v. g. exprimitur per ly *album*, non tamen cum subjecto identificatur, propterea cum dicimus, *Petrus est albus*, albedo, quæ significatur in recto, prædicatur in obliquo, & subjectum habens, significatum in obliquo, prædicatur in recto: nam idem est dicere, *Petrus est albus*, & Petrus est habens albedinem.

Secundò probatur conclusio nostra ratione: illud est diffinitum formale *quod* in diffinitione generis, cuius quidditas, & natura principaliter, & ut *quod* explicatur per talem diffinitionem; sed per diffinitionem generis principaliter, & ut *quod* explicatur quidditas, & natura secundę intentionis in recto: ergo secunda intentio in recto erit diffinitum *quod*. Mai. patet. Nam diffinitio per se ordinatur ad explicandam essentiam rei diffinitæ, & consequenter illud, cujus quidditas, & natura principaliter, & ut *quod* explicatur per aliquam diffinitionem, erit diffinitum formale *quod* prędictæ diffinitionis. Min. verò prob. Illius quidditas, & natura principaliter, & ut *quod* explicatur per diffinitionem generis, cuius effectus formalis explicatur in diffinitione prędicta; sed *prædicari de pluribus*, quod in diffinitione generis explicatur, est effectus formalis secundæ intentionis generis, ut connotantis naturam: ergò per diffinitionem generis principaliter, & ut *quod* explicatur quidditas, & natura secundę intentionis in recto.

Secundò prob. min. specialiter contra Authores oppositę sententiæ subscribentes. Diffinitum formale *quod* cuiuscumque concreti Logici debet esse illud, cuius essentiam principaliter,

& ut *quod* conſiderat Logica; ſed Logica principaliter, & ut *quod* conſiderat ſolùm eſſentiam ſecundæ intentionis in concreto, & in obliquo ſubſtractum, quod ſolùm ratione ſecundę intentionis conſideratur à Logica, ut tenent omnes Thomiſtæ: ergó, apud Thomiſtas omnes, diffinitum formale *quod* in diffinitione generis ſolùm debet eſſe ſecunda intentio generis in concreto.

Ex eadem doctrina conſtat naturam denominatam à ſecunda intentione generis ſolùm eſſe diffinitum materiale, & in obliquo, non verò diffinitum principale *quod*, & in recto diffinitum. Quia diffinitum principale *quod* formaliter, & in recto diffinitum in prędicta diffinitione debet eſſe illud, quod in recta ratione ſui, & formaliter ad Logicam pertinet, ſed natura a ſecunda intentione generis denominata, ut prædictæ intentioni ſubeſt, non pertinet ad Logicam formaliter, & ratione ſui: ergò natura, ut ſubeſt intentioni generis, nequit eſſe diffinitum principale *quod*, & in recto, ſed ſolùm materiale, & in obliquo. Prob. min. Ratione illius pertinet ad Logicam, ratione cuius cõſtituitur formaliter intra illius objectum, & abſtractionẽ; ſed ſolùm ratione ſecundę intentionis conſtituitur intrà objectum Logicę, & illius abſtractionem ab omni materia negativè, non autem ratione ſui: ergô natura, etiam ut ſubeſt, ſolúm ratione ſecundæ intentionis, & non ratione ſui poteſt ad Logicam pertinere.

§. V.

Solvuntur argumenta.

COntrà concluſionem iſtam arguitur primò: diffinitum in diffinitione generis eſt genus, ſed genus eſt ipſa natura, non verò ſecunda intentio, ut connotans naturam: ergò natura eſt directum, & formale diffinitum. Prob. min. Illud eſt genus pro quo ſupponit nomen; ſed nomen genus ſupponit pro natura, quæ eſt ſubjectum intentionis, non verò pro ipſa intentione: ergó genus eſt ipſa natura, non verò ſecunda intentio.

Reſp. diſt. mai. eſt genus pro *formali*, conc. mai. *pro materiali*, neg. mai. & diſt. min. genus *pro materiali*, conc. min. *pro formali*, neg. min. ad cuius probationem diſt. mai. illud eſt genus *denominativè*, & *accidentaliter*, conc. mai. *eſſentialiter*, & *per ſe*, neg.

neg. mai. & conceſ. min. neg. conſeq. Illud enim pro quo ſupponit nomen, tantùm eſt denominativè, & accidentaliter genus, non verò eſſentialiter, & per ſe, quia *prædicari convenit generi per ſe, cum in eius diffinitione ponatur*, ut inquit D. Th. c. 4. de ent. & eſent. lit. K. ſoli autem ſecundæ intentioni convenit per ſe prædicari, quę ſola eſt ratio formalis prædicandi, & ità ſola ipſa eſt eſſentialiter genus, & diffinitum formale diffinitionis prædictę, natura verò, quę ſubeſt intentioni, ſolùm eſt genus materialiter, non formaliter, ut loc. cit. indicat ipſe D. Th. per hęc verba: *ratio prædicabilitatis clauditur in ratione huius intentionis, quæ eſt genus :::: id autem, cui intellectus intentionem prædicabilitatis attribuit, componens id cum altero, non eſt ipſa intentio generis, ſed potius id, cui intellectus intentionem generis attribuit, ſicut quod ſignificatur hoc nomine animal.*

Inſtabis: naturæ convenit eſſentialiter prædicari de pluribus: ergò ipſa eſt eſſentialiter genus. Prob. ant. Sola natura, v. g. *animal*, eſt de eſſentia inferiorum; undæ iſtæ prædicationes ſunt eſſentiales: *homo eſt animal, equus eſt animal*: ergò naturę convenit eſſentialiter prędicari, nam illi convenit eſſentialiter prędicari, quod eſt de eſſentia inferiorum.

Reſp. diſt. ant. eſſentialiter prædicari *ex parte rei prædicatæ*, conc. ant. *ex parte rationis ſub qua*, neg. ant. & conſeq. Quia natura ſolùm eſt id, quod prędicatur eſſentialiter de inferioribus ex parte rei prędicatę, & hoc modo intelligendus eſt D. Th. dum cap. 4. de ent. & eſſent. lit. D. ait: quod *natura ſecundum ſe eſt, quæ prædicatur de omnibus individuis*: ratio verò ſub qua prędicandi eſt ſola ſecunda intentio: & ſicut ipſa convenit naturæ accidentaliter, ità etiam prædicari accidentaliter, & denominativè convenit naturę. Undé ſoli ſecundæ intentioni eſſentialiter abſolutè convenit prædicari.

Dices: quamvis naturæ ſecundum ſe conveniat accidentaliter prędicari naturæ tamèn reduplicative ut ſubeſt, convenit eſſentialiter, ſicùt homini albo reduplicativè habenti albedinem eſſentialiter convenit disgregare viſum: ergó natura, reduplicativè ut ſubeſt, erit eſſentialiter genus.

Reſp. diſt. ant. eſſentialiter *ratione ſecundæ intentionis*, conc. ant. *ratione ſui* neg. ant. & conſeq. Quia licet prædicari conveniat eſſentialiter na-

turæ ut ſubeſt, & reduplicata forma, vel ſubſtracto, ut illam habenti: non tamen convenit illi ratione ſui, ſed ratione ſecundæ intentionis, quam ſubinduit, & reduplicat ſaltim in obliquo; ut autem natura eſſet eſſentialitèr genus, debebat illi per ſe, & ratione ſui eſſentialitèr convenire illud, quod eſt de *pluribus prædicari*, quod quidem minimè convenit naturæ. Undè natura etiam ut ſubeſt, nequit eſſe diffinitum. Exemplum ſit in hoc quod eſt *disgregare viſum*, quod quidem ſolum convenit eſſentialiter albedini in cujus diffinitione ponitur *disgregare viſum*, homini verò albo, reduplicativè habenti albedinem purè convenit, ut res denominata disgregativa viſus, quia non convenit illi ratione illius, quod importat in recto, ſed ſolùm ratione albedinis, quam importat in obliquo.

Secundò arguitur: Diffinitum formale *quod* in definitione generis illud eſt, cui in recto convenit diffinitio; ſed diffinitio non competit ſecundæ intentioni in recto: ergò ſecunda intentio non eſt diffinitum formale *quod* in diffinitione prædicta. Prob. min. Secunda intentio non prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid, ſed hęc eſt generis diffinitio, ut vidimus art. prec. ergo diffinitio generis non convenit ſecundæ intentioni in recto, Prob. mai. Secunda intentio generis ea eſt, qua animal conſtituitur genus; ſed ſolùm animal, & non forma, qua conſtituitur genus, de pluribus prædicatur: ergò ſecunda intentio non prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid. Prob. min. Solùm animal, & non intentio prædicta convenit inferioribus, non enim *homo eſt genus*, *aut equus eſt genus*, *ſed homo eſt animal*, *& equus eſt animal*: ergò ſolùm animal, & non forma, qua conſtituitur genus, de pluribus prædicatur.

Reſp. neg. min. & ad prob. diſt. mai. Secunda intentio non prædicatur ut *quod* conc. mai. ut *quo*, neg. mai. Quia ſecunda intentio eſt id ratione cuius naturę convenit prędicari, ideó licèt non prædicetur ut *quod*, prædicatur tamèn ut *quo*; propterea-que diffinitio generis à Porphyrio traddita illi eſſentialitèr convenit, eo quod diffinitio convenit eſſentialitèr illi, quod prædicatur ut *quo*, ſi verò, quod prædicatur ut *quod* ſolùm denominativè, & accidentaliter convenit, ut patet

in

in exemplo ſuprapoſito de diſgregatione viſus reſpectu hominis, & albedinis. Nec probatio ſupperaddita aliquid in contrarium ſuadet: Licet namque ſolùm animal prædicetur de homine, & equori ut res denominata prædicari, ipſum tamen genus eſt, quod per ſe de homine, & equo prædicatur, ut ratio denominandi; ſicut docet Cayet. ſup. cap. 4. de ente, & eſſentia propè finem.

Inſtabis primò: Illud eſt diffinitum *quod*, quod etiam prædicatur ut *quod*: ſed ſecunda intentio non prædicatur ut *quod*, ſed ſolùm natura, ergò ſecunda intentio non eſt deffinitum *quod*; ſed hoc ſolùm habebit natura. Prob. mai. Illud eſt diffinitum *quod* pro quo diffinitio ſupponit; ſed diffinitio tantum ſupponit pro illo, quod prædicatur ut *quod*, ſicut etiam pro eodem ſupponit genus: ergo illud eſt diffinitum *quod*, quod etiam prædicatur ut *quod*.

Secundò inſtabis: eo modo aliquid eſt diffinitum, quo de pluribus prædicatur; ſed ſecunda intentio ſolùm prædicatur ut *quo*, ipſa verò natura prædicatur ut *quod*: ergò ſola natura erit diffinitum *quod*, ſecunda verò intentio ſolùm erit diffinitum *quo*.

Reſp. ad primam replicam neg. utramque mai. Quia diffinitum formale *quod* non eſt illud pro quo diffinitio ſupponit, ſed illud, cuius quidditatem per ſe primò manifeſtat; diffinitio autem generis non explicat per ſe primò quidditatem illius, pro quo ſupponit, vel quod prædicatur ut *quod*, ſed ſolùm ſecundæ intentionis, quę habet pro effectu formali conſtituere prædicabile, & prædicatur ut *quo*: ut etiam aſſerit Sap. Mag. Soto (quem pro ſe allegant Adverſariorum nonnulli) quæſt. unic. de genere art. 1. concl. 2. & in reſp. ad 1. argumentum principale.

Dices: In diffinitione hominis illud eſt diffinitum formale *quod*, pro quo ſupponit in recto hominis diffinitio: ergò idem dicendum eſt in diffinitione generis.

Reſp. neg. conſeq. Quia illud, pro quo ſupponit hominis diffinitio conſtituitur per quidditatem, & eſſentiam diffinitam, & ita mirum non eſt eſſe diffinitum formale *quod*, & idem de omni concreto ſubſtantiali dicendum; illud verò, pro quo ſupponit diffi-

finitio concreti accidentalis, cuiuſmodi eſt genus non conſtituitur eſſentialiter per eſſentiam diffinitam; ſed potiùs talis eſſentia denominative, & accidentaliter, convenit illi; & id circò illud, pro quo ſupponit in recto diffinitio generis nullo jure poteſt eſſe diffinitum formale *quod*.

Ad ſecundam verò replicam reſp. neg. mai. Nam illud, quod tantùm prędicatur ut *quo*, eſt diffinitum *quod* ſiquidem quidditas illius eſt quę directè, & per diffinitionem explicatur; undè quod in ordine ad prædicandum eſt tantùm *quo*, in ordine ad diffinitionem eſt *quod*: quia diffinitio eſt Logicalis, & ideò debet ut *quod*, & principaliter explicare illud, quod ratione ſui poteſt ad Logicam pertinere, & ſolùm *quo* ad prædicandum, vel ratio formalis prædicandi, quæ eſt ſecunda intentio, pertinet ad Logicam per ſe primò.

Dices: natura, ut ſubeſt ſecundę intentioni, per ſe primò poteſt ad Logicam pertinere: ergo ipſa erit diffinitum *quod* in diffinitione Logicali. Prob. ant. Logica, teſte Avicena 1. ſuæ Metaph. eſt de ſecundis intentionibus adjunctis primis; ſed hoc non meliùs verificatur, quam diffiniendo per ſe primò ſubſtracta ſecundarum intentionum, quę ſunt primæ intentiones, ut ſubſtant formaliter ſecundis intentionibus: ergò natura, ut ſubeſt formaliter ſecundæ intentioni, per ſe primò ad Logicam pertinere debet.

Reſp. neg. ant. & ad probat. quæ directum eſt fundamentum, cui innititur ſententia oppoſita, non aliter reſpondere libet, quam verbis Prędicat. Ang. opuſc. 56. propè medium. ubi ex profeſsò propoſitionem Avic. diſcutit. *Impoſsibile eſt*, inquit D. Th. *unam, & eandem ſcientiam determinare de univerſali per ſe quantum ad illas duas naturas, quas includit, (ſcilicet intentionem ſecundam, & rem extra animam, quæ quandoque eſt accidens, ut albedo, quandoque ſubſtantia, ut homo) ſed potius de uno per ſe, & de alio per accidens.* Ex quibus infert D. Th. quod, *cum Logica conſiderat univerſale, non conſiderat ipſum quantum ad naturam ſubjectam per ſe, non enim conſiderat hominem, in eo quod homo, ſed in eo quod ſpecies, & ſic de aliis animalibus. Et ideò Logica principaliter eſt de ſecundis intentionibus. Sed quia ſecundæ intentiones principaliter accipiuntur à proprietatibus rerum mediantibus primis*, ideò dicit Avic. *quod Logi-*

gica eſt de ſecundis intentionibus adjunctis primis : & ſic patet, quod Logicus non conſiderat rem ſubjectam per ſe. Sentit ergó Præcep. Ang. Logicam agere de ſecundis intentionibus per ſe, & principaliter, de naturis verò etiam prout ſubſtant reduplicativè ſecundis intentionibus, ſolùm agere per accidens, cum impoſsibile ſit eandem ſcientiam de utriſque per ſe, & principalitèr determinate. Si per accidens : ergó non ratione ſui, ſed ratione ſecundarum intentionum ad Logicam pertinent : conſequenterque non per ſe primò, diffiniuntur à Logica, ſed ratione ſecundæ intentionis, vi cuius intra objectum Logicę conſtituuntur.

QUÆST. III.
De ſpecie, & in ea.

ART. I.

Utrum diffinitiones ſpeciei prædicabilis, & ſubijcibilis à Porphyrio traditæ bonæ ſint ?

§. I.
Explicantur diverſæ ſpeciei acceptiones.

ORdo prępoſterus videtur in præſenti à Porphyrio ſervari, dùm differentiæ ſpeciem anteponit, maximè cum ordo naturalis ſit, ut de differentia priùſquàm de ſpecie ſermo inſtituatur; conſtat enim ſpecies ex genere, & differentia, & rectus ſcientiarum ordo exigit, ut cognitio totius à cognitionibus partium proficiſcatur; nõ tamen à caſu, ſed conſultò, & neceſſariò commutatus, nàm cum ſpecies, & genus relativè invicem dicantur, & relativa ſint ſimul cognitione, neceſſarium duxit Porphyrius poſt genus proximè de ſpecie ſermonem inſtituere.

Multiplicitèr autem ſpecies accipi ſolet, nàm apud Grammaticos accipitur pro ſpecie primitiva, & derivativa: apud Dialecticos, pro ſpeciebus cognoſcitivis, aut ſenſuum, aut intellectus, & per hunc modum dicitur in libris de Anima, *intellectum intelligere per ſpecies*, ſcilicet per ſimilitudines rerum ipſi impreſſas accipitur etiam ſpecies (ut hic inquit Porphyrius) pro uniuſcuiuſque forma, & venuſtate, à qua res dicitur formoſa, & ſpecioſa; ut eſt illud Regii Pſaltes Pſalm. 44. *ſpecioſus forma præ filijs hominum .. & ſpecie tua & pulchritudine tua intende, proſpere procede, & regna*: & ſimiliter illud ejuſdem Porphyrij. *ſpecies Priami digna eſt imperio.* Præſtan-

tantiſsima autem hominis ſpecies dicitur imperio digna; tum, quia lineamenta corporis, interna virtutis animi indicia ſunt: tùm etiam, quia corporis præſtantia per multum virtutem principis commendat, qua propter inquit Poeta: *Gratior, & pulchro veniens in corpore virtus.* Ac demum accipitur ſpecies pro ea, quę ſub certo, & determinato genere collocatur: Et de hac tantùm apud Logicos ſermo eſt.

Hæc autem adhuc eſt duplex: una quidèm ſubalterna, (quæ etiam dicitur genus ſubalternum) alia verò athoma. Species ſubalterna eſt illa, quæ *diviſibilis eſt in alias inferiores ſpecies*, ſicut *corpus*, *vivens*, *animal*, quę quidem nominantur ſpecies comparativè ad ſubſtantiam, quam contrahunt per differentiam particularem corporeæ, aut animati, vel ſenſibilis, ex qua ſimùl, & ex ratione generica ſubſtantiæ ſpecies ſubalterna reſultat. Species verò athoma eſt ea, *quæ in alias ſpecies diviſivilis non eſt, ſed ſolum in individua materialiter diſtincta*, ſicùt *homo*, vel *equus*, quæ tamen duplicem reſpectum importat: (& hoc idem de ſubalterna dici poteſt) alterum ad genus cui ſubijcitur, & reſpectu cujus dicitur ſubjicibilis; alterum verò ad inferiora, de quibus prædicatur, ſecundum quem prædicabilis appellatur.

Sic igitur *ſubſtantia* v.g. eſt genus corporis, nullius tamen ſpecies eſt, cum ſuprà ſe non habeat alterum genus. *Corpus* verò eſt ſpecies ſubſtantię, ſed genus reſpectu viventis. *Vivens* eſt ſpecies corporis, ſed genus reſpectu animalis. *Animal* ſpecies viventis, genus autem reſpectu hominis. *Homo* verò tam reſpectu ſuperioris, ſcilicet *animal*, quam reſpectu inferiorum *Petri* videlicèt, & *Pauli* ſolum ſpecies eſt, & nullo modo genus. Differentiæ verò, quæ ad latera adſcribi ſolent in arbore prædicabilium, diviſivæ ſunt generis ſuperioris, & conſtitutivę ſpecierum inferiorum: ſicut *corporeum* dividit ſubſtantiam, quę eſt genus generaliſsimum, ſuprà ſe non habens alterum genus, & conſtituit corpus; ipſum enim corpus ſubſtantia corporea eſt. Et ita deinceps deſcendendo per *animatum*, *ſenſibile*, *rationale*, comparative ad *corpus*, *vivens*, *animal*, *homo*. Homo autem, (ſicut & quælibet alia ſpecies ſpecialiſsima) non dividitur formaliter per inferiores differentias, ſed ſolum penes individua materialiter diſtincta.

Pro

Pro cuius clariori intelligentia animadvertere oportet, quod ſingula intermediorum duos habent reſpectus, ſunt enim ſpecies ſuperiorum, genera verò inferiorum: Extrema autem non habent niſi unum duntaxat reſpectum; ſubſtantia enim ita eſt genus, ut nullo modo ſit ſpecies, homo verò ita eſt ſpecies, ut neutiquam ſit genus, eſt enim homo, & ſpecies animalis, & ſpecies Petri, & Pauli. Similitèr ſcias conſentaneum eſt, quod quemadmodum ſubſtantia eſt ſupremum genus, & homo infima ſpecies, ita corpus eſt ſuprema ſpecies ſupra ſe, non habens aliam ſpeciem, & animal infimum genus ſub ſe aliud genus non habens. Quare licèt tria, *corpus*, ſcilicet, *vivens*, *& animal*, ſint quodammodo media, tamen vivens eſt ſimplicitèr medium, quia habet ſuprà ſe non ſolùm genus, ſed etiam ſpeciem, quale eſt corpus, & ſub ſe non ſolùm ſpeciem, ſed etiam genus, quale eſt animal.

Hinc etiam innoteſcit, quare illa inter media dicantur ſpecies, aut genera ſubalterna, non enim dicitur animal ſpecies ſubalterna, quod ponitur ſub alia ſpecie, ſicut propoſitio particularis dicitur ſubalternari univerſali, ſed dicuntur ſubalterna (ut inquit Mag. Soto de ſpecie cap. 2. quod ſubalternatim, & viciſsim modo ſunt genera, modo ſpecies; ſicut animal eſt ſpecies, quatenus ſubijcitur viventi, & genus, quatenus prædicatur de homine. Quod ut facilius percipias, en tibi figuram ſequentem in prædicamento ſubſtantiæ, quod eſt omnium prędicamentorum digniſsimum, & eandem formare poteris in unoquoque novem generum accidentium.

Species igitur athoma, ſeu infima (de qua in præſenti ſermo eſt) ſecundum habitudinem, quam dicit ad inferiora, reſpectu quorum prędicabilis nominatur, diffinitur à Porphyrio per eſſe *id quod prædicatur de pluribus differentibus numero in eo, quod quid.* Quam diſſinitionem eſſe bonam ferè omnes Logici uniformitèr admittunt. Ideò que hæc erit.

§. II.

Prima Concluſio.

Optima eſt diffinitio ſpeciei prædicabilis à Porphyrio traddita.

RAtione communi probatur concluſio noſtra:

Dif-

Diffinitio traddita conſtat ex genere, & differentia: ergó bona, & optima eſt. ant. probat. per ſingulas particulas diſcurrendo. Nam illa particula *prædicatur de pluribus*, ponitur loco generis; aliæ verò loco differentię ponuntur: ergó diffinitio traddita ex genere, & differentia conſtat. Prob. ant. *In prædicari de pluribus*, omnia prędicabilia conveniunt, & per ly *differentibus numero, in eo quod quid*, diſtinguitur ſpecies à quocumque altero prædicabili. Quamvis enim genus, & differentia prædicentur etiam de pluribus differentibus numero, non tamèn eo modo prædicantur, quo in diffinitione ſpeciei intelligitur, eo quod genus non prædicatur de Petro, & Paulo ſolo numero differentibus *immediatè*, ſicut ſpecies, ſed potius ad talia individua mediante ſpecie deſcendit, & mediate prędicatur: Differentia verò, etiam athoma non prædicatur de pluribus differentibus numero in eo *quod quid*, ut ſpecies, ſed ſolùm in *quale quid*, ut in ſuperioribus relinquimus explicatum; proprium denique, & accidens ſolum prædicătur *in quale*. Nec genus, vel differentia etiam athoma prędicantur de pluribus ſolo numero differentibus in *quid completè*, dicendo totam eſſentiam, qualitèr prædicatur ſpecies; ſed genus dicit ſolam partem determinabilem per differentiam ſpecificam: differentia autem partem determinantem importat.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntra concluſionem iſtam arguitur primò: Species prędicabilis debet diffiniri per prędicari de pluribus differentibus ſpecie: ergò non rectè diffinitur per prædicari de pluribus differentibus numero. Prob. ant. In diffinitione prædicta diffinitur ſpecies in communi; ſed ſpecies in communi prædicatur de plutibus differentibus ſpecie: ergò debet diffiniri per prædicari de plutibus differentibus ſpecie. Prob. min. homo eſt ſpecies, & equus etiam ſpecies eſt; ſed homo, & equus differunt ſpecie: ergò ſpecies in communi prædicatur de pluribus differentibus ſpecie.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. mai. ſpecies in communi *primò intentionaliter ſumpta*, conc. mai. *Secundò intentionaliter accepta*, neg. mai. & diſt. min. Species in communi, *ſecundò intentionaliter ſumpta*, conc. min. *pri-*

mò intentionaliter accepta, neg. min. & conſeq. Nam per diffinitionem prędictam diffinitur ex parte *rationis quæ* ſpecies in communi primô intentionalitèr ſumpta, id eſt, ſecundum prædicata realia, quæ habet, quæ ſunt tota eſſentia metaphiſica individui, ſecundum quæ prædicata nulla ſpecies dicitur de pluribus differentibus ſpecie, ſed ſolum de pluribus numero differentibus, v. g. homo de quocumque individuo humanæ naturę, & idem de equo, & Leone dicendum: Si tamen conſideretur ſpecies ſecundó intentionaliter accepta, pro ſecunda videlicet intentione ſpeciei, ſic prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, quia homo eſt ſpecies, & equus etiam ſpecies eſt; non tamen in pręſenti diffinitur ex parte *rationis quæ*, prædicta ſecunda intentio: hæc enim, etiam ut ſpecies, non prædicatur eſſentialitèr de ſpeciebus aliis v. g. de homine, & equo, ſed ſolum per modũ accidentis quinti prædicabilis; nam homo, & equus accidentalitèr denominantur ab intentione ſpeciei.

Secundo arguitur; diffinitio ſpeciei prędicabilis convenit aliis à diffinito: ergò non eſt bona. Prob. ant. Convenit generi: ergò convenit aliis à diffinito. Prob. ant. primò. Genus prædicatur in quid de pluribus differentibus numero, ſiquidem prędicatur de ſpeciebus v.g. *de homine*, & *equo*, quæ non ſolùm ſpecie ſed etiam numero differunt: ergò diffinitio ſpeciei prædicabilis convenit generi.

Secundo probat. ant. Genus immediatè, & in quid prædicatur de individuis generícis, ſicut animal de hoc, & illo animali: ergò idem quod prius.

Reſp. neg. duo ant. prima, & ad probationem diſt. ant. differentibus numero, & *ſpecie ſimul*, conc. ant. *ſolo numero*, neg. ant. & conſeq. Species namque eſt, quæ ſolum prędicatur de pluribus differentibus numero in eo *quod quid*, ut inquit Caiet. cap. de ſpecie. Et in hoc ſenſu diffinitio data nulli convenit, niſi ſpeciei ſpecialiſsimæ, genus enim omne & ſi defferentibus ſpecie. vel aliter (ut cum Divo Alberto Magno loquamur) ſpecies per ſe ipſam prędicatur de individuis, quoniam per ſe ipſam participatur ab eis: genus vero ſicut mediante ſpecie participatur ab individuis, ita per ſpeciem & non per ſe ipſum prędicatur de eis. Adde etiam, ſi libet, ſpeciem prędicari de plu-

ri-

ribus differentibus numero, dicendo totam eſſentiam; genus verò prædicatur de pluribus differentibus numero, dicendo partem eſſentiæ.

Inſtabis: etiam ſpecies prędicatur dicendo partem eſſentię: ergò nulla eſt ſolutio. Prob. ant. De eſſentia individui non eſt ſolum differentia ſpecifica, ſed etiam differentia individualis; ſed ſpecies non dicit differentiam individualem: ergò non dicit totam eſſentiam, ſed ſolùm partem eſſentię.

Reſp. neg. ant. & ad probationem dicimus, differentiam individualem eſſe de eſſentia phyſica individui, non tamen de eſſentia metaphyſica illius, quę ſolùm conſtituitur per genus, & differentiam ſpecificam, quæ duo importat ſpecies, & ideò prædicatur dicendo totam metaphyſicam eſſentiam.

Dices: ita ſe habet differentia individualis ad individuum, ſicut ſpecifica differentia ſe habet ad ſpeciem, ſed differentia ſpecifica pertinet ad eſſentiam metaphyſicam ſpeciei: ergò altera pertinebit ad eſſentiam metaphyſicam individui.

Reſp. diſt. mai. ly ita *parificante in conſtitutione phyſica*, conc. mai. *parificante in conſtitutione metaphyſica*, neg. mai. Differentia namque individualis non conſtituit eſſentiam metaphyſicam individui, ſed ſolum phyſicam, eſſentia namque metaphyſica individui non eſt alia, quam eſſentia ſpeciei: undè ſpecies prædicatur de individuo dicendo totam eſſentiam ſpecificam, genus videlicet, & ſpecificam differentiam, ad quam non pertinet differentia individualis, licet in aliquo verò ſenſu ipſum individuum conſtituat.

Ad ſecundam probationem ant. principalis: reſp. diſt. ant. genus *materialiter*, conc. ant. *formaliter*, neg. min. & conſeq. animal namque de hoc, & illo animali non prædicatur ut genus, ſed ut ſpecies, quia actu dicit vivens ſenſibile, quę ſunt tota eſſentia explicata huius animalis in quantum animal eſt. Nec hoc eſt aliquid peculiare reſpectu generis; omnia enim prędicabilia, & ſi per reſpectum ad aliquem terminum rationem habeant peculiaris prędicabilis, tamen ſecundum quod ad propria, & immediata individua comparantur, habent rationem ſpeciei, & ab intentione ſpeciei denominantur. Rationale enim, licet in ordine ad hominem, vel Petrum, & Paulum denomi-

minetur ab intentione differentię, comparativè tamen ad hoc, & illud rationale habet rationem ſpeciei: & idem proportionabiliter dicendum de riſibili in ordine ad hoc, & illud riſibile, & de albo in ordine ad hoc, & illud album.

§. IV.

Diffinitio ſpeciei ſubijicibilis explicatur.

RAtione habitudinis, quam ſpecies dicit ad genus, cui ſubjicitur, & reſpectu cujus ſubjicibilis appellatur, diffinitur à Porphyrio: *quæ ponitur ſub genere, & de qua genus in eo quod quid prædicatur.* Quam diffinitionem eſſe bonam, probat unanimis conſenſus Logicorum; ideoque hęc erit.

§. V.

Secunda concluſio.

Optima eſt diffinitio ſpeciei ſubijicibilis à Porphyrio traddita.

PRob. concluſio noſtra ratione: Unum correlativum optimè diffinitur per reſpectum ad alterum: ſed ſpecies ſubijcibilis eſt correlativum generis, & diffinitur a Porphyrio per ordinem ad ipſum genus: ergò optima eſt diffinitio ſpeciei ſubjicibilis.

Præterea: Diffinitio tradita conſtat ex genere, & differentia; nam in hoc, quod eſt ſub genere poni, convenit cum individuo: & quia ponitur ſub genere per modum ſubjecti immediati, per eandem particulam ſic intellectam ab individuo diſtinguitur, quodquidem non *immediatè*, ſed mediante ſpecie ſub genere continetur: ergò optima eſt diffinitio ſpeciei ſubijcibilis à Porphyrio traddita.

§. VI.

Solvuntur argumenta.

COntra concluſionem iſtam arguitur primò: Genus diffinitur per ordinem ad ſpeciem: ergò ſpecies non debet diffiniri per ordinem ad genus, alias in uttiuſque diffinitione circulus commiteretur vitioſus.

Reſp. neg. conſeq. Nam cum ſpecies, & genus pro formali ſint correllativa, genus enim ſpeciei eſt genus, & ſpecies generis eſt ſpecies, ut inquit Porphyrius; ideo non eſt inconveniens, immò neceſſarium eſt, unum poni in diſ-

finitione alterius, & è converſo: nec hoc eſt committere circulum in eorum diffinitione; non enim unum correlativum diffinitur per alterum, quia ly *per* quandam dennotat cauſalitatem, quam neutrum correlativorum formaliter ſumptum poteſt habere reſpectu alterius, ſed diffinitur ad alterum, & ly *ad* cauſalitatem aliquam non denotat, ſed tantum ſonat habitudinem, & reſpectum ad aliquid ut terminum: hoc autem modo unum poni in diffinitione alterius, & è converſo, non eſt circulum vicioſum committere.

Inſtabis: partes diffinitionis ſunt notiores diffinito; ſed ſpecies nequit eſſe notior genere, & ſimul genus eſſe notius, quam ſpecies: ergò ſi genus diffinitur per ordinem ad ſpeciem, ſpecies non debet diffiniri per ordinem ad genus, alias idem eſſet notius, & ignotius.

Reſp. neg. min. Non enim inconvenit unum correlativum eſſe notius, & ignotius altero, diverſimodè de ipſis loquendo: unum namque relativum diffinitur ad alterum ut terminum, terminus autem, ut ſic notior eſt eo, quod ad ipſum terminatur, ut ſic: quoniam in terminatū, ut ſic ignotum eſt. Et ſic utrumque correlativorum eſt notius altero ut terminus, ignotius ut terminatur: & quia diffinitur ut tendit ad illud, diffinit autem ut terminat, ideò non eſt inconveniens unum ad aliud mutuò diffiniri.

Dices: iuxta Ariſt. 2. topic. cap. 5. in diffinitione, loco cuiuslibet partis licet ponere diffinitionem illius; ſed loco generis non licet ponere diffinitionem generis in diffinitione ſpeciei, aliàs licebit ſic diffinire ſpeciem: *ſpecies eſt, quæ ponitur ſub eo, ſub quo ponitur ſpecies*, quod eſt ſpeciem ingredi diffinitionem ſui, & non modicum peccatum in arte diffinitiva: ergò genus non poteſt ingredi diffinitionem ſpeciei.

Reſp. explicand. mai. loco cuiuslibet partis *intrinſecæ*, conc. mai. *extrinſecæ*, neg. mai. & conceſ. min. neg. conſeq. licet namque loco partis intrinſecę liceat ponere illius diffinitionem, ſicut in diffinitione hominis, loco animalis, ſubſtantiã animatã ſenſibilem licet collocare; ſecùs verò, loco partis extrinſecæ, qualiter ſe habet genus ad ſpeciem, & ſpecies ad genus: & univerſaliter unum correlativum reſpectu alterius, ut docet Cajet. in lib. Prędicabilium, cap. de ſpecie.

Secundò arguitur: diſ-

finitio ſpeciei ſubijcibilis, convenit individuo : ergò non rectè traditur à Porphyrio. Prob. ant. Individuum ponitur ſub genere ; & de eo genus in eò quod quid prędicatur : ergò diffinitio ſpeciei ſubijcibilis convenit individuo.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. ant. individuum ponitur *mediatè ſub genere*, conc. ant. *immediatè*, neg. ant. & conſeq. individua namquè (ut inſpicere poteris in prædicabilium arbore) non collocantur immediatè, nec ſub genere remoto, nec ſub genere proximo, ſed tantùm mediate: nulla verè ſpecies ſubijcibilis eſt, quę alicui generi, proximò ſaltim, immediate non ſubijciatur, ut patebit per ſingula diſcurrenti. Undè diffinitio tradita eo modo, quo convenit ſpeciei, ſcilicet *immediatè*, nullatenus individuo convenit.

Inſtabis : non licet unicuique pro ſuo libito addere aliquam particulam diffinitioni ; ſed ſi modo ſupradicto intelligatur diffinitio ſpeciei, novam particulam addimus diffinitioni, ſcilicet ly *immediatè* : ergò modo ſupradicto intelligenda non eſt.

Reſp. neg. ant. diffinitio namque ſpeciei, facit hunc ſenſum; ſpecies eſt univerſale, quod ponitur ſub genere: & dum ſic intelligimus, non addimus aliquam particulam extraneam diffinitioni, ſed neceſſariò prę ſupoſitam. Nàm cùm univerſale ſit genus ad quinque prædicabilia, ut in ſuperioribus relinquimus explicatum, in omni prędicabili neceſſario ſubintelligi debet, & per conſequens etiam particula *immediatè*, ſcilicet, quod ſpecies eſt, quæ immediate ſubijcitur generi, quia in præſenti ſolùm eſt nobis ſermo de eo, quod tanquàm univerſale, ſeu unum ex quinque prædicabilibus ſubijcitur: hoc autem ſolum habet ſpecies, neutiquam verò individuum.

An autem prędictę diffinitiones eſſentiales ſint, vel deſcriptivæ, nobis non licet in diſcurrendo immorari : id unum ſentimus prædictas diffinitiones deſcriptivas eſſe, quia tradduntur per propriam paſsionem univerſalitatis, quæ eſt prædicabilitas, ſicut etiam ſuprà inſinuavimus pro generis diffinitione. Diffinitio autem eſſentialis ſpeciei athomæ, ut prędicabilis eſt, hæc erit: ſpecies *eſt unum aptum in eſſe multis ſolo numero differentibus, & prædicari de illis in quid completè.* Diffinitio eſſentialis ſpeciei, ut ſubijcibilis conveniens omnibus omni-

nò ſpeciebus erit iſta : ſpecies *eſt univerſale, quod directè, & immediatè ponitur ſub genere, & de quo genus in eo quod quid prædicatur* : quę diffinitiones tradduntur per proprium genus, & propriam differentiam metaphiſicam.

Et tandem cenſemus diviſionem ſpeciei in prædicabilem, & ſubijcibilem, non eſſe diviſionem in diverſas res, ſed in diverſos modos unius, & ejuſdem rei, quibus diverſos habet reſpectus, ad ſuperiora videlicet, & inferiora; ſicut unus, & idem Tribunus dicit reſpectum inferioris ad Regem, cui ſubijcitur, & reſpectum ſuperioris ad milites, quibus pręeſt.

§. VII.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in articuli diſcurſu, colligitur primò: genera ſuprema poſſe ſubinduere intentionem ſpeciei prædicabilis, quatenùs comparari poſſunt ad aliqua inferiora immediatè obiectivè, dicendo totam illorum eſſentiam v.g. ſi ſubſtantia comparetur ad hanc, & illam ſubſtantiam, non concipiendo, nec nominibus explicando aliquid prętęr ſubſtantiam abſtractam, quamvis illa à parte rei cum alijs rationibus identificetur.

Inſtabis : ſubſtantia ad hanc, & illam ſubſtantiam non poteſt ut ſpecies comparari : ergò doctrina traditа nulla eſt. Prob. ant. Subſtantia non poteſt eſſe ſpecies ſubalterna, vel infima, non quidem ſubalterna, quia non ſubijcitur generi; nec infima, quia in alias ſpecies diviſibilis eſt : ergó non poteſt ad hanc, & illam ſubſtantiam ut ſpecies comparari.

Reſp. neg.ant. & ad probationem dicimus, de eſſentia ſpeciei ſolúm eſſe dicere totam eſſentiam, non autem eſſe ſubalternam, vel infimam; & ita poſſe dari ſpeciem, quæ nec ſubalterna, nec infima ſit: non ſubalterna, quia generi non ſubijcitur, nec infima, quia non reſpicit individua completa metaphyſicè, aut ultimò determinata per infimam ſpecificam differentiam, qualiter reſpiciuntur hæc, & illa ſubſtantia, quæ objectivè concipiuntur ut determinata per hecceitatem, quin concipiatur in eis ultima differentia ſpecifica, & ideò non concipiuntur metaphyſice completa, nec ſpecies in ordine ad illa poteſt infima denominari, nec genere, & differentia conſtare.

Secundò ex dictis colligitur,

tur, *ſpeciem in ratione univerſalis non poſſe conſtitui per reſpectum ſubijcibilitatis ad genus, ſed ſolum per ordinem ad individua*: & ratio eſt, quia univerſale eſt unum reſpiciens multa, ut ſuperius ſua inferiora; ſed ſpecies per reſpectum ſubijcibilitatis ad genus, non reſpicit multa tanquam inferiora, ſed unum tanquam ſuperius, bene tamen per ordinem ad individua: ergò non per reſpectum ſubijcibilitatis ad genus, ſed ſolùm per ordinem ad individua conſtituitur in ratione univerſalis.

Inſtabis: univerſale eſt illud, quod prędicatur de multis; ſed ſpecies ut ſubijcibilis generi, prędicatur de multis: ergó conſtituitur in ratione univerſalis per reſpectum ſubijcibilitatis ad genus. Prob. min. ſpecies, ut ſubijcibilis prædicatur de hac, & illa ſpecie ſubijcibili, ut eum dicimus: *ſpecies humana eſt ſubijcibilis, ſpecies equina eſt ſubijcibilis*: ergó ut ſubijcibilis generi prędicatur de multis.

Reſp. neg. min. & ad probat. diſt. ant. ly *ut ſpecificative ſumptum*, conc. ant. *reduplicative acceptum*, ſubdiſt. ly *ut appellante ſuprà ſubijcibilitatem*, tranſ. ant. *ſuprà naturam ſpecificam*, neg. ant. & diſt. conſeq. *reduplicativè ut ſubijcibilis generi*, neg. conſeq. *aliunde*, conc. conſeq. Licet namquè ſpecies, quæ eſt ſubijcibilis, denominativè, & accidentaliter ſit prædicabilis de hac, & illa ſpecie ſubijcibili, non tamen formaliter, & *ut quo*, & ſub ea ratione formaliter qua ſubijcibilis eſt: ſiquidem ſub iſta formalitate ſolùm genus ſuperius, & non inferiora reſpicit. Sicut Prorex, qui immediatè Regi ſubjicitur, licet ſit ſuperior reſpectu populi, hoc tamen non habet ex eo, quod ſubijcitur Regi, ſed ex eo, quod præeſt populo. Si autem ſermo ſit de ipſa ſubijcibilitate, hæc dubio procul induere poteſt rationem univerſalis, in quantum prædicatur de hac, & illa ſubijcibilitate, ſed de hac non eſt litigium, ſed ſolùm de natura ſubjecta generi.

Tertiò colligitur: genus, & ſpeciem ſecundo intentionaliter ſumpta, & quatenùs univerſalia ſunt, non poſſe in uno tantùm inferiori ſalvari; genus videlicet in unica ſpecie, & ſpeciem in uno individuo: eo quod univerſale formaliter eſt unum in multis, & debet reſpicere plura, ut in quibus poſsit eſſe. Ex quo etiam habetur, quod ſi genus, & ſpecies conſiderentur ſecundùm rationem totius actualis, utrumque ſalvatur in

uno inferiori ; ſpecies videlicet in uno individuo , & genus in una ſpecie : nàm animal v.g. ut totum actuale ſolùm dicit rationem viventis, ut determinatam per differentiam ſenſibilis , & utrumque hoc prædicatum in unico individuo ſalvatur.

Tandem infertur ex dictis : genus ſecundùm omnia ſibi intrinſeca non poſſe in una ſpecie ſalvari ; quia genus ſecundum ſibi intrinſeca, dicit partem determinabilem, & contrahibilem per differentiam ſpecificam , quæ contrahibilitas ſalvari non poteſt, niſi ex propria , & intrinſeca natura importet genus potentialitatē ad plures differētias, per quas poſsit determinari. Quod totum manifeſtè docet Ang. Præcept. 1.poſt. lect.12. lit.b. per hæc verba : *non eſt poſsibile invenire aliquod genus cuius una tantum ſit ſpecies. Genus enim dividitur in ſpecies per oppoſitas differentias, oportet autem ſi unum contrariorum invenitur in natura , & reliquum inveniri , ut patet per Philoſ. in 2. de Cœlo. Et ideò ſi una ſpecies invenitur, invenitur , & alia.*

Species autem ſecundùm omnia ſibi intrinſeca benè poteſt in uno individuo ſalvari , ut videri eſt in machina totius mundi , qui *liber eſt Dei* (ut ajebat B. Antonius Abbas) & ad illum divinum Codicem omnino à mendis immunem veritatem huius rei quiſque examinare poterit. Videmus plures ſpecies non habere, niſi unicum individuū, & naturā non multiplicare individua,niſi ut cōſervet ſpeciē; quare in rebus incorruptibilibus non eſt niſi unicū individuum , ut unus Sol, una Luna, & in qualibet ſpecie Angelorum unicus Angelus;quinnimò in prima mundi creatione , antequam Deus feciſſet Adamo adjutorium ſimile ſibi, erat in eo tota ſpecies humana: ſignum ergò eſt totam ſpeciem, quantum ad perfectionem ſpecificam , in unico individuo ſalvari poſſe. Quod etiam ratio efficaciter ſuadet ; quia ſpecies non eſt ab intrinſeco contrahibilis per plures differentias individuales , nec ab intrinſeco exigit illas , quamvis eas permittat; ſed potius individuales differentiæ , & ipſa potentialitas ſpeciei poſitiva per exigentiam illarum , ab extrinſeco proveniunt ratione materiæ, quæ multiplicationis principium eſt. Quam rationem deſumpſimus ex D. Th. loc. ſup. cit. ubi ait : *Una ſpecies dividitur in diverſa individua per diviſionem materiæ. Contingit autem totam materi-*

riam alicui ſpeciei proportionatam ſub uno individuo comprehendi, & tunc non eſt niſi unum individuum ſub una ſpecie. Nec plura congerimus, ne in re tam perſpicua, pluſquam oportet, immoremur.

ARTICULUS II.

Utrum Natura Angelica ſit ſpecies prædicabilis?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis, ſtatuitur affirmativa concluſio.

IN difficultate iſta, quæ inter noſtros graviſsima eſt, & forsàn ſolum exercitii gratia, liberalius tractatur, quam ut à Tyronibus opportunè capi poſsit, præmittendum eſt, non eſſe in ea ſermonem de natura angelica adequatè cõſiderata ſecundum omnia prædicata eſſentialia tam phyſica, quam metaphyſica, quæ ſunt de eſſentia illius prout in re; nam ſi ita natura angelica conſideretur a nobis, eſſentialiter eſt ſingularis, & ideó univerſalis eſſe non poteſt: undè ſolùm poteſt difficultas noſtra procedere de natura angelica inadequatè concepta ſecundum ſpecifica prædicata, ut ab individuo, vel ſingularitate præciſſa, qualiter de facto natura angelica aprehenditur à nobis, dum eam cognoſcimus, admodum rei materialis; & ſicut naturam corpoream, & materialem ſine ſingularitate cognoſcimus: ut indicat D. Th. 1. p. q. 13. articul. 9.

Secundó notandum eſt cum Caiet. ſuper 1. p. q. 13. art. 9. §. *Adverte hic*, duplex eſſe univerſale, ſeú communicabile proprie ſumptum; aliud *ſecundum rem, & rationem*; aliud verò *ſecundum rationem tantum*, univerſale *ſecundum rem, & rationem*, eſt illud, quod à parte rei in pluribus reperitur, aut ſaltim poteſt in pluribus reperiri, ſicùt natura humana, &c. Univerſale verò *ſecundum rationem tantum*, eſt illud, cui in re plura individua repugnant, non tamen ex capite naturę abſtractę ab uno individuo, quod habet; ſed potiùs prout ſic ita manet indifferens, ac ſi à pluribus fuiſſet abſtracta, & idcircò, quantum eſt ex vi præciſsionis, & naturæ ſecundùm ſpeciem ſuam, ad plura comparari poteſt. Fundamentum univerſalis *ſecundum rem, & rationem*, eſt intentio naturæ in multis, quæ quidem tri-

fariam invenitur, aut in actu ſimultaneo, ſicut natura humana eſt ſimul actu in pluribus individuis: aut in actu ſucceſsivo, ſicut Phœnix, qui ſibi ſuperſtes ex propriis cineribus iterum renaſcitur: aut in potentia tantum, ut domus mille angulorum, ſi nunquam fiat.

Fundamentum autem univerſalis *ſecundum rationem tantum*, ex parte noſtri intellectus ſe tenet: & eſt cognitio naturę abſque cognitione individuationis. Hoc autem fundamentum latitudinem habet: natura enim ſolis communicabilis eſt, & univerſalis ſecundum rationem tantum, quia natura ſua abſtrahit à ſingulari, & eſſe in uno ſuppoſito ſingulari, vel in pluribus, eſt præter intellectum naturæ ſpeciei, ut loco ſupra cit. 1. p. docet D. Th. Natura verò formæ ſimplicis ſubſiſtentis univerſalis eſt ſecundum rationem tantum, quia intelligitur à nobis ad modùm rerum compoſitarum habentium formas in materia.

Itaque præ oculis ſemper habendum eſt pro intelligentia univerſalis *ſecundum rationem tantum*, quod Præc. Ang. loc. cit. expræſsè aſſerit, naturam ſolis eſſe univerſalem ſecundùm rationem tantum; *quia intellectus intelligit naturam cuiuslibet ſpeciei per abſtractionem à ſingulari*, poſſe autem habere, vel non habere plura individua non exigitur ad huiusmodi univerſale, ſed ſolùm poſſe intelligi, ut in pluribus ſuppoſitis exiſtens; ſic enim ait D. Ang. *natura ſolis intelligi ut in pluribus ſuppoſitis exiſtens: & hoc ideò, quia intellectus intelligit naturam cuiuslibet ſpeciei per abſtractionem à ſingulari*: ergò iuxta D. Th. ex hoc præciſsè, quod intellectus intelligit naturam ſpeciei Solis per abſtractionem à ſingulari, & potens intelligi ut in pluribus exiſtens ſuppoſitis, quantùm eſt ex hoc capite, habeat, necnè abſolutè plura illa ſuppoſita.

Rurſus: quia reſolutio huius quæſt. maximè pendet ex poſitione univerſalis *ſecundum rationem tantum*, pro cuius planiori intelligentia animadvertere oportet, quod ly *ſecundum rationem* univerſaliter & propriè loquendo importat modum eſſendi in ratione noſtra, ita ut ſenſus ſit, quod natura ſpecifica, ut objecta eſt intellectui noſtro, eſt communis pluribus, quia objicitur non ut ſingularis, ſed ut natura ſpecifica; ſivè ipſa ſecundum rem ſit ex alio ſingularis, ut natura Solis, & omnium ſenſibi-

li-

lium; sivè ex se singularis sit, ut de Angelis probabile est. Et hinc manifestè patet latitudo supradicta; quia natura Solis, cum non sit ex se singularis, tam ex parte sui, quam ex parte intellectus, habet quod obijciatur intellectui nostro non ut singularis, & ità communitas eius secundum rationem utrinque fundamentum habet. Natura autem formæ subsistentis, quamvis ex se sit singularis, suavè singularitas derivetur ex principiis suæ speciei in re, quia tamèn hæc non est de conceptu essentiali speciei, sed extra illum, potest objici nobis sine singularitate, & ex hac parte concipi ut in pluribus suppositis potens existere, & ita esse universalis secundum rationem. Ex quo constat, quod licèt unicum sit *universale secundum rationem tantum*, eius tamen fundamentum potest esse, vel concipi sine singularitate, quæ non objicitur intellectui; vel intelligi admodum rerum materialium, & sine singularitate: quorum utrumque fundat *universale secundum rationem tantum*, non præcisè secundum rationem ratiocinantem, sed secundum rationem ratiocinatam.

His ergò prælibatis; non inquirimus in præsenti an natura Angelica sit universalis secundum rem, & rationem cum illi in doctrina D. Th. plura individua repugnent, nec an talis possit esse; sed admisso, quod sint impossibilia plura individua, consurgit præsens difficultas, an quia in modo concipiendi natura Angelica concipitur ut indifferens ad individuationem, sufficiat ut sit universalis secūdū rationem tantum, ac proinde prædicabilis de pluribus, non quæ de facto, & positive habeat vel habere possit in re, sed quæ ex modo quo concipitur â nobis, non repugnent illi naturæ sic indifferenti ad illud unum individuum, ac si à pluribus fuisset abstracta: & propterea, quantum est ex vi præcisionis & naturæ secundum speciem suam cōparari possit ad plura.

In qua parte divisidium maiori ex parte domesticum est; nam sententiam negativam tuentur fere omnes extranei, tùm *Scotistæ*, tùm Iesuitæ: Domestici verò in sese invicem procedunt. Quidam enim, ut Soncinas, Javelus, Prado, nec non Collegium S. Th. Complutensis, sententiam tenent negativam. Alij verò, ut Mag. à S. Thoma, venerandi Complutenses, & plurimi alii Thomistæ sententiam affirmativam defendūt Cum quibus hęc erit.

AR-

§. II.

Noſtra concluſio.

Natura Angelica inadæquatè concepta ſpecies prædicabilis eſt ſecundùm rationem tantum non ſolum negativè, ſed etiam poſitivè.

CONcluſionem iſtam docet Ang. Doct. quæſt. unica de ſpiritualibus creaturis, art. 8. ad 4. per hęc verba: *Sicut hæc albedo non prohibetur habere ſub ſe multa individua ex hoc quod eſt albedo, quod pertinet ad rationem ſpeciei, ſed ex hoc, quod eſt in hoc, quod pertinet ad rationem individui ita natura huius Angeli non probibetur eſſe in multis ex hoc quod eſt natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem ſpeciei, ſed ex hoc quod non eſt nata recipi in aliquo ſubjecto, quod pertinet ad rationem individui.* In quibus manifeſtè docet, naturę Angelicę non repugnare plura ex conceptu ſpecifico, ſed ſolùm ex conceptu individui, vel illius ut in re, & adeò clarè explicat mentem ſuam, ut verba ponderatione non egeant, ut inquit Mag. à S. Thoma.

Reſpond. Adverſarii cum P. Loſſada ex mente D. Th. ſolùm eſſe naturam Angelicam non prohiberi eſſe in multis *explicitè*, quatenus non concipitur ſub hac expreſsione *repugnat eſſe in multis*; benè tamen *implicite*, quatenùs immaterialitas eius imbibit eſſentialem repugnantiam exiſtendi in multis.

Sed contrà eſt: quia D. Th. per ea verba, non prohibetur ex conceptu ſpeciei, ſed ex eo quod pertinet ad rationem individui, manifeſtè intendit ſolùm prohiberi ex eo, quod pertinet ad rationem individui; ſed natura ſpecifica non implicat eſſentialiter & objectivè id, quod pertinet ad rationem individui, ſed potiùs eſt præter intellectum eius, nam gradus ſpecificus, & individualis in Angelo non minùs obiectivè præſcindunt, quã gradus genericus, & differentialis: ergò ſentit D. Th. naturam Angelicam non prohiberi eſſe in multis, etiam ex eo, quod implicitè pertinet ad rationem ſpeciei.

Reſpondent iterùm Adverſarii D. Th. ſolum intendere naturam Angelicam non prohiberi eſſe in multis *formaliter*, quatenus præſcinditur à ſingularitate formali; bene tamen *radicaliter*, quatenus eſſentialiter infert unicam ſingularitatem.

Con-

Contra tamen eſt : quia ſi ita eſt, potius debuiſſet D. Th. dicere, per ſe primò prohiberi ex conceptu ſpecifico, quam ex eo quod pertinet ad rationem individui ; quia conceptus radicis ſingularitatis ſolum radicaliter pertinet ad individuum formaliter vero pertinet ad ſpeciem, ut P. Loſſada cum Collegio S. Thomæ Complutenſi fatetur; conceptus autem ſpecificus, iuxta ipſos, implicitè continet radicem ſingularitatis : potiori ergo jure debuiſſet dicere D. Th. prohiberi ex conceptu ſpecifico.

Ratione verò probatur concluſio noſtra : natura creata concepta cum fundamento ut una in multis, & communicabilis pluribus, eſt ſpecies prædicabilis ; ſed natura Angelica inadæquatè concepta, & ſecundùm ſpecificū conceptum pręcisè, concipitur cū fundamento, ut una in multis, & cōmunicabilis pluribus: erg. ſic conſiderata ſpecies prędicabilis eſt. Prob. min. Natura creata à ſingularitate præciſſa concipitur cum fundamento ut una in multis, & communicabilis pluribus ; ſed natura Angelica inadęquatè concepta, & ſecundùm ſpecificum conceptum à ſingularitate præſcindit : ergò ità concepta intelligitur cum fundamento, ut una in multis, & communicabilis pluribus. mai. patet; quia remota cauſa, removetur effectus ; natura autem Angelica non prohibetur communicari pluribus ex parte ſui, ſed ſolùm ex parte individui, ut ſuprà vidimus ex D. Th. min. prob. Natura Angelica inadæquatè concepta, & ſecundùm ſpecificum conceptum, ſolùm importat ſpecifica prædicata, prout ſic enim idem judicium eſt de illa, & de naturis corporeis, ad quarum inſtar naturam Angelicam concipimus ; ſed ſingularitas non eſt ſpecificum prædicatum, vel de conceptu ſpecifico naturæ, ut 1. p. q. 13. art. 9. docet Ang. Doct. ergò ſic inadęquatè concepta, à ſingularitate præſcindit. Prob. min. ſpecifica prædicata ſunt genus, & differentia ſpecifica ; ſed ſingularitas genus, vel differentia non eſt: ergò ſingularitas non eſt ſpecificum prędicatum.

Secundó prob. concluſio noſtra ratione. Gabriel v. g. eſt individuum naturę Angelicę poſitum in prędicamento, nàm Angelus, qui in re invenitur, eſt ſubſtantia prædicamentalis ; ſed non ponitur immediatè ſub genere, alias genus prędicaretur immediate de individuo : ergó ponitur immediatè ſub aliqua ſpecie. Sed non ponitur immediate

ſub

ſub ſpecie, ut ſubijcibili, ſed ſolum ut prædicabili : ergò natura ſpecifica Gabrielis ſpecies prędicabilis eſt. Prob.min. ſubſumpta. Solùm ſubijcitur immediatè ſpeciei ut prædicabili: ergó ſolúm ſub ea, quatenùs prædicabili ponitur, immediatè. Prob. ant. illi ſubijcitur immediatè, quod reſpicit ut verum correlativum, ſed non reſpicit ut verum correlativum ſpeciem ut ſubijcibilem, ſed ipſam ut prædicabilem : ergò Gabriel ſolúm ſubjicitur immediatê ſpeciei ut prædicabili. Prob. min. ſpecies ſolùm ut prædicabilis reſpicit individua, ut ſubijcibilis verò reſpicit ſolùm genus: ergô non reſpicit ut verum correlativum ſpeciem, ut ſubjicibilem, ſed ut prędicabilem.

Confirmatur : natura ſpecifica Gabrielis, veré prædicatur de illo, ut ſuperius de inferiori, non quidem ut genus, vel differentia, ſiquidem prędicatur dicendo totam eſſentiam : ergò dicitur de illa ut ſpecies vere, & proprié prædicabilis, quia non ſtat eſſentialitèr prædicari, ut ſuperius de inferiori, & non prædicari per modum generis, differentiæ, vel ſpeciei. Prob. mai. Contrahibile, & determinabile per aliud, verè eſt ſuperius ad ipſum, ſiquidem forma contrahens, & determinans, eſt forma limitans, & ſi verè limitat prædicatum contractum, non eſt ita univerſale ſicut ipſum ; ſed natura Gabrielis comparatur ad ipſum tanquam forma determinabilis per ſingularitatem Gabrielis, & differentiam individualem illius, & cum eo veram facit compoſitionem rationis, quæ non poteſt reſultare niſi ex forma determinabili, & forma determinante : ergò natura ſpecifica Gabrielis, verè prædicatur de illo ut ſuperius de inferiori.

Tertiò probatur concluſio, ſpecialitèr contra Authores negantes naturam Angelicam eſſe ſpeciem prędicabilem poſitiva prædicabilitate. Univerſale (ut diximus ex Philoſ. & D. Th. art.1. univerſalium) non eſt unum, quod ineſt multis, ſed eſt unum aptum eſſe in multis ; quod quidem nedum convenit univerſali ſecundum rem, & rationem, ſed etiam univerſali ſecundum rationem tantum, cum hac ſola differentia, quod ad aptitudinem ſecundùm rem, & rationem prætèr ſtatum, vi cuius natura prohibetur eſſe in pluribus, requiruntur plura poſsibilia ſecundum rẽ: ad aptitudinem verè ſecundũ rationem tantùm, id unum ſufficit, nempê, quod ex me-

do

do eſſendi in intellectu, quantum eſt ex parte naturæ ſit aptitudo ad eſſendum in pluribus, licet alias illa plura repugnent; ſed hoc totum habet natura Angelica inadæquatè concepta, etiam in Adverſariorum ſententia: ergo erit univerſalis, & prædicabilis poſsitivè ſecundum rationem tantùm. Prob. mai. Dato, quod illa natura ex modo eſſendi in intellectu non habeat nec ſuum individuum, neque adæquationem cum illo, poterit reſpicere reſpectu rationis ſuum individuum indifferentèr, & non ut adæquata cum illo: ergò poterit reſpicere illud, ut ſuperius ſuum inferius. Ergò & poterit ex modo tantum eſſendi in intellectu habere poſsitivam univerſalitatem, eſtò alias illa plura repugnent.

Confirmatur hæc ratio: Dato, quod natura Gabrielis, ex modo eſſendi in intellectu, non ſit adæquata cum hoc individuo, poteſt quantum eſt ex parte ſui ad plura ſe extendere; ſed hoc modo naturam ad plura ſe extendere, explicari non poteſt per relationem æqualis de æquali: ergò per relationem ſuperioris de inferiori; non ſuperioris analogi, ſed univoci: ergò relatione poſsitiva univerſalis, conſequenterque poterit intellectus naturę ſic abſtractæ tradere poſitivam intentionem univerſalis.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntrà concluſionem iſtam arguitur primò: Natura Angelica adhuc inadęquatè concepta, non eſt poſitive univerſalis: ergò nec ſpecies prędicabilis. Prob. ant. Naturę Angelicæ etiam inadæquatè conceptę, & ſecundùm conceptum ſpecificũ repugnat eſſe in multis: ergò nequit eſſe poſitivè univerſalis. Prob. ant. ex D. Tho. q. unic. de ſpirit. creat. art. 8. ad 4. ubi docet, *quod natura Angelica prohibetur eſſe in multis ex hoc, quod non eſt nata recipi in aliquo ſubjecto*; ſed inadæquatè concepta, & ſecundum ſpecificum conceptum, eſt irreceptibilis in ſubjecto, aliàs ſecundum talem conceptum non eſſet immaterialis complete, ſiquidem ſecundum illum non excluderet materiam: ergò naturæ Angelicæ etiam ſecundum talem conceptum repugnat eſſe in multis, & conſequentèr, quod ſit poſitivè univerſalis. Prob. min. Hoc quod eſt non eſſe natam recipi in aliquo ſubjecto, non convenit naturę huius Angeli

irex aliquo accidenti: ergo ſecundum conceptum ſpecificum eſt irreceptibilis in ſubjecto. Ant. prob. ex ipſo Ang. Doct. quodlibet. 2. art. 4. ad 1. propè finem, ubi loquens de natura Angelica ſic ait: *Non accidunt ei aliqua, quæ ſint determinativa eſſentiæ ſpeciei, quia ipſa natura ſpeciei non individuatur per materiam, ſed per ſe ipſam, ex hoc, quod talis forma non eſt nata recipi in aliqua materia: unde per ſe ipſam non eſt multiplicabilis de pluribus*: ergo non eſſe natam recipi in aliquo ſubjecto non convenit ei ex aliquo accidenti, ac proinde ex ipſis ſuis prædicatis ſpecificis eſt inepta ad eſſe in multis, & de illis prædicari.

Reſp. neg. duo ant. prima, & ad probationem explico mai. Ex hoc, quod non eſt nata recipi in aliquo ſubjecto, *irreceptibilitate ſe tenente ex conceptu individuali*, conc. mai. *ex conceptu ſpecifico*, neg. mai. Aliud namque eſt, quod natura huius Angeli prohibeatur eſſe in multis & aliud, quod hoc habeat poſitivè ex ſuis prædicatis ſpecificis, & prout conflant ſpeciem huius Angeli. Primùm omnes cùm D. Th. fatemur, aſſerentes naturam Angelicam prohiberi eſſe in multis *ex hoc, quod non eſt nata recipi in aliquo ſubjecto, quod pertinet ad rationem individui*: Secundum verò expreſsè cum Ang. Præcept. negamus; *quia natura huius Angeli non prohibetur eſſe in multis ex hoc, quod eſt natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem ſpeciei*. Et hoc ideo eſt, quia natura huius Angeli pro hoc ſtatu non concipitur à nobis modo rebus ſpiritualibus proprio, ſed concipitur admodum rerum compoſitarum habentium formas in materia, id eſt, abſtrahendo rationem ſpeciei à ſuo individuo, ut indicat D. Th. 1. p. q. 13. art. 9. & inde fit, quod ſi ex vi conceptus ſpeciei non habet ſingularitatem, nec adæquationem cum ſuo ſingulari, natura huius Angeli ſic concepta non habet incapacitatem ad hoc, ut per actionem intellectus fiat poſitivè univerſalis.

Ad id autem, quod ſubdit ex D. Th. ſcilicèt, hoc non poſſe convenire naturę Angelicæ ex aliquo accidenti, quia ipſa natura ſpeciei individuatur per ſe ipſam, &c. dicimus, hoc verum eſſe de natura Angelica adæquatè conſiderata, & prout in re; quia in re adęquatè participatur ab uno individuo, & per ſe ipſam prout ſic non

eſt multiplicabilis, nec poteſt communicari re, nec ratione tantum, ut loc. cit. 1. p. ait D. Th. ſecùs autem ſi ſermo ſit de illa ſecundùm conceptum ſpecificum tantùm; ſicùt verè dicimus naturæ humanæ Petri repugnare eſſe in pluribus, & tamen non aſſerimus hoc ei convenire ex prædicatis naturæ humanæ, ſed convenire in re, quia in uno tantum individuo reperitur. Undé ſicût poteſt intellectus noſter ab hac natura humana identificata, & adęquata cum Petreitate pręſcindere conceptum naturæ, in quo nec luceat ſingularitas, nec adęquatio cum hac ſua ſingularitate, ità poterit à natura Gabrielis in re individuata per ſe ipſam, & adæquata cum ſua ſingularitate præſcindere ea, quæ conveniunt ei ex conceptu tantùm ſpecifico abſque eo, quod in iſto conceptu, nec luceat ſingularitas nec adæquatio cum illa, ſed omnimoda indifferentia ad plura quantùm eſt ex vi prędicti conceptus.

Secundò arguitur: Naturam Angelicam concipi ſine ſingularitate, non eſt fundamentum ſufficiens ad hoc, ut concipiatur ut poſsitivè communis pluribus: ergò natura Angelica etiam inadæquatè concepta non eſt poſitivè ſpecies prędicabilis ſecundùm rationem tantùm. Prob. ant. Natura Divina concipitur a nobis ſine ſingularitate, quia cognoſcitur à nobis admodùm rerum corporearum, ut indicat D. Th. 1. p. q. 13. art. 9. & tamen non concipitur cum fundamento in re, ut communis poſsitivè pluribus Diis: ergò naturam Angelicam concipi ſine ſingularitate non eſt fundamentum ſufficiens ad hoc, ut concipiatur ut poſsitivè communis pluribus Angelis.

Reſp. neg. ant. & ad probationem, diſt. mai. ſine ſingularitate *explicita*, conc. mai. *implicita*, neg. mi. & conceſ. min. neg. conſeq. Quia natura Divina, cum ſit puriſsimus, & ſimpliciſsimus actus, nequit pręſcindi à ſingularitate ſaltem implicita, cum in omni eius conceptu eſſentialiter involvatur ſingularitas. Deus enim eſſentialitèr eſt ſupremum omnium entium, cui proinde repugnat habere ſocium; & ideó quantùmcumqne cognoſcatur admodùm rerum corporearum, repugnat ipſi communicari poſitive pluribus, niſi forte per quandam ſimilitudinem, ut cum dicitur: *egò dixi Dii eſtis*: vel ſecundùm errorem gentilium ponentium plu-

plures Deos. Natura verò Angelica inadęquatè concepta præſcindi poteſt ab omni prorsùs ſingularitate, quia ſingularitas non eſt de conceptu ſpecifico naturę Angelicę, quandoquidem non eſt genus, vel ſpecifica differentia illius; quotiès autèm unus gradus non eſt de eſſentia, & conceptu alterius, unus præſcindit ab alio etiam pro implicito, hac enim ſola ratione animal, etiam pro implicito, præſcindit à rationali: ideòque in natura Angelica inadæquatè concepta, eſt fundamentum ſufficiens, ut concipiatur ut poſitive communis pluribus, non re, ſed ratione tantùm.

Inſtabis cum Adverſariis: licèt natura Angelica ſecundùm conceptum ſpecificum prę̨ſcindat pro implicito à ſingularitate, non tamen præſcindit pro implicito â radice ſingularitatis: ergò non habet ſufficiens fundamentum, ut concipiatur ut poſitivè communis pluribus. Prob. ant. Natura Angelica ex conceptu ſpecifico exigit eſſentialiter unam ſingularitatem; ergò nequit præſcindere pro implicito à radice ſingularitatis.

Reſp. neg. utrumque ant. cum D. Th. de ſpiritualibus creaturis, art. 8. ad 4. cuius doctrinam, quia jam adduximus inter probandam concluſionem, & in reſponſione ad 1. argumentum modò prætermittimus, ne eadem inutilitèr repetamus; & ratio huius in pręſenti hæc erit, quia ita comparatur conceptus genericus ad ſpecificum, ſicùt ſpecificus ad individualem: undè ſicùt ratio generica ex propriis non exigit, etiam pro implicitò determinatam differentiam ſpecificam, ita nec gradus ſpecificus exiget pro implicito determinatam ſingularitatem, maxìme cùm Angelus ęquè completè immaterialis ſit ex conceptu generico, ac ex conceptu ſpecifico.

Dices: natura Angelica ſecundum conceptum ſpecificum, eſſentialitèr excludit multiplicationem: ergò ex conceptu ſpecifico exigit eſſentialitèr unicam ſingularitatem. Prob. ant. ideo conceptus individualis multiplicationem excludit, quia excludit materiam, quæ eſt multiplicationis principium; ſed conceptus ſpecificus excludit eſſentialiter materiam: ergò natura Angelica ſecundum conceptum ſpecificum eſſentialitèr excludit multiplicationem.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. mai. quia *præcisè*, nc.

neg. mai. quia excludit materiam, *& omne aliud multiplicationis principium*, conc. mai. & dist. min. materiam, *sed non alterum principium*, conc. min. materiam, *& omne aliud*, neg. min. & conſ. Quia conceptus individualis determinat ſpeciē ad unam hæceitatē eſſentialiter in re individuo convenientem, & ideò excludit indifferentiam ad plura, quapropter multiplicationem excludit, non quia excludit materiam, ſed quia excludit indifferentiam, & omne multiplicationis principium: ſpecificus verò conceptus excludit materiam; verùm quia à ſingularitate præſcindit, etiam determinationem excludit, & indifferentiam admittit, conſequenterque non excludit omne principium multiplicationis: eo quod ex conceptu indifferenti in quantum tali, repugnare non poteſt multiplicari per plura.

Tertiò arguitur: eo natura Angelica conciperetur ut univerſalis, quia concipitur ſinè ſingularitate; hoc fundamentum non eſt ſufficiens: ergò ſine fundamento concipitur ut univerſalis. Prob. min. Naturam concipi ſine aliquo prędicato, non eſt ſufficiens fundamentum, ut poſsit concipi cum prędicato ſibi oppoſito, & repugnanti; ſed univerſalitas repugnat, & opponitur naturæ Angelicę: ergò illam concipi ſinè ſingularitate non eſt fundamentum ſufficiens, ut concipiatur ut univerſalis. Mai. in pluribus exemplis manifeſta videtur: ſiquidem animam rationalem præſcindi ab immortalitate non ſufficit, ut poſsit concipi ut mortalis, & Chriſtus Dominus poteſt ab impeccabilitate præſcindi, nequit tamèn cum fundamento concipi, ut peccabilis, quod idem in alijs exemplis cernere licet. Min. verò prob. Natura Angelica eſt ſingularis; ſed ſingularitas, & univerſalitas opponuntur: ergò univerſalitas repugnat, & opponitur naturæ Angelicę prout à nobis conceptę.

Reſp. neg. min. & ad probat. dist. min. Univerſalitas *ſecundum rem*, *& rationem*, conc. min. *ſecundum rationem tantum*, neg. min. & ad cuius probat. dist. mai. ſingularis *in re*, conc. mai. *per rationem*, neg. mai. & dist. min. ſingularitas, & univerſalitas *in re*, conc. min. *per rationem*, neg. min. & conſeq. Natura namque Angelica ſolùm habet, quod ſit ſingularis ſecundùm rem, cùi proindè ſolùm opponitur univerſalitas ſecundùm rem, hoc autem non impedit, quin ſecundùm rationem poſsit eſſe univerſalis, quia li-

liter natura Angelica universalis est, ut concipitur à nobis. Adest exemplum in Deo, qui in re summè simplex, & indivisus est, & tamen à nobis tribuitur Deo distinctio, & divisio secundum rationem, dùm eius attributa per intellectum distinguimus. Nec exempla in argumento facta aliquid suadent; nàm esse mortalem, vel immortalem, peccabilem, vel impeccabilem, sunt prædicata convenientia rebus, prout sunt a parte rei, & ideò natura impeccabilis non potest ut peccabilis concipi, nec natura immortalis ut mortalis; sicut eadem ratione hominem rationalem non possumus, ut irrationalem concipere, nec Angelum immaterialem, ut materialem, & corporeum: cæterum universalitas est prædicatum rationis, quę non convenit rebus in re, sed solum per intellectum, & ità natura Angelica singularis in re, potest esse universalis inadæquatè per intellectum concepta.

Instabis: ex prædicta solutione sequitur, Angelum non posse concipi, ut communicabilem pluribus realiter; ergo ex quo concipiatur sine singularitate, solùm sequitur non repugnantia, ut sint plures Angeli ficti, non plures Angeli reales, & consequenter solùm erit universalis fictivè, & absque ulla fundamento. Patet conseq. quia Angeli, quibus natura Angelica non communicatur verè, sed fictè, non sunt realis, sed ficti.

Resp. neg. conseq. Nàm quidquid sit an universale secundùm rem, & rationem debeat respicere multa in actu, vel possibiliter existentia; universale tamen secundùm rationem tantum, non requirit multa realiter existentia; nam hæc universalitas est, quam intellectus potest tribuere naturæ, ex hoc præcisè, quod sine singularitate, & adæquatione cum illa intelligitur, & ità nequit determinatè pro termino exigere multa, sed sufficit ità respicere unum, ut quantum est de se, sit capax respiciendi multa, si darentur. Nec hoc novum est in relatione rationis tantum, nàm etiam relatio, qua Pater refertur ad primum filium, sic respicit illum, quod si dentur multi, omnes illos respiciet absque aliqua sui mutatione: quin ex hoc inferri possit talem relationem esse fictitiam, & sine fundamento.

Quartò arguitur: natura Angelica non prędicatur ut superior de illo individuo, quod habet: ergò non est species prędicabilis. Prob. ant.

hęc

hæc propoſitio, *hic Gabriel eſt Gabriel*, non eſt ſuperioris de inferiori: ergò non prædicatur ut ſuperior de illo individuo, quod habet, Prob. ant. illa prędicatio eſt ſuperioris de inferiori, in qua à prædicato ad ſubiectum, vel à ſuperiori ad inferius non eſt bona conſequentia; ſed à natura Gabrielis ad Gabrielem bene valet conſequentia, optimè namque infertur: *eſt Gabriel, ergo eſt hic Gabriel*: ergò illa propoſitio, *hic Gabriel eſt Gabriel* non eſt ſuperioris de inferiori.

Reſp. neg. ſant. & ad probat. dicimus, prædicationem illam eſſe ſuperioris de inferiori, ſi prædicatum importet naturam Gabrielis inadæquatè conceptam, & ſecundùm ſpecifica prædicata, conſequentiam tamen eſſe bonam, quia licet talis natura ſit univerſalis ſecundum rationem, tamen univerſalis non eſt ſecundùm rem: & quando dicitur à ſuperiori ad inferius affirmative non valere conſequentiam, intelligitur de ſuperiori, quod ſecundùm rem, & rationem ſuperius eſt, ſicut ſe habet natura animalis comparativè ad rationale, & irrationale, & propterea non valet *eſt animal, ergò eſt rationale*, quia animal ſecundùm rem, & rationem ſuperius eſt. Adde, ſi libet, quod dum dicitur, *hic Gabriel eſt Gabriel, hic Gabriel* ponitur in prędicamento ut prima ſubſtantia individua, non generi immediatè ſubjecta, ſed ſpeciei athomæ: igitur ſpeciei prædicabili, nam prędicamentum eſt ſola prędicabilium coordinatio, conſequenterque natura huius Angeli verè obtinebit rationem ſuperioris Logici reſpectu ſui individui.

Inſtant Adverſarij: hæc prædicatio, *hic Gabriel eſt Gabriel*, eſt prędicatio ſpeciei athomę prædicamentalis, non tamen ſpeciei prędicabilis, cum ad hoc neceſſe ſit naturam huius Angeli eſſe unam in multis, vel ſaltim aptam eſſe in multis: ergò non ſubijcitur ſpeciei prędicabili, ac proinde natura huius Angeli non habebit rationem ſuperioris Logici reſpectu ſui individui.

Reſp. neg. totum Adverſariorum aſſumptum: alioquin dicant nobis, quid ſibi volunt per eſſe ſpeciem prędicamentalem, ſi non eſt ſpecies prædicabilis: nàm revera temporibus hiſce prædicamentum non aliter diffinitur à Logicis, quàm per eſſe prædicabilium coordinationem. Et ità ſi ſpecies huius Angeli eſt prędicamentalis, erit etiam prædicabilis. Ac denique, hæc prędi-

catio, *hic Gabriel eſt Gabriel*, non eſt individui de individuo, nec æqualis de æquali; cũ ſubjectũ exprimat determinationem ſingularitatis, quam prædicatum nec exprimit, nec includit: erit igitur prædicatio ſuperioris de inferiori, & ſuperioris univocè, & conſequenter Logice ſuperioris.

Quinto arguitur: naturæ Angelicæ eſſentialitèr repugnat relatio ipſa univerſalis: ergó natura Angelica ſpecies prędicabilis non eſt. Prob. ant. primò. naturæ Angelicę eſſentialiter repugnat aptitudo poſitivè ad eſſendum in pluribus, & prædicandum de illis: ergò repugnat univerſalis relatio, quæ ſuprà talem aptitudinem fundatur. Prob. ant. eſſe in pluribus, & actu prædicari de illis, eſſentialiter repugnat naturæ Angelicæ: ergò aptitudo poſitiva ad eſſendum in pluribus, & prædicandum de illis, eſſentialitèr etiam repugnat, nàm cui repugnat eſſentialitèr actus, etiam potentia eſſentialiter repugnat, eo quod potentia eſt propter actum, & ad illam ordinatur.

Secundó prob. ant. Cui repugnat terminus relationis, etiam relatio eſſentialitèr repugnat; ſed naturæ Angelicæ repugnat terminus relationis ſpeciei univerſalis: ergò etiam relatio univerſalis eſſentialitèr repugnat. Prob. min. Terminus relationis ſpeciei univerſalis, ſunt plura individua ſolo numero diſtincta; ſed naturæ Angelicę repugnant plura individua ſolo numero diſtincta, cum *impoſſibile ſit eſſe duos Angelos unius ſpeciei*, ut docet D. Th. 1.p. q. 5. art. 4. ergò naturæ Angelicæ repugnat terminus relationis ſpeciei univerſalis.

Reſp. neg. duo ant. prim. & ad prob. diſt. ant. eſſe in pluribus *realiter*, & actu prædicari de illis *ut exiſtentibus in re*, conc. ant. in pluribus *obiectivè*, & actu prędicari de illis *ut obiectivè exiſtentibus*, neg. ant. & conſeq. ſub eadem diſt. Ad cuius intelligentiam prę oculis habendum eſt, quod quamvis naturæ Angelicæ plura individua repugnent, non tamen repugnant ex conceptu naturæ à ſingularitate præciſſæ, & ideò intellectus cum fundamento concipit plura individua, ut non repugnantia, vel poſsibilia ex prædicto conceptu; cumque individua prædicta, ut ità concepta, ſint actu cognita, & objectivè præſentia, inde fit naturam Angelicam reperiri in pluribus ut exiſtentibus objectivè, & de illis ut objectivè exiſtentibus prædicari, quãvis non poſsit eſſe, nec prædicari de pluribus exiſtentibus

in

in re: abſolutè namque verum eſt, omnia illa individua cum fundamento concepta, & exiſtentia objectivè eſſe unius, & eiuſdem naturę Angelicæ. Undè illa prędicatur de omnibus illis, non quidem diſtinctè, cum intellectus non poſsit hoc, & illud deſignare ut conſtitutum per ſpecialem differentiam individualem, ſed in confuſo, & ſecundum eſſe objectivum, nam omnia hic in confuſo aprehenſa, participant eandem naturam ſecundum eſſe objectivum, & propterea natura prædicta ſubinduere poteſt intentionem ſpeciei univerſalis, & prædicabilis ſecundùm rationem tantùm, quia actus primarius ſpeciei univerſalis, & prędicabilis ſecundùm rationem tantùm eſt exiſtere in pluribus objectivè, & prædicari de illis, ut objective exiſtentibus, ſicut enim intentio prædicta ſolùm eſt univerſalis per rationem, ſic etiam exiſtentia in pluribus debet eſſe in illis, ut per rationem tantùm: nàm qualis fuerit conditio univerſalis, talis erit ſui termini conditio, & ideò terminus univerſalis ſecundùm rationem tantùm ſolum debet eſſe plura ſecundùm rationem, & objectivè exiſtentia.

Inſtabis: Univerſale ſecundùm rationem tantùm debet eſſe univerſale Logicum univocè tale cum univerſali ſecundùm rem, & rationem; ſed hoc per nos debet eſſe in pluribus realitèr exiſtentibus, vel actu, vel poſſibilitèr; ergo idem dicendum de univerſali ſecundùm rationem tantùm, ac proindè, vel natura Angelica debet eſſe in pluribus realitèr, quod impoſsibile eſſe fatemur, vel non erit ſpecies univerſalis, & prędicabilis logicè.

Reſp. diſt. mai. univocè tale, *quantum ad hoc, quod eſt eſſe ſuperius univoce*, conc. mai. *quantum ad hoc, quod eſt exiſtere realiter in pluribus actu, vel poſsibiliter*, neg. mai. & concet. min. neg. conſeq. Nam, ut inquit Caiet. cap. de ſpecie, §. *ad hoc dubium*, & ſuper cap. 4. de ente, & de eſſentia, omnis ſpecies prædicabilis eſt de pluribus, non quia actu, vel aptitudine ſua, habeat plura individua, ſed quia res illa, quæ denominatur ſpecies, ſecundùm conditiones, quas ſortitur ex hoc, quod objicitur intellectui noſtro, undè & habet, quod denominetur ſpecies, abſtrahit ab uno, & pluribus individuis, & indifferentèr reſpicit unum, & plura, eo quod repræſentatur nobis ad modùm rerum, quas intelligimus per abſtractionem

à conditionibus individualibus. Hoc autèm etiam convenit naturæ Angelicæ, & ideò nihil prohibet eam denominari ſpeciem univerſalem, & prędicabilem de pluribus, ſicùt nil prohibet eã offerri intellectui noſtrò. Sic ergò non exigitur ad ſpeciem, quod actu, vel aptitudine phyſica poſsint eſſe plura individua illius ſpeciei in rerum natura ſimùl, vèl ſucceſsivè: hoc enim proprium eſt ſpeciei univerſalis ſecundùm rem, & rationem: ſed ſufficit, quod ut in intellectu eſt, reſpiciat plura, de quibus ſic prędicabilis intelligitur aptitudine logica, quæ nihil aliud eſt, quam indifferentia naturæ in eſſe cognito ad unum, & plura. Hæc autem prædicabilitas de pluribus ſic exponenda eſt: ſpecies, ut ſic non magis de uno, quam de pluribus habet, quod dici poſsit, ut de ſubjecto ſibi inferiori, quia æqualitèr abſtrahit ab uno, & infinitis ineſſe objectivo reſpectu intellectus noſtri, cui res ſic obijciuntur. Et hoc modo natura Angelica eſt ſpecies univerſalis, & prædicabilis logicè, univocèquè conveniens cum univerſali logico ſecundùm rem, & rationem.

Ad ſecundam probationem ant. principalis, reſp. neg. min. & ad probationem diſt. min. Naturæ Angelicę *prout in re*, conc. min. *prout in intellectu noſtro*, neg. min. & conſeq. Licet namque naturæ Angelicæ proùt in re repugnent plura individua ſolo numero diſtincta, quia in re exiſtit modo rebus ſpiritualibus proprio, & ſine principio multiplicationis; ideòque non poſsimus dicere, natura Gabrielis habet in re plura individua; tamen ut eſt in noſtro intellectu, non repugnant illi plura ſolo numero diſtincta, quia non eam concipimus modo naturis ſpiritualibus proprio, ſed admodùm rerum corporalium, ideò que dicere poſſumus, natura, quę eſt in Gabriele, eo modo quo à nobis concipitur abſtracta ab individuo, indifferens eſt ad plura, & ita Gabrielem reſpicit, ut quantùm eſt de ſe, plura reſpicere poſsit. Sic Cajet. ſuper cap. 4. de ent. & eſſent. & Ferrarienſis ſuper cap. 93 2. lib. contrà Gent. §. *Proſolutione harum rationum.*

Inſtabis: naturę Angelicę etiam proùt in intellectu noſtro, repugnat multiplicatio numerica: ergò etiam illi proùt ſic repugnant plura ſolo numero diſtincta. Prob. ant. Naturę Angelicæ etiam proùt intellectu noſtro, repugnat

nat principium multiplicationis numericę : ergò etiam multiplicatio numerica. Prob. ant. principium multiplicationis numericæ eſt materia; ſed naturę Angelicæ, etiam prout in intellectu noſtro, repugnat materia, cùm proùt ſic ſit completè immaterialis, & omnem materiam phyſicam excludat: ergò illi prout ſic repugnat principium multiplicationis nemericę.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. ant. principium multiplicationis *in individua materialia, & phyſica*, conc. ant. *in individua ſpiritualia, & Logica*, neg. ant. ad cujus probationem diſt. mai. Multiplicationis *realis, & phyſicæ* conc. mai. *ſecundum rationem*, neg. mai. & conceſ. min. neg. conſeq. ſubdiſt. ant. Quia licèt naturæ Angelicæ, etiam proùt in noſtro intellectu, repugnet materia phyſica, quæ eſt principium multiplicationis realis phyſicæ in ſubſtantia materiali, ut tenent etiam Authores, cum quibus in prędenti contendimus, ideò que illi repugnet principium multiplicationis numericę in individua, materialia, & phyſica: non tamen repugnat illi proùt in intellectu noſtro principium multiplicationis ſecundùm rationem in individua ſpiritualia, & Logica; hoc enim nihil aliud eſt, quàm cognitio naturæ ad modum rerum materialium, & cum præciſsione ab omni prorsùs ſingularitate, quod totum habet natura Angelica, dùm pro hoc ſtatu alligationis ad corpus concipitur à nobis eodem modo, quo conſuevimus corporalia intelligere. Ideòque illi proùt ſic non repugnant plura individua vera, & realia, ſecundùm quod ens reale diſtinguitur contrà ens pure ab intellectu fabricatum, Eſtò repugnent plura realitèr extrà cauſas exiſtentia; ſicùt omnis res prędicamentalis dicitur ens reale, exiſtat, vel non, realitèr extrà cauſas, ſed de his pluſquam ſatis pro Tyronum captu.

QUÆSTIO IV.

De individuo, & in ea, Art. Unic. de individui quidditate.

§. I.

Diffinitiones individui explicantur.

CUm ſpecies immediatè prædicetur de individuis præhabita notitia ſpeciei, explicanda eſt quidditas individui, quod eſt proprium ſpeciei correlativum. Quod quidem poteſt accipi dupliciter; vel ſecundò intentionalitèr:

vel primò intentionaliter, & ſecundùm ea, quæ habet ante operationē intellectus. Individuum primó intentionaliter ſumptum diffinitur à D. Th. 1. p. q. 29. art. 4. in corp. *Quod eſt in ſe indiſtinctum, ab aliis verò diſtinctum*, vel ut inquit 10. Metaph. lect. 11. *quod non dividitur ulterius nec materiali, nec formali differentia* in aliquas partes, quarum quælibet ſit ipſum; ut homo dividitur in Petrum, & Paulum, quorum quilibet eſt homo. Cum hoc tamen optimè compatitur, quod poſsit dividi in partes integrales, quarum quælibet non ſit ipſum; ſicut Petrus dividitur in caput, manus, & pedes; quarum nulla pars eſt Petrus: & hic ignis v.g. dividitur in partes ſimilares, quarum licèt quælibet ſit ignis, non tamen eſt ille primus ignis, qui diviſus eſt.

Hoc igitur individuum poteſt eſſe ſubſtantiale, vel accidentale: accidentale, *ut hæc albedo*. Subſtantiale adhùc poteſt eſſe triplex; vel determinatum, *ut Petrus*; vel demonſtrativum, *ut hic homo*: aut ex ſuppoſitione, *ut filius B. Mariæ Virginis*, ſuppoſito ſolùm Chriſtum de Virgine natum eſſe. Poteſt inſuper eſſe individuum completum, quod conſtat ex natura ſpecifica, & numerica differentia, *ut hic homo, vel hoc album* & poteſt eſſe incompletum, quod quidem conſtat ex natura generica, & differentia numerica, ut *hoc animal*, *hoc coloratum*.

Individuum completum diffinitur ex Porphyrio cap. de ſpecie, eſſe illud, *cuius collectio proprietatum in uno reperta, in alio reperiri non poteſt*. Quæ diffinitio deſcritiva eſt, cum detur per proprietates individui. Proprietates autem individuales ſunt ſeptem, iſtis verſiculis comprehenſæ.

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, ſanguis:
Patria; ſunt ſeptem quæ non habent unus, & alter.

FOrma non accipitur in præſenti pro forma ſubſtantiali, hæc enim potiùs pertinet ad ſpeciem, ſed pro ea, quæ ſignificat externam pulchritudinem, & colorem, vel corporis complexionem. Figura ſignificat lineamenta, & corporis habitudinem. Locus eam terræ partem, in qua quis natus eſt. Tempus, momentum, quo quis in lucem eſt editus. Nomen, id, quo unuſquiſque

appellatur. Sanguis, Proſapiam Parentum, nobilem, vel vilem. Patria, Provintiam, vel Regnum, in quo quis natus eſt. Quæ omnia collectivè ſumpta non poſſunt eadem numero in duplici individuo reperiri.

Intèr individua autèm ſubſtantialia, & accidentalia, hoc intercedit diſcrimen; quod individua ſubſtantiæ ſpeciali modo nominantur, dicuntur, enim *Suppoſita perſonæ hypoſtaſes, prima ſubſtantiæ, & res naturæ ſubſiſtentis*, quæ nomina ſignificant individuũ, proùt eſt quoddam totum, & completum in genere ſubſtantiæ, quod ſubſtat aliis tam prædicatis eſſentialibus naturæ quàm accidentalibus. Alia verò nomina, ut *ſingulare, individuum, particulare*, ſimilitèrque pronomina deſignativa, ut *hoc, iſtud, illud*, & ſimilia communia ſunt individuis accidentis, & ſubſtantiæ, ſivé totalis, ſivè partialis, ſivè ſubſiſtentis, ſivè non, quod totum deducitur ex D. Th. in 3. ad Annib. diſt. 6. q. unic. art. 1. in corp.

§. II.

Solvuntur argumenta.

ARguitur contrà diffinitionem individui primò intentionaliter ſumpti: Individuum eſt ſingulare: ſed ſingulare diffiniri non poteſt; ergò individuum non poteſt diffiniri. Prob. min. De ſingularibus non poteſt dari ſcientia, ut diximus art. 1. univerſalium: ergò ſingulare diffiniri non poteſt, eiuſdem enim obiecti eſt ſcientia, atque diffinitio.

Confirmatur: omnis bona diffinitio conſtat genere, & differentia; ſed individuum genere, & differentia non conſtat; ergò bene diffiniri non poteſt.

Urgetur: *aliquis homo* eſt individuum; & tamèn dividitur in partes, quarum quælibet eſt ipſum, dividitur enim in Petrum, & Paulum, quorum quilibet eſt aliquis homo: ergò non rectè traditur diffinitio individui.

Reſp. ad argumentum. diſt. min. Singulare *exercitè*, & *in particulari*, conc. min. *ſignatè*, & *in communi*, neg. min. & conſeq. ſub ead. diſt. Licet namq; ſingulare ſub ratione propria huius, vel illius, vel ut ſignificatur nomine exprimente ſingularitatem determinatam diffiniri nequeat, nec de illo poſsit dari ſcientia; qua ratione Petrus, qui exprimit Pe-

Petreitatem ſoli Petro convenientem, propriè diffiniri non valet; poteſt tamen diffiniri ſingulare ſub ratione communi, vel ut ſignificatur nomine exprimente ſingularitatem communem, qualem explicant nomina iſta, *individuum*, *ſingulare*, *particulare*, quę omni individuo tàm ſubſtantiali, quàm accidentali conveniunt, ut ſuprà dictum eſt.

Ad confirmationem reſp. non eſſe neceſſarium diffinitionem conſtare genere riguroſo, ſed ſatis eſt conſtare prædicato communi, in quo diffinitū conveniat cum alijs, ut dictum eſt in Dialectica inter explicandas conditiones bonæ diffinitionis; individuū autem conſtat ex prædicato communi individui, & differentia particulari talis individui, quod ſufficit ut diffiniatur, licet non ità propriè ſicut diffinitur ſpecies, quæ ex genere, & differentia componitur.

Ad id, quo urgetur argumentum, dicimus, quod *aliquis homo* eſt individuum vagum: in preſenti autem ſolùm diffinitur individuum determinatum, quale non eſt *aliquis homo*: ideó nihil contra nos.

§. III.

Explicatur diffinitio individui ſecundo intentionaliter ſumpti.

INdividuum ſecundò intentionaliter ſumptum, diffinitur à Porphyrio eſſe illud, *quod de uno tantum prædicatur*, in prædicari convenit cum quinque prædicabilibus, & omnibus alijs, quæ de aliquo prædicantur: & per ly *de uno tantum* ab alijs diſtinguitur, quia de uno tantùm prædicari, eſt propriſsima differentia individui.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

CONtrà prædictam diffinitionem arguitur primò: prima ſubſtantia eſt individuum; ſed prima ſubſtantia, texte Ariſt. cap. de ſubſt. de nullo prædicatur: ergó individuum etiam de uno tantum non prędicatur.

Reſp. diſt. min. de nullo prędicatur *prædicatione artificioſa*, conc. min. *prædicatione naturali*, *ſeu identica*, neg. min. & conſeq. ſub ead. diſt. Duplex namque eſt prædicatio, ut inquit Caiet. cap. 1. de individuo: quædam artificialis,

lis, quædam verò naturalis; prædicatio artificialis dicitur illa, quæ directè ſervit fini artis; naturalis autem dicitur, quæ artis fini non eſt directe proficua: cum igitur finis artis Logicalis ſit edere inſtrumenta, quibus incognita innoteſcant, illa erit prędicatio artificioſa, qua aliquid ignotum fit notum; hæc autem eſt, quæ duo qualitercumque diſtincta adunat, *ut homo eſt animal, vel riſibilis*: naturalis autem erit illa, qua nihil ignotum notificatur: hęc autem eſt, in qua omninò idem de ſe ipſo prædicatur, *ut homo eſt homo*, quæ tamen adeò veriſſima eſt, ut Boetius dicat ea nullam eſſe veriorem. Sic igitur, dùm Ariſt. dicit primam ſubſtantiam de nullo prędicari, de prædicatione artificioſa intelligendus eſt, quatenùs prima ſubſtantia non comparatur ad aliquid per modum formæ ad ſubjectum. Dum verò dicit Porphyrius individuum de uno ſolo prædicari, de prædicatione naturali, ſeu identica eſt intelligendus, non tamen de prędicatione artificioſa, & per hunc modum omni convenit individuo.

Inſtabis: prædicatum in omni propoſitione ſe habet ut forma ſubjecti: ergò vel prima ſubſtantia non prędicatur, vel comparatur ut forma ad ſubjectum.

Reſp. diſt. ant. ſe habet ut forma *Logica, vel Dialectica*, conc. ant. *Logica pręciſè*, neg. ant. Licet namque prædicatum in omni propoſitione ſe habeat ut forma ſaltim dialectica, qnatenús ut prędicatum eſt id, quod loco principali ponitur in propoſitione, & de alia dicitur; non tamen ſemper ſe habet ut vera forma, ſicut in hac *homo eſt albus*, aut tanquam forma Logica, ut cum ſuperius de inferiori affirmatur, ſicut in hac *homo eſt animal*.

Secundò arguitur: Petrus, & Paulus ſunt individuum; ſed quilibet iſtorum poteſt de pluribus prædicari: ergò individuum non de uno tantum prædicatur, ſed de pluribus. Prob. min. Hoc nomen Petrus, eſt natum de pluribus prædicari; quia nihil prohibet multos eſſe, qui vocentur hoc nomine: ergò vera eſt minor.

Reſp. neg. min. & ad probat. dicimus cum D. Th. 1. Periherm. lect. 10. lit. a. quod Ariſt. non diviſit nomina in univerſale, & ſingulare, ſed ipſas res, & ideò intelligendum eſt, quod univerſale non ſolùm dicitur, quando non ex poteſt de pluribus prędicari, ſed etiam quando id, quod ſignificatur per nomen, eſt natum in pluribus inveniri:

hoc

hoc autem non contingit in prędictis nominibus, nàm hoc nomen Petrus, vel Paulus ſignificat naturam humanam ſecundum quod eſt in hac materia. Si verò hoc nomen imponatur alteri homini, ſignificabit aliud, & propter hoc non eſſet univerſale, ſed æquivocum.

Tertiò arguitur: diffinitio traddita non convenit ſuo diffinito: ergò non eſt bona. Prob. ant. Diffinitum huius diffinitionis eſt individuum; ſed individuum non prędicatur de uno tantum, ſed de pluribus, ut conſtat in his: *Petrus eſt individuum*, *Paulus eſt individuum*: ergò diffinitio non convenit ſuo diffinito.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. min. *individuum denominativè*, *& ut quod*, conc. min. *eſſentialiter*, *& ut quo*, neg. min. Quia individuum poteſt conſiderari eſſentialiter, *& ut quo*, quatenùs conſtitutum per differentiam determinatam eſſentialem individuo, in quo ſenſu de uno tantùm dicitur, ſicut Petrus, ut conſtitutus per differentiam determinatam ſibi ut individuo eſſentialem prædicatur de ſe ipſo: poteſt inſuper conſiderari individuum denominativè, & ut quod, vel accidentaliter, quatenùs quodcumque individuum accidentaliter denominatur ab intentione individui, & in hoc ſenſu de pluribus prædicatur, quia Petrus eſt individuum, & Paulus eſt individuum; verum ad hęc omnia comparatur ut forma accidentalis, & prędicatione quinti prædicabilis de illis prędicatur.

Inſtabis; individuo convenit accidentaliter, & denominativè prędicari de pluribus: ergò nequit illi convenire eſſentialiter prędicari de uno tantum, nàm oppoſitum illius, quod alicui convenit eſſentialiter, non poteſt etiam per accidens convenire.

Reſp. neg. conſeq. Quia licet prædicari de pluribus, & de uno tantùm ex terminis, & ſignatè ſint extrema oppoſita, non tamen exercitè, & comparativè ad individuum ſecundùm diverſam conſiderationem: unde ſicut individuũ ſecundùm unam rationem eſt unum determinatè, & accidentaliter conſideratum eſt quid commune, ità illi accidentaliter conſiderato, & in ſtatu præciſionis poteſt accidentaliter competere intentio communis, & oppoſita cum altera, quę illi eſſentialiter convenit; ad eum modum, quo generi eſſentialiter convenit intentio generis, & illi accidentaliter, & denominativè convenit intentio ſpeciei;

&

& universali essentialiter convenit intentio superioris, & eidem accidentaliter, & denominativè, convenit intentio inferioris ad genus.

§. V.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in art. discursu, colligitur, in individuo tria distinguenda esse; videlicet, nomen, individualitas, & natura affecta individualitate, & designata nomine singulari. Sic ergò dùm dicimus individuum de uno tantùm prædicari, intelligendùm est de natura affecta individualitate, ac nomine singulari designato, ut natura Petri, & Pauli; quam quidem perspicuum est de uno tantùm prædicari. Cæterum si sermo sit de nomine, & individualitate, manifestum est ea posse de pluribus dici; plures enim sunt in unoquoque regno, & Provincia, imò in singulis generationibus, qui repetitis impositionibus vocentur hoc nomine *Petrus*: & individualitas in communi etiam dici potest de hac, & illa individuitate.

)(o)(

QUÆSTIO V.

De differentia, & in ea.

ARTIC. I.

De diffinitione differentiæ, & illius divisione.

§. I.

Divisio differentiæ traditur.

LIcèt differentia sit prior specie, sicût principium priùs est principiato, nihilominùs Porphyrius differentiam postponit speciei, quę est proprium generis correlativum, ut notitia generis compleretur: quapropter prę-habita notitia generis, & speciei antè reliqua dè differentia sermonem inchoavit. Hęc autem nihil aliud est, quam forma, per quam unum ab alio distinguitur. Unde iuxta D. Th. 5. Metaph. lect. 12. §. *Hic distinguit*, illa dicuntur differe, quæ. in aliquo uno conveniunt, & in aliquo sunt diversa: qúæ vero in nullo conveniunt sicùt genera suprema non possunt propriè dici differentia, sed sunt diversa; quia non differunt aliquo alio, sed seipsis. Differens autem dicitur, quod ali-

quo

quo alio; ſic ergò differt diverſum ad plus ſe extendit, quàm differens: nam differens omne eſt diverſum, ſed non convertitur. Quod etiam repetit 10. Metaph. lect. 4. §. *Oſtendit in quo differt.*

Hæc autem differentia communiter ſumpta dividitur in præſenti à Porphyrio in differentiam *communem, propriam, & propriiſsimam.* Differentia *communis* eſt accidens ſeparabile à ſubjecto, per quod ſubjectum ab alio, vel, à ſe ipſo diſtinguitur, quando tali accidenti caret; ſicùt albedo eſt differentia communis Petri, quia per illam differt à Paulo nigro, vel à ſeipſo, quando albedine caret: ſic enim Hiſpanus differt à Gallo, ambulans à ſedente, & Petrus puer à ſeipſo iam viro, vel ſene, vel iam faciente aliquid, vel quieſcente. Differentia *propria* eſt accidens inſeparabile, per quod aliquid differt ab alio: ut oculi cærulei differunt à nigrãtibus, capilus criſpus à fluente, cæcus à vidente, naſi curvitas, & cicatrix cum ex vulnere occaluerit: quamvis interè hæc propria paſsio ſubjecti locum principalem obtineat. Differentia *propriſsima* eſt, quę conſtituit ſpeciem, & unum ab alio eſſentialiter diſtinguit; hæc autem alia eſt phyſica, ſicùt forma in compoſito: alia metaphyſica, ſicùt rationalitas, &c. Hoc tertio modo ſumpta differentia eſt, quæ prędicabile differentię conſtituit.

Ulteriùs differentia proproprijſsima dividi poteſt in ſupremam, infimam, & mediam, ſeù ſubalternam. Differentia *ſuprema* eſt, quę nullam ſupra ſe agnoſcit; ſicùt corporeum, & incorporeum ſunt ſupremæ differentię reſpectu ſubſtantiæ. Differentia *infima* eſt, quæ nullam infra ſe agnoſcit, ſicùt rationalitas, & hinnibilitas reſpectu animalis. Differentia *media*, ſeù *ſubalterna*, eſt, quæ mediat inter ſupremam, & infimam, ſicùt ſenſibile, & inſenſibile. Quæ diviſio cum eisdem diffinitionibus aplicari etiam poteſt generibus, & ſpeciebus, ut facillimè percipere poteris ex prædicabilium arbore, à nobis quæſt. præcedenti tranſcripta.

Et quamvis Porphyrius alias enumeret diviſiones, aſſerens, differentiarum aliquas eſſe ſeparabiles, aliàs verò inſeparabiles; & inſeparabilium, aliàs per accidens, alias per ſe: & rursùs earum, quæ ſunt per ſe, alias diviſivas generis, & aliàs conſtitutivas ſpecierum omnes illæ tamen reducuntur ad primam, & ex illa deducuntur.

Ex-

Explicatis igitur differentiæ divisionibus, nunc insurgit difficultas *an divisio differentiæ in communi in communem, propriam, & propriissimam bona, & adæquata sit.* In qua parte cum communi sensu Logicorum hæc erit.

§. II.

Nostra conclusio.

Optima, & adæquata est divisio differentiæ in communem, propriam, & propriissimam.

RAtione brevi, & communi probatur conclusio nostra: Id, per quod unum ab alio distinguitur, vel facit differre essentialiter, vel accidentaliter; si essentialiter, est differentia propriissima: si accidentaliter, vel separabiliter, vel inseparabiliter; sed quod facit differre accidentaliter inseparabiliter est differentia propria, quod verò accidentaliter separabiliter est differentia communis: ergò omnis differentia vel est propriissima, propriavè, vel communis, consequenterque optima, & adæquata erit divisio differentiæ in membra supradicta, eam fiat per membra exhaurientia, & adequantia totum divisum.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntrà bonitatem divisionis arguitur primò: In bona divisione membra dividentia debent distingui realiter, vel saltim formaliter; sed membra præfatæ divisionis nec etiam formaliter distinguuntur: ergó divisio differentiæ in tria membra assignata bona non est. Prob. min. Eadem differentia est propria, propriissima, & communis: ergò membra præfatæ divisionis non distinguuntur formaliter. Prob. ant. Disgregativū visus est differentia propriissima albi, & propria Cigni, à quo est inseparabilis albedo, & differentia communis respectu hominis: ergó eadem differentia est propria, propriissima, & communis.

Resp. neg. min. & ad probationem dist. ant' eadem materialiter, conc. ant. eadem formaliter, neg. ant. Licet namque differentia eadem materialiter respectu diversorum possit esse propria, propriissima, & communis, ac proinde membra præfatæ divisionis quandoque non sint, entitativè distincta, tempertamen formaliter diversa est

per

per ordinem ad diversa subjecta, quibus convenit, quod satis est, ut membra divisionis prædictæ formaliter distinguantur, sicut bonum, & verum materialiter sunt idem sed quia formaliter sunt diversa, bona est, divisio entis in verum, & bonum, ut in Dialectica dictum est cap. de divisione.

Secundò arguitur: præter tria enumerata aliam necesse est assignare differentiam: ergò divisio in tria membra assignata adæquata non est. Prob. ant. Genera suprema essentialiter differunt; sed non per aliquam differentiam ex tribus enumeratis: ergò præter tria enumerata aliam necesse est assignare differentiam. Prob. min. Genera suprema non distinguuntur per differentiam communem, aut propriam, hæc enim solùm faciunt accidentalem differentiam: nèc per differentiam propriissimam, cum hæc constituat speciem, & genera suprema species non sint: ergò non distinguuntur essentialiter per aliquam differentiam ex tribus enumeratis.

Resp. neg. ant. & ad prob. neg. suppositum mai. ut enim diximus ex D. Th. §. 1. huius art. aliud est differre, & aliud diversum esse, sicut etiam aliud est diversitas, est aliud differentia. Ea enim dicuntur diversa, quæ se totis differunt, & non per aliud superadditum; ea verò propriè differre dicuntur, quæ per aliquid superadditum differunt ab alio, ita, ut conveniant in aliquo, & in alio differant. Undè omnis differentia supponit aliquam convenientiam; quæ autem nullam convenientiam habent, sunt primò diversa. Huiusmodi autem sunt genera suprema, ut docet D. Th. 10. Metaph. lect. 4. propè finem, & etiam ipsemet differentiæ, quę non differunt amplius ab invicem aliis differentiis, sed sunt rationes differendi, & seipsis differunt undè si fiat vis in verbo (inquit D. Th. 1. p. q. 3. art. 8. ad 3. & quæst 90. art. 1. ad 3.) non propriè dicuntur differe, sed diversa esse, & ita mirùm non est, quod genera suprema non distinguantur per aliquam ex tribus differentiis assignatis.

Tertiò arguitur: Propria passio facit differre; sed non aliquo ex tribus modis assignatis; ergò tria membra enumerata non exhauriunt totam rationem differentiæ. Prob. min. Propria passio non facit differre propriissimè cum non sit differentia essentialis, nec etiam proprie, & communi-

tèr, nàm ea, quę habent diversas passiones, essentialitèr differunt: ergò non facit differre aliquo ex tribus modis assignatis.

Resp. neg. min. & ad probationem dicimus, cum Caiet. cap. de differentia, quod propria passio dimanans à principiis essentiæ *formaliter*, solùm facit differre propriè *virtualitèr* autem, seù *illative* facit differre propiissime, quia est effectus consecutus, ad differentiam propriissimam, & ex differentia per propriam passionem ab essentia dimanantem benè infertur differentia essentialis sicùt benè infertur est risibile; ergò est rationale: formalitèr tamen solùm facit differre accidentalitèr propriè. Et hoc etiam habet quodlibet accidens inseparabiliter inhærens essò à principiis essentiæ non dimanet, nam Porphyrius explicans differentiam propriam exemplificat in curvitate nasi, & in cicatrice callo obducta, quę tamen non dimanant ab essentia, sed solùm sunt accidentia inseparabilitèr inhærentia.

Quartò arguitur: Petrus senex factus differt à se ipso puero, sed non aliqua differentia ex tribus enumeratis: ergò divisio in tria assignata adequata non est. Prob. min. Si differret aliqua differentia ex enumeratis, maximè differentia communi; sed hac non; ergò nulla. Prob. min. Petrus senex est alius à se ipso iuvene, vel puero, quia constat ex nova materia, quę per nutritionem prorsùs commutata fuit; sed differentia communis, licet faciat alterum, seù alteratum, non tamen facit alium, seù aliud, ut hic inquit Porphyrius: ergo Petrus senex non differt à se ipso puero differentia communi consequentèrque exemplum, quod ex Porphyrio adduximus pro differentia communi, nullatenùs erit aptum.

Resp. neg. utramque min. & ad probationem neg. mai. Immò oppositum asserere, non solùm repugnat Aristoteli 4. Metaph. lect. 12. apud D. Th. prope finem irridenti Heraclitum, & Cratilium, dicentes non posse hominem bis intrare eundem fluvium propter jugem aquæ cursum; verùm etiam Scripturæ Sacrę apud Iob. cap. 19. v. 26. & 27. ubi dicitur: *Et rursùm circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Unde firmiter tenemus, quod Petrus senex non est alius quam juvenis, vel puer,

ſed ſolùm differt differentia communi, ut ait Porphyrius. Nec probatio inducta aliquid in contrarium ſuadet; quamvis enim tota materia, quam ego habui ante viginti & novem annos, fuerit corrupta, tamen quia in quocumque temporis articulo fuit imperceptibiliter variata, ſum ego hodie illemet, qui heri, & heri, qui nudiùſtertiùs, qui adolenſcens, & ille, qui puer, & qui infans, aliàs non eſſet verum, quod ego ſum baptizatus. Sicùt propter eandem rationem omnes communitèr aſſerimus *Piſuerga* v.g. eſſe nùnc eundem fluvium, qui fuit centum abhinc annis.

Si autem quæras, undè differentia ſortiatur vocabulum communis, proprię, & proprijſsimæ? Dicimùs cùm Cajetano cap. de differentia ex duobùs ortum habere: ſcilicet ex cognitione noſtra, & etiam ex rebus ipſis. Ex cognitione noſtra, dicitur differentia communis illa, quę fit ex rebus; per quas communitèr homines etiam rurales diſtinctionem apprehendunt inter entia huius mundi. Hujuſmodi autem ſunt ſenſibilia accidentia. Differentia verò propria dicitur illa, qua aliqua diſcernimus proprietates eorum inſpiciendo, velut quòſdam eorum characteres, ut cùm Luſcùm aliquem ſivè à natura, vel caſu ut alijs differentem dicimus. Proprijſsima verò dicitur illa, quæ ſolis ſapientibus innoteſcit, eo quod nihil ea magis intimè differre facit, quę conſtituit, hæc autem eſt, quę fit per principia eſſentialia propria. Ex rebus denique ipſis hæc nominum diverſitas robur etiam maximùm habet; illa namque dicitur differentia communis, quæ caulatur à rebus, quę non ſunt propriè huic, vel illi, ſed multis communiter accidunt. Illa verò dicitur propria, quę cauſatur ex his, quę proprietates ſunt aliquarum rerum, ut ridere, mugire &c. Illa autem dicitùr proprijſsima, quæ cauſatur ex his, quę minimè propriè rebus ſunt, videlicèt ex conſtitutivis eſſentiarum ſuarum.

Omnes autem has differentias non habere univocam convenientiam in ratione tertij prędicabilis manifeſtum eſt ferè apud omnes, ſiquidem ſola differentia proprijſsima prædicatur *in quale quid*, quod eſt proprium tertij prędicabilis: alię verò ſolùm prædicantur in quale. Eaſdèm etiam differentias primò intentionalitèr acceptas, quatenus faciunt unum ab alio differre, analogicè etiam convenire, conſ-

constat esse, quod inæqualiter participant rationem communem differentiæ; nàm sola differentia proprijssima facit differre simpliciter; alia verò solùm faciunt differre accidentaliter, & consequenter sola differentia proprijssima est differentia simpliciter, ac proindè divisio anologa est, nàm quando membra mæqualiter participant rationem communem, est analoga divisio.

Instabis: differentia communis, & propria sunt propriè differentia: ergò sunt differentia simpliciter. Prob. ant. Differentia communis, & propria propriè faciunt differre, siquidem homo albus vere, & propriè differt ab homine nigro, & risibile verè, & propriè distinguitur ab inhibili: ergò differentia communis, & propria sunt propriè differentia, & consequenter divisio erit univoca.

Resp. dist. ant. sunt propriè, *id est, non metaphoricè differentia*, conc. ant. *propriè, id est, simpliciter*, neg. ant. & conseq. Licet namque differentia communis sit propriè differentia communis, prout ly propriè distinguitur contra metaphoricè, & similiter differentia propria sit propriè, hoc est, non metaphoricè, differentia propria; ideóque homo albus prout sic vere, & propriè differat differentia communi ab homine nigro, & risibile differat, differentia propria ab inhibili: non tamen sunt propriè, hoc est simpliciter differentia, quia non faciunt differre essentialiter, & simpliciter, sed tantum accidentaliter, & secundum quid, & ideò sunt propriè differentia, sed non differentiæ simpliciter, sicut homo pictus propriè est homo pictus, sed non est propriè, & simpliciter homo, & accidens est propriè ens, non tamen est ens simpliciter, sed solùm secundum quid.

§. IV.

Diffinitiones differentiæ proprijssimæ explicantur.

DIfferentia proprijssima (quæ solo ad tertium prædicabile pertinet) triplicem actum importat, videlicet dividere genus, constituere speciem, & unam ab alia distinguere, & insuper habet inferiora sua respicere, & de illis prædicari, quæ omnia præ oculis habens Porphyrius, secundum diversum respectum, vel exercitium diversimodè differentiam diffinivit. Per respectum namque ad genus diffinivit sic. Differen-

rentia est, *qua abundat species à genere*, vel ut communiter vertitur, *illud, quo species excedit genus*, & per respectum ad speciem, quod *sit constitutiva speciei*; & quatenùs differre facit unam speciē ab alia, qua *differunt inter se singula*: & tandem per ordinem ad inferiora sic diffinivit: differentia est, *quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid, vel in eo quod quale.* Ac deniquè secundū quod est divisiva generis sic diffinitur à Porphyrio: Differentia est id, *quod est aptum natum dividere ea, quæ sub eodem genere sunt*, nam rationale, & irrationale dividunt hominem; & equum, quia homo, & equus sub eodem genere sunt.

Omnes istæ diffinitiones optimę sunt, si rectè intelligantur, & earum bonitas (prętermissa authoritate Porphyrij, qui illas tradit, & Doctorum omnium eas communiter recipientium) non alitèr meliùs patebit, quàm occurrendo objectionibus, quæ contrà illas procedere solent.

Objicies primò contrà primam diffinitionem: species per differentiam non excedit genus: ergò prima diffinitio bona non est. Prob.ant. etiam genus continet differentias: ergò species per differentiam non excedit genus. Prob. ant. primò. Genus (ut diximus quæst. 2. huius lib. art. 1. in resp. ad 4. argumentum) est totum respectu specierum; sed totum continet suas partes: ergò etiam genus continet differentias eadem, quas continet species.

Secundò prob. ant. Si differentia non continetur sub genere species haberet differentiam ex nihilo, quia si homo non habet ab animali, ut sit rationalis, non videtur undè id habeat; hoc non est dicendum: ergò asserendum est, etiam genus continere differentias, cum nihil dare possit, quod non habet.

Confirmatur: species excedit genus per risibilitatem, & alia accidentia: ergò non est speciale differentię, quod per illam species superet genus.

Resp. neg. ant. & ad probat. dist. ant. genus continet *in potentia*, differentias, conc. ant. continet *actu*, neg. ant. Genus namquè solùm in potentia continet differentias, species verò actualitèr differentiam continet, & per ipsam, ut actu contentam excedit genus. Homo enim plùs habet, quam animal, eo quod habet rationale, & mortale; animal autem nihil horum actu habet. Unde ad inductam pro-

probationem resp. sicut loc. cit. dictum est, quod genus solùm est totum potentiale respectu specierum, ideóque solùm in potentia continet, quidquid continet species, & abundantia merè potentiali à qualibet specie abundat, quod quidem non est abundare, sicut nec dives in potentia est dives: cæterùm species abundat à genere, & actu excedit genus, quia actu habet in se differentiam, quam genus actu non habet, ut docet Porphyrius per hæc verba: *potestate quidem habet omnes differentias sub se, actu verò nullam.*

Ad secundam probationem ant. dicimus, species habere differentias à genere, illas sub se continente, non actu, quia tùnc opposita includeret in sua essentia, rationale v. g. & irrationale, quod est impossibile; sed in potentia tantùm: & ità non dicimus differentias oriri ex nihilo, sed oriri ex genere: nàm sicut ignis v. g. nequè fit ex nihilo, neque ex igne in actu, sed ex materia ligni, quę est in potentia ad ignem, ità differentia, per quam constituitur species, neque derivatur ex nihilo, neque ex rationali in actu, sed ex animali, quod in potentia continet omnes differentias specierum. Nec propter hoc asserimus (ut aliqui autumant) in eodem genere esse oppositа, quia opposita esse in potentia in eodem, non est in eodem esse oppositа, sicut nec hominem esse calidum in potentia, est hominem esse calidum.

Ad confirmationem resp. speciem excedere genus per differentiam essentialem, essentialitèr generi superaddendo perfectionem essentialem actualiter non contentam in genere, per alia verò accidentia propria, vel communia solùm accidentalitèr excedere genus: & dùm Porphyrius ait, quod differentia est id, quo species excedit genus, de excedere in perfectione essentiali intelligendus est.

Circà quartam diffinitionem non modicum est dissidium, etiam inter domesticos, an talis diffinitio differentiæ prædicabilis omni differentiæ conveniat? Et quidem si particula *de pluribus differentibus specie* non ponatur ut pars diffinitionis, sed solùm ut diffinitionis exemplum adductum in differentia determinata, v. g. in *subalterna*, manifestum est apud omnes, diffinitionem omni differentiæ convenire, nàm omnia alia, quæ in diffinitione ponuntur, omni differentię competunt.

Similitèr non procedit

difficultas præsens casu q 10 Porphyrius solùm traddiderit diffinitionem differentiæ subalternæ (quod asserunt aliqui, eo quod differentia hęc est magis nota, & infimę differentię minus nobis innotescunt) sed supposito , quod particula de *pluribus differentibus specie* sit pars prædictæ diffinitionis, & diffinitio omni differentię adaptetur, difficultas est, qualitèr prędicta diffinitio omni differentiæ cõvenire possit.

In qua parte Collegium S. Thomæ Complutense, & Magister Lerma constantèr propugnant prędictam diffinitionem omni differentiæ competere, quia licet athoma differentia non prædicetur de pluribus differen ibus specie *inter se*, prædicatur tamen de pluribus differentibus specie ab alijs, sicut rationale de Petro, & Paulo, qui per differentiam ipsam rationalis specie differunt à cęteris animalibus : consequenterque asserunt, particulam illam esse intelligendam de pluribus differentibus specie, *vel inter se, vel ab alijs*, rectęque prout sic diffiniri differentiam proprijssimam, quæ sola constituit prædicabile, eo quod prout sic diffinitur per fundamentum ipsius, quod est facere unum ab alio specificè differre, relationes autem rationis rectè diffiniuntur per earum fundamentum.

Verùm Sapientissimus, & Eminentissimus Cajetanus discutiens, & exquirens sapientiam antiquorum, & conservans narrationem virorum nominatorum B. scilicet Alberti Magni, Avicenæ, Alpharabij, & Averrois, cap.de differentia §. *occurrit autem primo*, subtilitate, qua solet, defendit *prædicari de pluribus differentibus specie* non intelligi *positivè*, sed tantùm *negativè*, vel per non repugnãtiam, ità ut sensus sit, quod differentiæ in quantùm differentiæ non repugnat prædicari de pluribus differentibus specie, in quo sensu omni differentię convenit diffinitio : & quod quamvis differentiæ athomæ repugnet prædicari de pluribus differentibus specie, in quantùm athoma est, illi tamen non repugnat in quantùm est differentia. Cajetanum deserunt Collegium Cõplutense, & Mag. Lerma, sed ipsum pro viribus sequũtur M. à S. Thom. necnon Sap. Mag. Soto quęst. unica de differentia in resp. ad 6.argum. ideòque à sententia Cajetani nobis recedere non licet, maximè cuiusvis rei naturę, & mer ti Porphyrij magis proprinqua videatur.

Ad

Ad ejus ergò mentem percipiendam, notandum est differentiam athomam, & subalternam in ratione tertij prædicabilis accidentaliter tantùm distingui, quia de essentia tertij prædicabilis solùm est prædicari *in quale quid*, quod autem inferiora specie, aut solo numero differant, accidentaliter convenit illi, sicut etiam eidem convenit accidentalitèr, quod sit differentia athoma, vel subalterna; quapropter diffinitio tradita per *prædicari de pluribus in quale quid* explicat totam essentiam differentiæ Logicæ: alia verò particùla explicat solùm id, quod differentię non repugnat, qùatenùs differentia est. Posse autem aliquid modo dicto diffiniri suadet Cajetanus exemplo quanti, quod diffinitur esse divisibile in ea, quę insunt, ubi divisibile sumitur negativè, & per non repugnantiam, qualiter convenit omni quanto; nàm quamvis cœlo, & minimo natùrali non conveniat esse divisibile posśitivè, illis tamen non repugnat, quatenùs sunt quanta, sed solùm ut talia sunt. Quod etiam docet D. Th. 1. Phisic. lect. 9. §. *quæ talis est*, & deinceps.

Adhuc clariùs eluceścet mens Caietani, si verba ipsius Porphirij iuxta translationem Joannis Argyropili oculis obiervêtur, & talia sunt. Differentia *est id, quod de pluribus, & differentibus specie, hoc ipso quale quid est prædicatur.* In quibus verbis animadvertendum est, non dixisse Porphyriùm: differentia est, quæ prędicatur de pluribus śpecie differentibus, sed de *pluribus*, & *śpecie differentibus*. Ut quid enim (inquit Mag. a Sto. Thoma) interposuit illam particulam *Et*? nisi ut distingùeret inter prædicari de pluribus absolutè, & prędicari de śpecie differentibùs. Undè in illa particula de *pluribus* incluśit omnes differentias prędicabiles, śivè subalternas, śive athomas: in illa verò additione, *& śpecie differentibus* śpecialitèr subalternas indicavit, quasi diceret Porphyrius, differentia est, quæ quantum est ex se, prædicatur de pluribus in quale quid, etiam si talia plùra sint śpecie differentia. Hanc enim vim habet particula *Et* in diffinitione interpośita, cum dicitur de pluribus, & śpecie differentibus, id est, etiam śpecie differentibus. Et hoc modo intellecta mente Caietani nihil aśperitatis habet, sed plurimum subtilitatis, & maximè se accommodat ad Porphyrij mentem.

Objcies primò contra

intelligentiam prędictę diffinitionis Porphyrius non obſervavit talem modum diffiniendi in alijs prædicabilibus: ergó non eſt cur credamus Caietano ſic explicanti diffinitionem differentię prędicabilis.

Reſp. conc. ant. neg. conſeq. Quia Porphyrius fuit primus Author (ut diximus in principio huius lib.) & pro ſua libertate noluit talem modum obſervare. Fortaſis autem in alijs prędicabilibus talem modum non obſervavit, quia alia prædicabilia non reſpiciúnt plures terminos immediatos, ſicut reſpicit differentia, & ideò ex alijs prędicabilibus ad differentiam non poteſt paritas fieri.

Dicès: ſi differentia permiſsive, & per non repugnantiam ſe habet ad prędicari de pluribus ſpecie, vel numero differentibus, non ſolum debuiſſet ponere Porphyrius particulam *de pluribus differentibus ſpecie, ſed etiam differentibus numero*; hoc non fecit Porphyrius: ergò diffinitio differentię non debet intelligi iuxtà explicationem Caietani.

Reſp. neg. mai. Nàm qùando aliquid diffinitur per non repugnantiam, ſemper debet poni id quod majus, & principalius non repugnat. Poſita autem particula de pluribus differentibus, quod eſt majus, & principalius, melius innoteſcit, quod non repugnat minus principale, ſcilicet, prædicari de pluribus differentibus numero. Sicut melius diffinitur continuum per hoc, quod ſibi non repugnat dividi in infinitum, quàm per hoc quod ſibi non repugnat oppoſitum.

Obijcies ſecúndo: bona diffinitio debet dari ad explicandam eſſentiam rei diffinitę; ſed id, quod alicui tantùm convenit per non repugnantiam, nequit explicare eſſentiam illius: ergò particula de pluribus differentibus ſpecie in diffinitione differentiæ non debet intelligi ſolùm per non repugnantiam. Prob. min. Illud, quod alicui convenit tantùm per non repugnātiam, non explicat quid ſit res, ſed ſolùm quid illi non repugnet, ſicut per hoc quod homini non repugnet *eſſe album*, non innoteſcit nobis quid ſit homo, immò nec an ſit albus: ergò vera eſt minor.

Reſp. diffinitionem prædictam quantùm ad eſſentialia non dari per non repugnantiam, ſed ſolùm quantùm ad accidentia rei diffinitę; nam quod plura differant ſpecie, vel ſolo numero, accidentaliter ſe habet in ordine ad diffe-

ferentiam : & explicare per non repugnantiam accidētia, quæ rei definitæ non repugnant, non diminuit, sed auget definitionis bonitatem.

Dices: iuxtà doctrinam datam posset homo definiri per *animal irrationale*, quia licet irrationalitas repugnet homini, quatenus est homo, non tamen illi repugnat, in quantum animal est; sed hoc non admittit Caietanus: ergò nec illius explicatio admittenda est.

Resp. neg. sequel. Quia licet irrationalitas non repugnet homini, quatenùs animal est, repugnat tamen illi secundum differentiam specificam rationalis, & definitio bona non potest dari per illud, quod alicui repugnat secundum differentialem conceptum, qualitèr *prædicari de pluribus specie differentibus* non repugnat differentię secundùm rationem tertij prædicabilis, in quo athoma, & subalterna specificè conveniunt; sed tantùm illi repugnat, quatenùs athoma est.

§. V.

Corollaria ex dictis.

EX dictis colligitur, differentiam prędicabilem in communi essentialiter definiri per *prædicari de pluribus inferioribus in quale quid*, & differentiam subalternam secundùm rationem accidentalem superadditam prędicari de pluribus differentibus specie: athomam verò de pluribus solo numero distinctis.

ARTICULUS II.

Utrum differentia constituatur in ratione universalis per ordinem ad speciem?

§. I.

Difficultas aperitur, & statuitur negativa conclusio.

AD articuli intelligentiam primò supponendum est, differentiam prædicari in *quale quid*, non solùm de specie, quam constituit, ut cum dicimus: *homo est rationalis*, sed etiam de inferioribus; non quidem de inferioribus propriis, videlicet hoc & illo rationali, de his enim prædicatur ut species, dicendo totam illorum essentiam: sed de inferioribus speciei, ut cum dicimus: *Petrus est rationalis*, *Paulus est rationalis*.

Secundò notandum est, diffe-

ferentiam non conſtitui in ratione univerſalis per ordinem ad genus, quia ipſum non reſpicit ut inferiùs, ſed ut ſuperiùs ad ipſam; verùm cum differentia immediatè reſpiciat ſpeciem, quam conſtituit, & immediate de illa prædicetur, & mediante ſpecie reſpiciat individua, de quibus mediate prędicatur: difficultas eſt, an per ordinem ad individua conſtituatur in ratione univerſalis, vel per ordinem ad ſpeciem. Secundum defendunt aliqui: nos verò cum communi ſenſu Logicorum, tam domeſticorum, quàm exterorum, oppoſitum defenſamus: Ideòque hęc erit.

§. II.

Noſtra concluſio.

Differentia ſolũ conſtituitur in ratione univerſalis per ordinem ad individua, non tamen per ordinem ad ſpeciem.

PRobatur concluſio noſtra ratione: differentia cõſtituitur in ratione univerſalis per ordinem ad terminum, quem reſpicit ut inferiorem; nam relatio univerſalis eſt relatio ſuperioris; ſed differentia non reſpicit ſpeciẽ tanquam quid inferiùs, ſed ſolùm ut inferiora reſpicit individua: ergò ſolùm per ordinem ad hęc conſtituitur in ratione univerſalis. Prob. min. Superiùs ſe extendit ad plura, quam inferiùs; ſed differentia non ſe extendit ad plura, quàm ſpecies, ſiquidem rationale ſolùm extenditur ad ea, ad quæ extenditur homo: ergò differentia non reſpicit ſpeciem tanquam quid inferiùs, ſed ſolùm ut inferiora reſpicit individua.

Secundo probatur concluſio; univerſale conſtituitur per relationem ad plura; ſed ſpecies non eſt plura, ſed unum formaliter: ergò differentia non conſtituitur in ratione univerſalis per ordinem ad ſpeciem, ſed ſolùm per ordinem ad ìndividua. Prob. min. Species ſecundùm ſe, ut abſtracta ab individuis, non importat diſtinctionem materialem, cum omnis diſtinctio materialis proveniat ab individuis: ergó ſpecies non eſt plura, ſed unum formaliter.

Reſpondent Adverſarii, ſpeciem eſſe plura virtualiter, quatenús virtualiter, & in potentia continet plura individua, quod ſufficit, ut terminet relationem univerſalis.

Sed contra eſt: quia terminus relationis univerſalis debent eſſe plura formaliter, ſi-

ſiquidem univerſale diffinitur *eſſe unum in multis*, quæ multa debent eſſe talia formaliter; eo quod particulæ diffinitionis cum rigore intelligendæ ſunt, quando nullum ſequitur inconveniens; ſed ſpecies metaphiſicè conſiderata ſolum eſt plura virtualitèr, ut Adverſarii fatẽtur: ergò nequit eſſe terminus relationis differentiæ univerſalis.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntra concluſionem noſtram arguitur primò: Ut differentia conſtituatur in ratione univerſalis per ordinem ad ſpeciem, ſufficit ſpeciem eſſe virtualiter plura, ſed ita de facto contingit: ergò per ordinem ad ſpeciem conſtituitur univerſalis. Prob. mai. Ut terminus ſit communis, ſufficit ex modo ſignificandi naturam ſignificare, ac ſi eſſet multiplex virtualiter: ergò etiam ut differentia conſtituatur in ratione univerſalis per ordinem ad ſpeciem, ſatis erit ſpeciem ipſam eſſe virtualiter plura.

Reſp. neg. mai. & ad probationem conceſ. ant. neg. conſeq. Quia communitas termini ſolùm eſt communitas ex modo ſignificandi, & ita ut terminus ſit communis, ſufficit ſignificare naturam ut multiplicem virtualiter, vel communem ex modo ſignificandi: univerſalitas verò Logica requirit plura formaliter, nam univerſale Logicum diffinitur unum reſpiciens multa, aut unum in multis: quæ multa formaliter debent eſſe, ut diximus inter probandam concluſionem. Addi etiam poteſt ſolutio D. Th. in 1. ad Arnib. diſt. 19. q. 4. art. 2. ad 2. ubi ait: *Univerſale non eſt idem, quod commune: differunt enim, quia commune de ſe non determinat, an id, quod communicatur pluribus, ſit idem numero, vel non in illis pluribus, ſed univerſale hoc determinat, quia nunquam idem numero eſt in pluribus.*

Inſtabis: ſicùt univerſale logicum diffinitur eſſe unũ in multis, ità terminus communis diffinitur per ſignificare plura diviſim: ergò ſi terminus communis non petit plura formaliter, nec etiam univerſale Logicum petet formaliter plura.

Reſp. neg. conſeq. Quia univerſalitas logica non ſolùm eſt communitas ex modo ſignificandi, ſed etiam ex par-

te

te rei significatę, & ideò requirit plura inferiora, quæ sint plura ex parte rei significatæ, & non solùm virtualiter, vel ex modo significandi; communitas verò termini solùm est ex modo significandi, & ita sufficit ad illam significare plura virtualiter, vel naturam ex modo significandi communem. Unde plùs requiritur ad universalitatem, quam ad communitatem; & adest exemplum in Deo, qui iuxtà D. Th. 1. p. q. 30. art. 4. ad 3. nullatenùs potest esse universalis: & tamen ab ipso Ang. Præcept. 1. p. q. 13. art. 9. inter terminos communes numeratur.

Secundò arguitur: Quid quid prædicatur de subjecto universali, ut ipsi æquale, debet esse universale; sed differentia prædicatur de specie, quæ est universalis, ut ipsi æqualis; ergò constituitur universalis per ordinem ad speciem, alàs non esset æqualis cum specie, siquidem species universalis est.

Resp. dist. mai. debet esse universale *respectu suorum inferiorum* conc. mai. *respectu subjecti universalis* neg. mai. & concess. min. neg. conseq. Nam ex prædicta ratione solùm convincitur differentiam esse universalem, sicùt species universalis est; non tamen sequitur ex ea differentiam esse universalem per ordinem ad speciem, sed solùm, per ordinem ad alia, quæ respicit ut inferiora, qualiter respicit individua: nam sicùt unus Rex est æqualis alteri, & æquè superior, non tamen respectu Regis, cui est æqualis, sed respectu sibi subditorum vasallorum, ita differentia, quæ est æqualis speciei, habet quidem esse universalis, sed non respectu speciei, quę æqualis est, sed respectu individuorum, quibus æqualis non est, sed superior.

Instabis: Differentia eodem genere prædicationis, quo prędicatur de specie, prædicatur de individuis, sed de individuis prædicatur ut universalis: ergò ut talis etiam de specie prædicatur. Prob. mai. Differentia prædicatur de specie, & species prędicatur de individuis: ergò eodem genere prædicationis, quo differentia prædicatur de specie, prędicatur de individuis. Patet conseq. per regulam antè predicamentalem: *Cum quidpiam de quopiam prędicatur, quidquid prædicatur de quidpiam, prædicatur de quopiam*, & consequenter si differentia prędicatur de specie, & species de individuis, eodem genere prędicationis de

de specie, & individuis prædicabitur.

Resp. dist. mai. eodem genere prædicationis *essentialis*, conc. mai. prædicationis *superioris*, neg. mai. & conc. min. neg. conseq. Illa namque regula anteprædicamentalis, *cum quidpiam de quopiam, ut de subjecto prædicatur, quæ dicuntur de prædicato, dicuntur etiam de subjecto*, intelligenda est de eodem genere prædicationis essentialis, sicut quia animal essentialiter præcatur de homine, & homo de Petro, etiam animal de Petro essentialitèr prædicatur; non tamen de eodem genere prędicationis æqualis, vel superioris, quia esse superius est prędicatum secundę intentiònis, unde licet homo sit animal, & animal sit genus, homo tamen genus non est: & ideò ex quo differentia prædicetur de specie, & species de individuis, solùm infertur, quod differentia constituat naturam in individuis, ac in specie, non tamen quod de illis prędicetur eodem genere prædicationis æqualis, vel superioris, quia de individuis prędicatur ut superior, de specie verò ut æqualis. Et instantia est in diffinitione hominis, quæ de individuis prædicatur ut superior, de homine verò tantùm ut æqualis prędicatur.

Tertiò arguitur: Dùm dicimus: *homo est rationalis*, prędicamus differentiam de specie; sed prædicatio hęc pertinet ad tertium prędicabile: ergò differentia in propositione prædicta prędicatur ut universalis de specie, quia tertium prædicabile essentialitér sub universali continetur. Prob. min. Talis prędicatio pertinere debet ad aliquod ex quinque prædicabilibus; sed non ad aliud, quàm ad tertium, ut patebit per singula discurrenti: ergò talis prædicatio ad tertium prędicabile pertinet.

Resp. dist. min. ad tertium prædicabile *specificè*, & *materialiter*, conc. min. *Logice*, & *formaliter*, neg. min. & conseq. Illa namque prędicatio *homo est rationalis* solùm est tertij prędicabilis specificè, & materialitér, quatenùs res, quę prædicatur de homine denominabilis est â secunda intentione tertij prædicabilis; non tamen formaliter, & logicè, eo quod non est superioris de inferiori, nec prędicatur sub, formalitate, & relatione tertij prædicabilis, & ita magis est tertium prædicatum, quàm aliquid ex quinque prædicabilibus. Nec obstat talem prędicationem

es-

esse univocam, & formalem, quia etiam diffinitio formaliter, & univocè prędicatur de diffinito: & tamen propter eandem rationem non pertinet ad aliquid ex quinque prędicabilibus.

Instabis: Differentia excedit, & superat speciem in extensione prædicabilis: ergò respicit speciem ut sibi inferiorem, & consequenter ut universalis formaliter. Prob. ant. Differentia in ratione prędicabilis se extendit ad plura, quam species siquidem prædicatur de individuis, & etiam de ipsa specie: ergò in extensione prędicabilis excedit speciem, quæ unicè prædicatur de individuis.

Resp. neg. utrumque ant. Quia licet differentia prędicetur de specie, & individuis, de specie tamen solùm prædicatur ut æqualis, & ideò in ratione prædicabilis non se extendit ad plura: nàm proùt sic solùm respicit individua, de quibus etiam ut universalis prædicatur ipsa species.

Dices: Differentia respicit speciem relatione prædicabilis: ergò ut prędicabilis etiam ad speciem extenditur, & consequenter extenditur ad plura, quā species. Prob. ant. Differentia eadē relatione respicit speciem, & indivua; sed individua respicit relatione prædicabilis: ergò etiam respicit speciem relatione prædicabilis.

Resp. neg. ant. & ad probationem dist. ant. eadem relatione *constitutivi*, transeat ant. eadem relatione *prædicabilis formaliter, & logicè*, neg. ant. & conseq. Licet namque sumpta relatione differentiæ pro relatione constitutivi ad speciem ut constitutam, differentia eadem relatione respiciat speciem, & individua, cum nihil aliud constituat naturam in individuis, quam in specie: secús tamen si relatio differentiæ sumatur pro relatione prędicabilis formaliter, & logicè, proùt sic enim distincta relatione respicit speciem, ac individua, quarum una terminatur ad individua, ut inferioria, altera verò ad speciem ut æqualem.

Replicabis: quod refertur ad unum terminum immediatè, & ad alterum mediatè eadem relatione prædicabilis formalitèr respicit utrumque, ut constat in genere, quod eadem relatione prædicabilis formalitèr respicit immediatè species & mediatè individua; sed differentia immediatè respicit speciem, & mediante specie respi-

picit individua : ergò eadem relatione prędicabilis formaliter, & logicè respicit utrumque.

Resp. dist. mai. eadem relatione prædicabilis formaliter respicit utrumqùe, *si utrumque inspiciatur sub eadem ratione*, conc. mai. *si sub diversa ratione inspiciatur*, neg. mai. & concess. min. neg. conseq. Quia licet universale eadem relatione prædicabilis formaliter respiciat terminum immediatum, & mediatum, quando uterque inspicitur sub eadem ratione inferioris, ut contingit in specie, & individuis respectu generis ; non tamen quando uterque inspicitur sub diversa ratione, unus videlicèt ut æqualis, & alter ut inferior, qualitèr differentia respicit individua ut inferiora, & speciem ut æqualem : Habes exemplum in diffinitione, quæ respicit diffinitum, & illius individua, & tamen non eadem relatione respicit utrumque, sed diffinitum relatione æqualis individua verò relatione superioris.

QUÆSTIO VI.

De duobus ultimis prædicabilibus.

ARTICULUS I.

§. I.

Explicatur natura proprii, eiusque divisiones expenduntur.

POst prædicabile differentiæ consentàneum est de proprio determinare, quod inter prędicabilia quartum locum iure retinet, eo quod ex principiis speciei genere videlicet, & differentia, post constitutam speciem immediatè dimanat. Proprium autem contrà communem dividitur, ut ipsum indicat nomen, & in communi sumptum, quadrifariam accipitur a Porphyrio : nam aliud est proprium, *quod convenit soli, non tamèn omni*, id est, quod convenit omni speciei, non tamen omnibus individuis speciei : sicut esse Medicum vel Logicum respectu hominis, quod quidem proprium primo modo appellatur. Aliud est proprium secundo modo, *quod convenit omni, non tamen soli*, sicut esse bipedem convenit omni homini, non tamen soli, nam etiam pluribus animalibus competit. Aliud est proprium tertio modo, *quod convenit omni, & soli*, non tamen semper, sicùt

cùt canescere convenit omni homini & soli illi, non tamen semper, sed in tempore senectutis: & dormire, & vigilare convenit omni, & soli animanti non tamen semper, sed in temporibus determinatis. Aliud est proprium quarto modo, quod *convenit omni, soli, & semper*, sicut risibilitas convenit omni homini, illi soli, & semper, nam tàm risibilis fuit Cato, qui fertur nunquàm risisse, quàm Philomenes, cui (texte Valerio) vis risus immoderati vitam hausit.

Proprium quarto modo duas sibi vendicat conditiones: prima est quod dimanat ab essentia rei, eo quod convenit rei necessariò, ita ut sub carentia exigentię illius res intelligi non possit. Secunda est, quod cum essentia rei dicatur ad convertentiam, eo quod non extenditur ad plura, vel pauciora, quàm subiectum, ac subindè de illo dicitur ad convertentiam: undè valet benè: *est risibilis*: ergò *homo. Est homo*: *ergò risibilis.* Et hinc collegimus solùm proprium quarto modo esse proprium simpliciter: cętera verò solùm esse talia secundum quid.

Præfata autem divisio in quatuor propria relata bona est; quia non est assignabilis alius modus, quo accidens possit esse proprium respectu sui subjecti: est tamen analoga prædicta divisio, eo quod omnia illa, præter quartum sunt talia secundum quid; undè participant inæqualiter rationem communem proprii. Et ratio huius est: quia proprium non debet esse commune, nec contingens; sed quod non convenit omni, & semper contingens est: ergò solum illud proprium, quod convenit omni soli, & semper, quale est proprium quarto modo, est proprium simpliciter, cætera vero solùm sunt secundum quid talia.

Proprium tandem tale simpliciter, quod est proprium quarto modo, Arist. 1. Topic. cap. 4. diffinivit esse illud, *quod non indicat quid est esse rei, soli autem inest, & conversim prædicatur*: quatenùs hoc proprium convertitur cum specie, & adæquatur cum illa; undè constitui non potest in ratione universalis per ordinem ad speciem, ut de differentia diximus. Porphyrius verò tale proprium diffinivit esse illud, *quod convenit omni, soli, & semper.*

Rursùs proprium quarto modo divitur in genericum, & specificum. *Genericum* est, quod dimanat à gradu-

do generico, & cum illo convertitur, ſicùt ſenſitivum reſpectu animalis; benè namque valet: *eſt ſenſitivum: ergò animal. Eſt anima: ergò ſenſitivum. Specificum* illud eſt, quod à gradu ſpecifico dimanat, & cum illo convertitur, ſicùt riſibile reſpectu hominis. Et ulteriùs dividitur proprium quarto modo in phyſicum, & metaphyſicum. *Phyſicum* eſt, quod phyſicè dimanat ab eſſentia rei, & cum illa convertitur, ſicùt riſibilitas reſpectu hominis, & calor reſpectu ignis. Metaphyſicum autem eſt, quod noſtro modo concipiendi ab eſſentia rei dimanat, & cum illa dicitur ad convertentiam, ſicùt verùm, & bonum reſpectu entis, benè namquè valet: eſt verùm: ergò ens. Eſt ens: ergò verùm, &c.

Tandèm proprium quarto modo poteſt accipi primò intentionaliter, & ſecundò intentionaliter: primò intentionaliter acceptum eſt accidens conveniens omni, ſoli, & ſemper: ſecundò verò intentionaliter, & Logicè ſumptum eſt, quod *prædicatur de pluribus accidentaliter inſeparabiliter*. Quæ diffinitio optima eſt, nam in *prædicari de pluribus* convenit proprium cum alijs prædicabilibus; & per ly *accidentaliter* diſtinguitur à genere, differentia & ſpecie, quæ eſſentialiter prædicantur: per aliam verò *inſeparabiliter* diſtinguitur ab accidenti quinto prędicabili, quod ſeparabiliter prędicatur.

§. II.

Argumentis contrà doctrinam datam occurritur.

ARguitur primò: ſi aliquid diceretur proprium primo modo, maximè eſſe Medicum, vel Logicum reſpectu hominis; ſed id non eſt proprium primo modo: ergò exemplum adductum pro proprio primo modo non eſt aptum. Prob. min. Proprium primo modo dicitur illud, quod convenit ſoli, non tamen omnis ſed eſſe Medicū, vel Logicum non ſic ſe habet reſpectu hominis: ergò non eſt proprium primo modo reſpectu hominis. Prob. min. Eſſe Medicum, aut Logicum, vel accipitur pro capacitate hominis ad Medicinam, & Logicam, vel pro habitibus talium facultatum; ſi primum, eſt proprium quarto modo capacitas enim ad omnes ſcientias eſt propria paſsio hominis, ut inſinuavimus lib. 1. art. 1. §. 1. ſi ſecundum, tales habitus ſunt accidentia omninò communia hominis: ergò nullate-

nùs eſt proprium primo modo reſpectu hominis.

Reſp. neg. utramque min. & ad probationem diſt. min. quoad 1. partem. capacitas *conſequta ad naturam ſpeciei*, conc. min. *ad determinatam corporis complexionem*, neg. min. Quamvis enim capacitas conſecuta ad naturam ſpeciei, provenientis à forma, quæ quidem in homine eſt anima rationalis, ſit propria paſſio hominis, conveniens omnibus habentibus naturam humanam, & ſubinde proprium quarto modo, utpotè competens omni homini, illi ſoli, & ſemper: tamen capacitas conſecuta ad determinatam corporis complexionem, ſeù ad naturam individui, proprium quarto modo non eſt; licet enim capacitas hæc, & inclinatio ad Medicinam, vel Logicam conveniat ſoli homini, non tamen omni, quin potiùs in diverſis hominibus ſunt diverſę capacitates, & inclinationes ad ſpeciales ſcientias, & artes, ſecundùm quod naſcuntur in tali ſydere, vel habent diſtinctam corporis diſpoſitionem, & diverſa temperamenta in complexione cogitativę: ſunt enim homines aptiſsimi ad aliquas artes, qui ad alias ſunt inepti; ſicùt aliq i proni ſunt ad temperãtiam, & ſcientiam, & inepti ad fortitudinem, ut docet D. Th. 1.2. q.63. art.1. Nec etiã tales habitus ſunt accidentia omninó communia, competunt enim per ſe hominibus ut terminus ſpecialis eorum inclinationis.

Secundò arguitur: eſſe bipedem nullo modo eſt proprium: ergò non rectè adducitur à Porphyrio pro exemplo proprij ſecundo modo. Prob. ant. Eſſe bipedem non eſt proprium reſpectu alicuius ſpeciei: ergò nullo modo eſt proprium. Prob. ant. Si eſſet proprium reſpectu alicuius ſpeciei, maxime vel athomę, vel ſubalternę, non athomæ, *hominis* v. g. cum non conveniat ſoli, nec ſubalternę, v. g. *animalis* cum non conveniat omni: ergò non eſt proprium reſpectu alicuius ſpeciei, conſequentèrque nullo modo eſt proprium, nàm omne proprium ex principijs alicuius ſpeciei procedit.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. ant. non eſt proprium *ſimpliciter*, conc. ant. *ſecundum quid*, neg. ant. & conſeq. Licet namque verum ſit, quod proprium ſimpliciter tale, quale eſt proprium quarto modo, debeat eſſe proprium reſpectu alicuius ſpeciei athomæ, vel ſubalternæ, propter rationem, quam inſinuat argumentum, quia

quia, ſcilicet, ex quacumque differentia, quam exprimit diffinitio ſpeciei, procedit proprium talis ſpeciei; non tamen hoc eſt verum de proprio in alijs acceptionibus, & in ſecunda præcipuè, hoc enim eſt accidens commune multis, ideòque nec convenit ſoli homini, nec toti generi animalis: conſequenterque licet eſſe bipedem non ſit ſimplicitèr proprium, quia non convenit alicui determinatæ ſpeciei, eſt tamèn proprium ſecundum quid, & in ſecunda acceptione â Porphyrio traddita.

Tertiò arguitur: caneſcere nullatenùs eſt propriũ tertio modo: ergò perperam id aſsignavit Porphyrius ut exẽplum proprij tertiò modo. Prob. ant. Caneſcere vel dicit aptitudinem, vel actum, ſi primum, eſt proprium quarto modo, ſi ſecundum, eſt merum accidens ex defectu caloris cerebri proveniens: ergò nullatenùs eſt proprium tertio modo.

Confirmatur: caneſcere licet conveniat omni homini, non tamen ſoli: ergò non eſt proprium tertio modo. Prob. ant. Etiam mulis in ſenectute caneſcunt, habent enim pilos albos: ergò caneſcere non convenit ſoli homini.

Reſp. ad argumentum neg. ant. & ad probationem dicimus, quod caneſcere non accipitur pro ſolo actu, nec pro ſola aptitudine, ſed pro aptitudine ſimul cum qualitate cerebri, unde pendet actus caneſcendi, cauſa namquè caniciei eſt corruptio humidi naturalis, quod calor cerebri in ſenectute digerere non poteſt, ut dicitur in lib. de Juventúte, & ſenectute. Et proptèr hoc, qui capillos habent groſsiores, facilius caneſcunt, quàm qui ſubtiliores habent, proptèr majorem abundantiam humidi. Quare non ſolùm actu caneſcere, verùm nec tota cauſa caneſcendi ſemper ineſt: ac proinde caneſcere non eſt propriũ quarto modo, ſed convenit omni homini, & ſoli, non tamen ſempèr, ſed cum ad ſenectutem pervenerit.

Ad confirmationem neg. ant. & ad prob. dicitur, quod pili albi mulorum non ſunt canicies, ſed eſt aliqua alia paſsio, quæ nullo modo eſt illis propria; nec convenit omnibus, & ſolis, cum etiam conveniat equis: cæterum canicies omnibus hominibus ſeneſcentibus, (niſi fortè cauſa calviciei, l. aliquid huiuſmodi obſtiterit) cõvenit ſicut etiãnigrities convenit omnibus gruibus in ſenectute, ut refert Plinius lib. 10. hiſtoriæ naturalis.

Quartò arguitur: diffinitio ultimo loc. à Porphyrio traddita non convenit omni proprio quarto modo: ergò bona nō eſt. Prob. ant. Potentia viſiva, & auditiva ſunt proprium quarto modo reſpectu animalis, & tamen non ſemper animali conveniunt: ergó diffinitio ultimo loc. à Porphyrio traddita non convenit omni propriò quarto modo. Prob. min. Homo cęcus non habet potentiam viſivam, nec ſurdus habet auditum: ergó potentia viſiva, & auditiva non ſemper animali conveniunt.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. min. non ſemper quantum ad exiſtentiam, conc. min. quantum ad exigentiam, neg. min. & conſ. Quia potentia viſiva, & auditiva nunquam ſeparantur ab animalibus quantum ad exigentiam, quia animal ſemper exigit eas, & ideò diffinitio proprij convenit omni proprio, eo modo quo debet intelligi illa particula *ſemper*, de proprij videlicet exigentia & per hunc modum poteſt ſalvari potentiam viſivam eſſe proprium reſpectu Talpę, quia ex conceptu animalis natus eſt habere viſum, licet impediatur ratione differentiæ, ut ait D. Th. 5. Metaph. lect. 20. & ſimiliter potentiam auditivam eſſe proprium reſpectu apum, quæ quamvis auditum non habeant, ut inquit D. Th. 1. Metaph. lect. 1. ex eo quod animalia ſunt, auditum habere exigunt. Cæterum veroſimilius eſt huiuſmodi potentias ſolùm eſſe propria animalium perfectorum, ut indicat Præcept. Ang. lib. de ſenſu, & ſenſato, lect. 2. §. *proſequitur de ſenſibus*.

Inſtabis: proprium quarto modo ſemper debet convenire quantum ad exiſtentiam ergò particula *ſemper* de convenientia quantum ad exiſtentiam intelligenda eſt. Prob. ant. Propria paſsio ſemper debet convenire ſubjecto quantum ad exiſtentiam, ut patet in riſibilitate, quę ſemper exiſtit in homine; ſed propriū quarto modo eſt propria paſſio: ergò ſemper debet convenire quantùm ad exiſtentiam.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. maj. propria paſsio *non dependens ab extrinſeco*, conc. mai. *ab extrinſeco dependens*, neg. mai. Licet namquè propria paſsio ad extrinſecò non dependens, qualitèr ſe habet riſibilitas reſpectu hominis, ſemper conveniat ſubjecto quantum ad exiſtentiam, non tamen quando ab extrinſeco dependet, ſicut potentia viſiva, & auditiva pendent

ab

ab organo corporali, quod potest lædi ab extrinseco agẽte, vel corrumpi ab excellentia proprij obiecti, ut inquit D. Th. in 3. de Anim. lect. 7. & propterea motus lapidis non semper convenit lapidi extra centrum, quamvis sit propria passio, quia potest ab extrinseco egente impediri. Unde, ut diffinitio conveniat proprio ab extrinseco independenti, & dependenti, de convenientia quantùm ad exigentiam intelligenda est.

Quintò arguitur: diffinitio proprij quarto modo convenit alijs à diffinito: ergò bona non est. Ant. quamplurib⁹ exemplis prob. Nàm color convenit omni corpori mixto, soli, & sempèr; quantitas convenit omni corpori, soli, & sempèr, & demùm existentia convenit omni enti, soli, & semper, & tamen hęc omnia non habent rationem proprij: ergò diffinitio proprij quarto modo convenit alijs à diffinito.

Resp. neg. ant. & ad probat. dicimus, quod licet color conveniat omni corpori mixto, soli, & sempèr, non tamèn ex essentia, vel ut dimanans ab essentia, sed ex conceptu individuali, & ideò proprium quarto modo non est: hoc enim debet ex essentia convenire, vel ab essentia dimanare, non quidem secundùm materiam, sed secundùm formam. Nàm ut inquit D. Th. cap. 7. de ent. & essent. lit. d. *accidentia, quæ consequuntur materiam, sunt accidentia individui, quæ verò consequuntur formam, sunt propriæ passiones generis, vel speciei, sicut risibile.* Et propter eandem rationem quantitas proprium non est, quia non dimanat ab essentia secundùm principia formalia, sed consequitur materiam, (ut docet D. Th. 5. Metaph. lect. 9. & 3. Phis. lect. 3.) quæ quidem est principium individuale. Et similiter existentia non dimanat ab essentia secundùm proprium conceptum, quia potest intelligi essentia etiam sinè exigentia existentię, quod de proprijs quarto modo negat D. Th. quæst. unic. de Anim. art. 12. ad 7. & insupèr solùm conveniat enti, quando ponitur extrà causas, non tamèn semper exigitur. In diffinitione autem proprij debet intelligi, quod proprium dimanat ab essentia illius, cuius est proprium, ità ut sub carentia exigentię illius res intelligi non possit.

Tandèm arguitur: solùm dantur tria propria: ergò divisio in quatuor propria relata bona non est. Prob. ant. Arist. 1. Topic. cap. 4. solùm

assignavit proprium per se, proprium aliquando, & proprium semper : ergo solùm dantur tria propria.

Resp. neg. ant. & ad probat. dicimus, Aristotelem in proprio *aliquãdo* inclusisse duplex proprium; illud videlicèt quod convenit in aliquo tempore, sicùt canescere, & illud, quod convenit aliquibus tantùm, sicùt esse Logicum: & ita in proprio *aliquando*, comprehendit duas acceptiones proprii ex assignatis à Porphyrio, nempè quod convenit soli, non tamen omni, & quod convenit omni, & soli, non tamen semper: & cũ aliunde alias duas enumeret, totidem propria, ac Porphyrius, assignavit.

§. III.

Corolaria ex dictis.

EX dictis in articuli discursu colligitur, calorem esse propriam ignis passionem, & lucem passionem Solis, quia calor igni, & lux Soli semper, & necessariò conveniunt per quandam naturalem resultantiam; ita ut unum ex alio naturaliter resultet : aliis verò speciebus solùm conveniunt per quandam participationem, in quantum participant calorem ab igne, & lucem à Sole, ut docet D. Th. opusc. 48. cap. de proprio in fine.

Secundò ex dictis infertur solùm proprium quarto modo esse proprium quartùm prędicabile, quia hoc solùm habet modum prædicandi distinctum ab accidenti quinto prędicabili, scilicet prædicari de pluribus accidentaliter inseparabiliter cætera verò cùm accidenti quinto prædicabili coincidunt. Ex quo similitèr habetur prædictam diffinitionem esse descriptivam, cum detur per prędicabilitatem, quæ passio est universalis; diffinitio autem essentialis hęc erit : proprium est *unum aptum esse in multis, ac de illis prædicari in quale necessario*: id est per modum accidentis necessariò consequentis essentiam.

ARTICULUS II.

Utrum diffinitio accidentis, eiusque divisiones sint rectè tradita a Porphyrio?

§. I.

Difficultas aperitur, & statuitur affirmativa conclusio.

POstremùm intèr prædicabilia est accidens, quod rei

rei ab extrinſeco contingit, eo quod non ſolùm ſupponit eſſentiam conſtitutam ex genere, & differentia, verùm etiam proprium, quod ab eſſentia dimanat. Sed cum accidens (ut docet D. Th. 1. p. q. 77. art. 1. ad 5.) poſsit accipi duplicitèr, prædicamentalitèr videlicèt, & prædicabilitèr, notandum eſt non eſſe nobis ſermonem de accidenti prædicamentali, quod ſcilicet inhæret ſubſtantiæ, & comprehendit tam accidentia propria, quàm accidentia communia, ſed ſolùm de accidenti prædicabili, quod eſt extra eſſentiam rei, de qua prædicatur, ſivè tale accidens ſit entitative accidens, ſivè ſit entitativè ſubſtantia, nam exiſtentia, & ſubſiſtentia ſunt modi entitativè ſubſtantiales, & tamen ſub accidenti, de quo loquimur, comprehenduntur, quia non dimanant ab eſſentia, nec ex ex propriis exiguntur ab illa Metaphſicè loquendo, ſed poteſt intelligi eſſentia adæquatè ſine exigentia ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ.

Hoc ergò accidens in communi diffinivit Porphyrius eſſe illud, *quod adeſt, & abeſt ſine ſubjecti corruptione*, ſicùt albedo poteſt homini convenire, & ab illo ſeparari abſque hominis corruptione. Et per iſtam diffinitionem ſolùm diffinitur accidens pro materiali, vel ſubſtracto, aut primò intentionalitèr, illud videlicet ſubjectum, quod poteſt à ſecunda intentione quinti prædicabilis denominari.

Huiuſmodi autem accidens dividitur à Porphyrio in id, quod eſt *ſeparabile*, ſicùt album, nigrum, dormire, ſedere, & ambulare reſpectu hominis: & id, quod eſt *inſeparabile*, ut nigrum reſpectu corvi, & Æthiopis, quamvis enim nigredo per intellectum poſsit ſeparari à corvo, vel æthiope, cum illorum eſſentiæ non repugnet eſſe album, realitèr tamen non poteſt ab illis ſeparari, vel quia omninò inſeparabilis eſt, vel quia valde difficile eſt ſeparabilis. Utroque enim modo aliquid inſèparabile dicitur: ſicùt & inviſibile dicitur, vel quod omninò non poteſt videri, vel quod difficile videri poteſt,

Utrùm (ne fortè dicatur, Porphyrium eſſe ſibi ipſi contrarium in diffinitione accidentis, ac in illius diviſione) animadvertere oportet, quod dùm dicitur in diffinitione accidentis adeſſe, vel abeſſe ſine ſubjecti corruptione, illa particula *adeſt*, & *abeſt* intelligenda eſt, vel de abſen-

tia reali, ut pulchritudo, pallor, & rubor poſſunt abeſſe realiter à vultu: vel de abſentia ſecundùm intellectum, ſicùt albedo, & nigredo poſſunt abeſſe á cygno, & æthiope abſque eſſentię præiudicio, & ſine diſſolutione quidditatis, & naturæ eorum in prædicatis eſſentialibus. Quod verò accidens ſit ſeparabile, vel inſeparabile ſumitur non reſpectu ſpeciei, & naturę ſubjecti, ſed reſpectu individuorum, in quibus aliquando habet cauſam permanentem, ut nigredo in corvo, vel æthiope; aliquando tranſeuntem, ut pallor, & rubor in vultu. Undè accidens poteſt adeſſe, vel abeſſe à ſubjecto cum corruptione individui; non tamen cum præiudicio ſpeciei, ſed cum indemnitate illius: in quo diſtinguitur à proprio, quod ſi non adeſt, nec connectitur cum ſpecie, diſſolvitur ſpecies.

Ulteriùs ſcias neceſſe eſt, quod particula *adeſt*, & *abeſt* non accipitur in præſenti pro eo, quod eſt inhærere, vel non inhærere, hoc enim ſolùm convenit accidenti prędicamentali, de quo, ut ſuprà diximus, non eſt nobis ſermo; ſed accipitur pro eo, quod eſt convenire, vel diſconvenire accidentaliter. Et præterea ly *adeſſe*, & *abeſſe* non ſolùm ſignificat affirmari, vel negari, ſed etiam fundamentum illius, quod eſt convenire, vel non convenire naturæ ſpecificè abſque eo, quod diſſolvatur eſſentialis connexio prædicatorum eius, ut inquit Mag. à Sto. Thoma. Et ita poteſt affirmari, vel negari ſine præiudicio quidditatis in ſubjecto, & in hoc conſiſtit contingentia accidentis, in conveniendo, vel non conveniendo ſubjecto. Per quod etiam accidens à proprio diſtinguitur, nam licèt proprium per primam operationem intellectus poſsit intelligi ſine eſſentia, & è contrà, non tamen poteſt de eſſentia negari, & ab illa ſeparari, ſaltim quantum ad exigentiam, ſinè eſſentiæ corruptione.

Hoc totum docet Ang. Præcept. quæſt. unica de ſpiritualibus creaturis art. ult. ad 7. ubi ſic ait: *Duplex eſt operatio intellectus, ſicut dicitur in 3. de Anim. una, qua intelligit quod quid eſt: & ta, li operatione intellectus poteſt intelligi eſſentia rei, etiam ſine proprio, & ſine accidenti, cum neutrum eorum ingrediatur rei eſſentiam ::: Alia eſt operatio intellectus componentis, & dividentis. & ſic poteſt ſubſtantia intelligi ſine accidentali prędicato, etiam*

ſi

si secundum rem sit inseparabile, sicut potest intelligi corvus esse albus. Non enim est ibi repugnantia intellectuum, cùi oppositum prædicari non dependeat ex principiis speciei, quæ significatur nomine in subjecto posito. Hac verò operatione intellectus non potest intelligi substantia sine proprio: non enim potest intelligi, quod homo non risibilis:: Hic enim est repugnantia intellectuum, quia oppositum prædicari dependet ex natura subjecti.

Denique accidens quintum prędicabile formaliter, aut secundò intentionaliter sumptum, rectè diffinitur esse illud, *quod prædicatur de pluribus accidentaliter seperubiitèr*; nam in *prædicari de pluribus* convenit cum omnibus prędicabilibus, & per ly *accidentaliter separabiliter* distinguitur ab omni alio prædicabili, etiam à proprio, quod quidem licet prædicetur accidentaliter, non tamen separabiliter, sed inseparabiliter prędicatur. Quę omnia ampliùs elucescent, & patefient ex solutionibus argumentorum, quæ adversus doctrinam datam militare solent.

§. II.

Solvuntur argumenta.

ARguitur primò contrà doctrinam datam: Diffinitio accidentis quinti prædicabilis datur per oppositа copulativè videlicèt per *adesse*, & *abesse*: ergò bona non est. Patet conseq. Quia bona diffinitio non potest dari per prædicata incompatibilia in re diffinita, sed oppositа copulativè sunt incompatibilia: ergò.

Resp. neg. ant. Quia illa particula *Et* in diffinitione posita accipitur pro eodem, quod *vel*, & ita diffinitio solùm datur per oppositа divisivè.

Instabis: Diffinitio accidentis nequit dari etiam per oppositа divisivè: ergò bona non est. Prob. ant. Diffinitio explicat essentiam, quę in unaquaque re est certa, & dererminata: ergò nulla diffinitio, potest dari etiam per oppositа divisivè.

Resp. dist. ant. Diffinitio *quidditativa*, conc. ant. *descriptiva*, neg. ant. & conseq. Nam quamvis diffinitio quidditativa non debeat dari per oppositа divisive, eo quod tantum est ei una quidditas certa, & determinata; nihil tamen prohibet diffinitionem descriptivam (qualis est hæc) da-

dari per oppoſita : diviſivè ſicùt propoſitionem deſcribit Ariſt. 1. Periherm. lect. 7. apud D. Th. quod eſt *oratio, in qua verum, vel falſum eſt.* Undè diffinitio quiditativa accidentis quinti prædicabilis eſt hæc: *Unum aptum inesſe multis, ac prædicari de illis in quale contingenter*, id eſt, per modum accidentis non neceſſariò eſſentiam conſequentis; quæ quidem explicat certam, & determinatam eſſentiam quinti prædicabilis.

Secùndó arguitur : Diffinitio acccidentis a Porphyrio traddita convenit alijs á diffinito : ergó non eſt bona. Prob. ant. Convenit formæ ſubſtantiali; ſed forma ſubſtantialis non eſt accidens: ergò convenit aliis à diffinito. Prob. mai. Forma ſubſtantialis adeſt, & abeſt materiæ ſine illius corruptione, nam quando forma ſeparatur, non deſtruitur materia, ſed manet ſub alia forma: ergó diffinitio accidentis convenit formæ ſubſtantiali.

Reſp. neg. ant. & ad prob. neg. mai ad cujus probationem conceſ. ant. neg. conſeq. Nam accidens diffinitur eſſe illud, quod poteſt adeſſe, & abeſſe, non cuiuſcumque ſubjecto; ſed ſubjecto completo ex materia, & forma compoſito, & hoc modo diffinitio intelligenda eſt, ſecundum quam rationem non convenit formæ, quæ poteſt adeſſe, & abeſſe materiæ, quę eſt incompletum ſubjectum. Nec hoc eſt pro libito diffinitionem explicare, nam accidens ſolùm dat eſſe ſecundùm quid, & ſupponit eſſe ſimplicitèr, & conſequenter ſupponit formam ſubſtantialem in ſubjecto, vel ipſum compoſitum ex materia, & forma ſubſtantiali : undè in diffinitione accidentis neceſſarió ſubintelligi debet prædictum ſubjectum. Quam ſolutionem deducimus ex D. T. 2. contra Gent. cap. 81. ubi ad idem argumentum reſpondens §. *Ultima tamen*, ſic ait : *Accidens deſcribitur, quod poteſt adeſſe, vel abeſſe præter corruptionem ſubjecti compoſiti ex materia, & forma.*

Tertiò arguitur : Eſſe mortuum eſt accidens prędicabile reſpectu hominis; & tamen non poteſt adeſſe abſque ſubjecti corruptione : ergó diffinitio accidentis prędicabilis non convenit omni diffinito. Prob. min. Dum adeſt mors, corrumpitur homo, ergò non poteſt adeſſe abſque ſubjecti corruptione.

Reſp. diſt. mai. eſſe mortuum

tuum *in fieri*, conc. mai. *in facto eſſe*, neg. mai. & diſt. min. abſque ſubjecti corruptione *phyſica*, tranſeat min. *metaphyſica*, neg. min. & conſeq. Nam eſſe mortuum poteſt accipi dupliciter, vel in facto eſſe, vel in fieri, ſicùt quando homo agit animam, dicitur mori, ut cum de filio reguli dicitur Joan. 4. v. 47. *Incipiebat enim mori*. Et ſi hoc modo ſumatur, adeſt ſine ſubjecti corruptione, tùm phyſica, tum metaphyſica, quia quando mors eſt infieri, adhùc non eſt corruptus homo, ſed tùnc incipit corrumpi. Si verò eſſe mortuum primo modo ſumatur, non eſt prædicatum accidentale, ſed repugnans homini, quia hæc propoſitio *homo eſt mortuus* eſt in materia diſparata, repugnat enim hominem eſſe mortuum. Reſpectu tamen cadaveris eſt prædicatum eſſentiale, ſed proùt ſic ly *homo* alienatur: reſpectu verò corporis ly *mortuum* eſt accidens, & poteſt abeſſe prius & poſtea adeſſe præter ſubjecti corruptionem; nàm corpus meum modo vivit, & me defuncto, corpus idem (ut communiter loquimur) erit mortuum.

Secundò reſp. quod corruptio in præſenti non intelligitur de phyſica corruptione, ſed de corruptione metaphiſica accepta pro deſtructione eſſentiæ, ſine qua omne accidens poteſt adeſſe, & abeſſe, quatenus licet eſſentia phyſicè deſtruatur, & amittat exiſtentiam; eſſentia tamèn metaphiſicè perſeverat: nàm ſivè affirmes, ſivè neges mortem de homine, nihil affirmas, vel negas, quod eſſentiam metaphiſicam deſtruat. Et hæc ſolutio eſt valde conſona doctrinę ſuprà relatę ex D. Th. quæſt. cit. de ſpiritualibus creaturis. Adde etiam (ſi libet) quod ad rationem accidentis ſufficit, quod àbſit abſque ſubjecti corruptione, non enim requiritur quod adſit, & abſit, ſed unum, vel alterum diviſivè: ſicut ſufficit ad propoſitionem, quod verum ſignificet, aut falſum.

Quartò arguitur: diffinitio accidentis non convenit accidenti inſeparabili: ergò male dividitur accidens in ſeparabile, & inſeparabile, nam diffinitio debet convenire omni contento ſub diviſo. Prob. ant. Nigredo eſt accidens inſeparabile reſpectu corvi, vel Æthiopis, ut ſuprà diximus ex Porphyrio; & tamen illi non convenit diffinitio: ergò verùm eſt ant. prob min. Nigredo non poteſt ſeparari à corvo, vel Æthiope abſque illius corruptione, ep quod cor-

corvus, vel Æthiops, naturaliter loquendo, non potest non esse niger: ergó.

Resp. neg. ant. & ad probat. neg. min. ad cuius probationem dist. ant. non potest separari *physice*, & *realiter*, transeat ant. *per intellectum*, neg. ant. Dato enim, quod nigredo non possit separari à corvo, vel Æthiope physica, & reali separatione absque corruptione illius, (cuius tamèn oppositum ipsa docet experientia, nàm Æthiopum Familiæ ad regiones translatę temperatiores paulatim nigrum amittunt colorem; & corvi, Falcones nigri, & alia animalia inter Nives Alpinas albescunt, ut refert B. Albertus lib. 23. de Animalibus) potest tamen per intellectum separari: nàm essentia corvi potest adæquatè metaphysicè intelligi non intellecta nigredine, quod sufficit ad rationem accidentis. Et hæc est solutio expressa Porphyrij asserẽtis, quod *mente, cogitatione ve corvus albus, & Æthiops non niger, sine subiecti corruptione concipi potest.*

Instabis: diffinitio prædicta de separatione physica, & reali intelligi debet: ergò nulla est solutio. Prob. ant. separatione intellectus, vel per actum intellectus præscindentis, etiam proprium quarto modo potest à subjecto separari: ergó diffinitio accidentis de separatione physica, & reali intelligenda est, alias accidens inseparabile coincideret cum proprio quarto prædicabili.

Resp. neg. ant. & ad probat. dist. ant. separari *quantum ad existentiam*, conc. ant. *quantum ad exigentiam*, neg. ant. & conseq. Quia proprium quarto modo, licet quantum ad existentiam possit per primam, & secundam operationem intellectus à subiecto separari, non tamen potest quãtum ad exigentiam, nàm quãvis per primã operationẽ possit intelligi homo sine risibilitate, per secundam tamèn intelligi non potest, quin intelligatur cum exigentia risibilis, ut loc. sup. cit. de spiritualibus creaturis docet Ang. Doctor. nigredo verò, & alia accidentia communia tàm per primam, quàm per secundam intellectus operationem possunt utroque modo à subiecto separari, quia corvus secundùm essentialia prædicta non exigit esse nigrum, sed hæc illi ex conceptu individui, vel ex peculiari convenit complexione, nàm quod in hominibus facit clima, ut aliqui sint albi, & alij nigri, in corvo facit caliditsima cõplexio. Ideóque B. Albertus in lib.

Præ-

Prædicab. text. 7. cap. 2. de accidenti, §. *Quod autem subiungitur*, ait: quod si nidus corvorum esset in montibus frigidis, & ovum corvi certum liniretur argento vivo, & humore viscoso anseris, aut cati, qui est frigidissimus, nascerentur corvi albi.

§. III.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in articuli discursu colligitur, *accidens non comparari tanquam quintum prædicabile ad inferiora formæ, sed solum ad inferiora subiecti.* Et ratio est, quia de inferioribus ex parte formę non prędicatur contingentèr, sed solùm de inferioribus ex parte subiecti, sicut album de hoc, & illo albo essentialitèr prædicatur; sed de homine, & equo, vel de Petro, & Paulo prædicatur in quàld cõtingentèr, & ideò per modũ quinti prædicabilis solùm cõparatur ad inferiora subiecti, non verò ad inferiora formę.

Instabis: accidens solùm est quintum prædicabile in ordine ad inferiora formæ: ergò non in ordine ad inferiora subiecti. Prob. ant. Accidens est quintum prędicabile per ordinem ad inferiora, à quibus abstrahitur abstractione totali, sed solùm ab inferioribus formę abstrahitur abstractione totali, non verò ab inferioribus subiecti, à quibus solùm abstrahitur abstractione formali: ergò est quintum prædicabile in ordine ad inferiora formæ. Prob. min. Accidens non est totum, sed ut forma comparatur ad subiectum: ergò ab inferioribus subiecti solùm abstrahitur abstractione formali.

Confirmatur: album est quintum prædicabile per ordinem ad inferiora, à quibus abstrahitur, quatenùs conveniunt in albedine, sed inferiora, quatenùs in albedine conveniunt, non sunt homo, & equus secundum se, sed quatenùs sunt albi: ergò constituitur quintum prædicabile per ordinem ad inferiora formæ, & non per ordinem ab inferiora subiecti.

Resp. neg. ant. & ad probat. neg. min. ad cuius probationem dist. ant. Accidens in *abstracto*, conc. ant. *in concreto*, neg. ant. & conseq. Quia licèt albedo comparetur ad hominem, & equum, ut forma ad subiectum, ideòque solùm abstrahatur ab illis abstractione formali, quia non significatur ut totum, sed ut pars respectu totius, album tamèn comparatur ad hominem, & equum sicut totum

ad partes ſubiectivas, in quas poteſt accidentaliter dividi: & ideò benè poteſt abſtrahi ab illis abſtractione totali, conſequenterque accidens erit quintum prędicabile in ordine ad inferiora ſubiecti, maximè cum omne prędicabile concretum accidentale ſit, ut quæſt. 2. huius lib. art. 2. dictum eſt.

Ad confirmationem reſp. diſt. mai. quatenùs conveniūt *ſpecificativè*, & *exercitè*, cōc. mai. *reduplicativè*, & *ſignatè*, neg. mai. & diſt. min. quatenùs ſunt albi *ſpecificativè*, & *exercitè*, conc. min. *reduplicativè*, & *ſignatè*, neg. min. & conſeq. Album namque abſtrahitur ab homine, & equo, quatenùs in albedine conveniunt, non quidèm ſignatè, & reduplicativè, & quatenùs albedinem in recto, & expreſſè important, ſic enim eſſentialiter prædicatur de illis, dicendo totam eorum eſſentiam, quam inferiora prædicta explicant, quatenùs ſunt hoc, & illud album; ſed potiùs album abſtrahitur ab inferioribus ſuis, quatenùs in albedine conveniunt exercite, aut ſecundùm quod albedo ex parte illorum exèrcetur per modum conditionis, ut album prædicatur accidentaliter de illis, aut quatenùs contingenter in albedine conveniunt, ſecundùm quam rationem nō ſunt inferiora formę, ſed inferiora ſubſtracti, vel ſubiecti. Quapropter in ratione quinti prædicabilis non comparatur accidens ad inferiora formę, quæ ſunt hoc, & illud album, ſed potiùs ad hominem, & equum, in quibus exercetur albedo, & ſunt inferiora ſubiecti.

LIBER QUINTUS.

De Cathegoriis, ſeù Prædicationibus.

CUM prędicatio ſit actus prædicabilis, prędicabilium habita notitia prędicabilium gradum facimus ad prædicationem, vi cuius prædicabilium aptitudo reduci debet ad actum; nàm quamvis in lib. 2. Summularum cap. 2. §. 4. aliquid de materia prędicationum (quantum Dialecticis neceſſarium erat) fuerit diſcuſum, non erit abs re in præſenti huiuſmodi materiam pro provectioribus ampliùs examinari: ideòque ea, quæ neceſſaria notavimus, quamvis paucis explicare conabimur.

§. I.

§. I.

Præmittuntur certa apud omnes.

IN limine huius libri præmittendum eſt cum Cayetano ſup. 3. p. q. 16. art. 5. §. *Advert. hic.* nomen concretũ, & abſtractũ in formali ſignificato convenire ſicùt hæc nomina *homo*, & *humanitas* eandem humanitatem, & album, & albedo albedinem eandem ſignificant; differre tamen ex modo ſignificandi, quatenùs concretum ſignificat formam, ut in ſubjecto vel ſuppoſito ſubſiſtentem, abſtractum verò formam abſolutè ſignificat, & per modum per ſe ſubſiſtentis: ex quo oritur concreta ſupponere pro ſubjecto ſubſtentante formam, abſtractum verò pro ſola forma ſupponere.

Concretum autem eſt duplex: aliud ſubſtantiale, & aliud accidentale. *Subſtantiale* eſt, quod ſignificat formam per modum conſtituentis, ut *homo*. *Accidentale* illud eſt, quod ſignificat formam per modum adjacentis, ut *album*. Inter hęc autem cõcreta hoc intercedit diſcrimen, quod concretum accidentale ſolùm ſupponit in recto pro ſubjecto habente formam, undè ſi tres homines haberent eandem albedinem: dicerentur tres albi, ut dictum eſt in Dialectica in appendice cap. Appellationis. Concretum verò ſubſtantiale ſupponit in recto pro ſubjecto, videlicet ſuppoſito, licet diſtinctè, & principaliter ſignificet formam, & minùs principaliter, & in confuſo ſuppoſitum.

Utrumque autem concretum dividitur in phyſicum, & metaphyſicum. *Phyſicum* eſt, quod conſtat ex partibus realiter diſtinctis, ut *homo* conſtat ex natura, & ſubſiſtentia, & *album* ex corpore, & albedine. *Metaphyſicum* autem eſt illud, quod conſtat ex partibus ſola ratione diſtinctis, ut *ens eſt entitativum*, *Deus eſt Divinum*.

Præmittendum inſuper eſt prędicationem in communi eſſe *enuntiationem unius de alio*. Ut autem prędicatio affirmativa vera ſit, requiritur, quod extrema ſupponant pro eodem; ſcilicet quod illud, pro quo ſupponit in recto prædicatum, identificetur cum eo, pro quo ſubjectum ſupponit in recto. Verùm quia prædicatum diverſimodè ad ſubjectum comparari poteſt, prędicatio dividitur in directam, & indi-

re-

rectam. *Directa* prædicatio ea est, in qua superius prædicatur de inferiori, sicut in hac *homo est animal*, vel forma dicitur de subjecto, sicut in ista: *homo est albus*. *Indirecta* verò prædicatio est illa, in qua inferius prædicatur de superiori, ut in hac: *animal est homo*, vel subjectum de forma ut in ista: *album est corpus*. Quę quidem prędicatio indirecta dicitur, quia in ea invertitur naturalis ordo; illud enim, quod inferius est, & debebat habere locum subjecti, habet locum prędicati: & propter rationem oppositam altera directa est.

Dividitur ulteriùs prædicatio in essentialem, & accidentalem, seù denominativam. *Prima* est, in qua prædicatum est de essentia subjecti, ut in hac: *homo est animal*. *Secunda* verò est illa, in qua prædicatum est accidens subjecti, vel extrà essentiam illius, ut in ista: *homo est albus*. Rursùs prædicatio dividitur in identicam, formalem, & disparatam, *Identica* est, in qua idem de se ipso prędicatur, vel per idem nomen, ut cum dicitur: *homo est homo*, vel per nomen diversum, ut cum dicitur: *gladius est ensis*, *aut Marcus est Cicero*. *Formalis* ergo est, in qua prædicatum aliquo modo distinguitur à subjecto. Citrà quam oportet animadvertere, eam aliquando precisè verificari ratione identitatis realis prædicati cum subjecto, & tunc prædicatio dicitur vera in sensu materiali, & identico, ut cum dicitur: *rationale est animal*, aliquando autem in sensu formali, quando scilicet prędicatum, & subjectum identificantur, adhúc prout objiciuntur intellectui, & tunc prędicatio dicitur vera in sensu formali, ut cum dicitur, *homo est rationalis*. Et tandem prędicatio *disparata* illa est, in qua prædicatum subjecto repugnat, ut in hac: *equus est leo*.

Tandem prędmittendum est, quod de prædicationibus possumus loqui, aut per nomina primæ intentionis, aut per nomina secundę intentionis. Per nomina quidem primæ intentionis possumus loqui tripliciter: aut enũtiando concretũ de concreto, aut abstractum de abstracto, vel abstractum de concreto. Exemplum primi membri, ut *homo est animal*, *homo est rationalis*, *vel homo est albus*. Exemplum secundi, ut *humanitas est animalitas*, *humanitas est rationalitas*, *rationalitas est animalitas*. Exemplum ra-

tertii, ut *homo eſt humanitas, animalitas, vel rationalitas.* Et eodem modo poſſumus loqui per nomina ſecundæ intentionis, qualia ſunt *genus, & ſpecies*, ut ſi dicamus: *homo eſt ſpecies, ſpecieitas eſt genereitas, homo eſt ſpeciei-tas.* Quid autem ſint nomina primę, & ſecundę intentionis, in Dialectica ſatis declaratum eſt, cum de diviſione termini ageretur, & inſuper aliquid tetigimus quęſt. 1. de ente rationis art. 2. §. I.

His igitur prælibatis pro generali doctrina, iàm regulę prædicandi ad manus veniunt, ut ſingulæ ſigillatim expendãtur. Quapropter tres ſtatuimus regulas prædicandi, in quarum prima concretum cũ concreto comparabitur, in ſecunda verò concreta, & abſtracta mutuò conferuntur: & in tertia invicem comparabuntur abſtracta.

§. II.

Statuitur prima regula prædicandi.

PRima regula prædicandi eſt, quod *prædicatio affirmativa concreti de concreto eſt vera abſolutè, & ſimpliciter tàm in concretis ſubſtantialibus, quàm accidentalibus, quoties ſignificant formas in eodem ſubiecto, vel ſuppoſito exiſtentes, ſicut iſtæ: homo eſt animal, homo eſt rationalis, homo eſt albus*, quæ quidem ſunt verę abſolutè, & ſimpliciter, & inſuper ſunt prædicationes directæ; illa quidem, quia ſuperiùs prædicatur de inferiori, iſtæ verò, quia in illis forma prædicatur de ſubiecto. Et ſimiliter quę ſequuntur verę ſunt abſolutè, & ſimpliciter, licet ſint prædicationes indirectę: *animal eſt homo, irrationale eſt equus, album eſt corpus.* Et omnium ratio, quantum ad ſui veritatem abſolutè, & ſimpliciter, hæc eſt: quia prædicatio affirmativa concreti de concreto eſt vera abſolutè, & ſimpliciter, quoties extrema ſupponunt pro eodem, ſed in his omnibus, & ſimilibus prędicatum, & ſubiectum ſupponunt pro eodem, cum ſignificent formas in eodem ſuppoſito exiſtentes: ergò prædicatio affirmativa concreti de concreto eſt vera abſolutè, & ſimpliciter tàm in concretis ſubſtantialibus, quàm accidentalibus, quoties ſignificant formas in eodem ſuppoſito exiſtentes, nàm ad hoc non aliud requiritur, quàm quod extrema pro eodem ſupponant.

Mai. patet ex dictis in Dialectica cap. de ſuppoſitione,

ne. Min. verò, in qua difficultas eſt, ſic prob. concretum, ſi eſt ſubſtantiale, accipitur pro conſtituto per formam, ſi verò eſt accidentale, accipitur pro ſubiecto habente formam; ſed ſi formę ſunt in eodem ſuppoſito, vel ſubiecto, tàm in concretis ſubſtantialibus, quàm accidentalibus idem eſt habens utramque formam: ergò in prædictis concretis, & ſimilibus prædicatum, & ſubiectum pro eodem ſupponunt.

§. III.

Statuitur ſecunda regula.

SEcunda regula prædicandi eſt, quod *concreta phyſica non poſſunt prædicari de abſtractis, nec abſtracta phyſica de concretis, ſive ſermo ſit de concretis, & abſtractis ſubſtantialibus, ſive accidentalibus.* Non loquimur in præſenti de abſtractis illis, & concretis, quę ſignificant formas diſparatas, non exiſtentes in eodem ſuppoſito, vel ſubiecto; certum eſt enim huiuſmodi prędicationes eſſe falſas; ſive formæ ſignificentur in concreto, ſive in abſtracto, æquè enim falſum eſt, quod lapis ſit homo, & nigrum ſit album, quàm quod lapis ſit humanitas, & nigrum ſit albedo: ſed ſolùm eſt nobis ſermo de abſtractis, & concretis eandem formam ſignificantibus, *ut homo, & humanitas, album, & albedo.*

De his ergò ſic ratione communi probatur: ut propoſitio affirmativa vera ſit, debent extrema ſupponere pro eodem; ſed tàm in concretis, & abſtractis ſubſtantialibus, quàm accidentalibus, concretum phyſicum, & eius abſtractum non ſupponunt pro eodem: ergó concreta phyſica non poſſunt verè prędicari de abſtractis, nec abſtracta phyſica de concretis. Prob. min. Concretum ſupponit pro ſuppoſito, aut ſubiecto, abſtractum verò pro ſola forma ſupponit: ergò tàm concretis, & abſtractis ſubſtantialibus, quàm accidentalibus, concretum phyſicum, & eius abſtractum pro eodem non ſupponunt.

Hoc etiam conſtat ex eo, quod pars phyſica non poteſt prædicari de toto, nec totum de parte phyſica, ut 1. p. q. 3. art. 3. & q. 75. art. 4. in corp. docet Ang. Doct. Undè iſtę propoſitiones ſunt falſæ: *homo eſt humanitas, aut humanitas eſt homo, albedo eſt album, aut album eſt albedo*: ergó concreta phyſica non poſſunt prædicari de abſtractis, nèc abſtracta phyſica de concretis,

tis, ſivè ſermo ſit de concretis, & abſtractis ſubſtantialibus, ſivè accidentalibus.

§. IV.

Solvuntur argumenta contra ſecundam regulam prædicandi.

OBiicies primò contrà regulam prædictam: hæc propoſitio, *homo eſt humanitas*, eſt véra, & tamèn eſt abſtracti phyſici de ſuo concreto: ergò abſtracta phyſica benè poſſunt prædicari de concretis, & conſequenter regula ſupradicta non tenet. Prob. mai. Ut propoſitio vera ſit, ſufficit identitas realis prædicati cum ſubiecto, ſed in hac propoſitione, *homo eſt humanitas*, humanitas identificatur realitèr cum homine: ergò hæc propoſitio, *homo eſt humanitas*, vera eſt.

Reſp. neg. mai. & ad prob. diſt. min. identificatûr realiter inadæquatè, conc. min. adæquatè, neg. min. & conſeq. Nam (ut inquit D. Th. 1.p.q.3. art.3. in corp.) *homo habet in ſe aliquid, quod non habet humanitas, & propter hoc non eſt totaliter idem homo, & humanitas, ſed humanitas ſignificatur ut pars formalis hominis.* Ex quibus verbis manifeſtè colligitur, quod homo aliquid aliud ſignificat, quod non ſignificat humanitas. Quid aliud? Suppoſitum habens humanitatem. Humanitas autèm (ut in eodem art. docet Doct. Ang.) ſolùm ſignificat formam, qua homo eſt homo. Undè humanitas ſolùm ſupponit pro forma, homo verò ſupponit pro ſuppoſito humanitatem habente; ſuppoſitum verò ratione ſubſiſtentiæ, per quam conſtituitur, realitèr ab humanitate diſtinguitur: & ità extrema prædictæ propoſitionis pro eodem non ſupponunt, conſequentèrque propoſitio vera non eſt.

Inſtabis: album verè prædicatur de homine, ut cum dicimus *homo eſt albus*, & tamen non identificatur realitèr adæquatè cum illo: ergò ut prædicatio ſit vera, non requiritur, quod prædicatum realitèr adæquatè identificetur cum ſubiecto. Prob. min. Album ſuperaddit albedinem realitèr diſtinctam ab homine: ergò non identificatur realitèr adæquatè cum illo.

Reſp. diſt. min. non identificatur realiter adæquatè *ſecundum id, quod dicit in obliquo*, conc. min. *ſecundum id, quod dicit in recto*, neg. min. & conſeq. ſub eadem diſt. Quia ut propoſitio vera ſit, ſatis eſt, quod extrema ſup-

ponant pro eodem in recto, ut contingit in his: *homo eſt albus*, *Deus eſt homo*, nàm album in recto ſupponit pro corpore, vel ſubiecto ab homine non diſtincto, albedinem verò ſolùm dicit in obliquo, & ut formam ſubſtantatam: & homo in recto ſupponit pro ſubſiſtente in humana natura. In ſupradicta autèm propoſitione *homo eſt humanitas*, ſubjectum ſupponit in recto pro ſuppoſito tantùm habente humanitatem, & hoc ſuppoſitum realitèr ad humanitate diſtingnitur.

Obijcies ſecundo: quamvis concreta, & abſtracta non ſupponant pro eodem, poterunt benè ad invicem prædicari: ergò ſecunda regula prædicādi principio nititûr falſo. Prob. ant. Hæc propoſitio eſt vera, *Petrus eſt animal*; & tamèn prędicatum, & ſubiectum non ſupponunt pro eodem: ergó quamvis concreta, & abſtracta pro eodem non ſupponant, poterunt benè ad invicem prædicari. Prob. min. In prędicta propoſitione ſubiectum pro recto diſtinguitur realitèr à prædicato pro recto: ergo prædicatum, & ſubiectum prædictę propoſitionis non ſupponnnt pro eodem. Prob. ant. Animal, utpotè univerſale, includit plura, quàm Petrus, qui ſingularis eſt: ergo in prędicta propoſitione ſubiectnm pro recto diſtinguitur realitèr à prędicato pro recto.

Reſp. neg. ant. & ad probat. neg. min. & ad eius probationes dicimus, quod in hac propoſitione, *Petrus eſt animal*, res, quę prædicatur, eſt animal identificatum cum Petro, ſicut & in hac *Petrus eſt homo*, prædicatum eſt homo identificatus cum Petro: animal autèm identificatum cum Petro non cõtinet plura, quàm Petrus, ſicut nec homo cum Petro identificatus minus cõtinet, quàm Petrus, ſed potiùs tàm animal, quàm homo realitèr habent ipſam differentiam individualem Petri, quamvis non explicent illam. Ideòqúe propoſitiones prędictę verę ſunt, & pro eodem in recto realitèr adęquatè ſupponunt. Non enim in his propoſitionibus, & alijs ſimilibus ſumuntur prædicata pręciſivè, ſed realiter accipiuntur. Undé, quamvis animal præciſivè plura includat, quàm Petrus, & non involvat differentiam individualem, quam ipſe Petrus involvit, quatenùs tamen in propoſitione prædicta de ſubiecto prædicatur, idipſum includit Petrus, quod animal, & ipſum animal differentiam claudit individualem, quàm dicit ipſemet Petrus.

Obii-

Objicies tertiò : prædicationes iſtæ ſunt veræ : *humanitas eſt ſancta; ſuperficies eſt alba: albedo eſt ſimilis: quantitas eſt quanta*, & tamen concreta prædicantur de abſtractis : ergò ſecunda regula prædicandi non eſt univerſalitèr vera.

Reſp. diſt. min. de abſtractis *aliorum concretorum*, conc. min. *de abſtractis proprijs*, neg. min. & conſeq. Concretum namquè de proprio abſtracto nunquàm verè prædicatur. Et ratio eſt, quia abſtractum proprium ſupponit pro ipſa forma concreti, pro qua quidem concretum non ſupponit, ſed pro habente talem formam, & ità non ſupponunt pro eodem. De abſtracto tamèn non proprio verè poteſt prædicari concretum, quia abſtractum non proprium non ſupponit pro ipſa forma concreti, ſed pro alia diſtincta, quæ comparativè ad formam concreti ſubiectum eſt, & ideò tale abſtractum eſt ipſum ſubiectum, pro quo concretum ſupponit, & ſic contingit in his : *albedo eſt ſimilis humanitas eſt ſancta: ſuperficies eſt alba*: in quibus ipſa forma, quæ eſt ſubiectū, importatur etiam pro ſubiecto formæ ex parte prædicati, nàm in hac: *humanitas eſt ſancta*, ipſa humanitas eſt ſubiectum, in quo eſt forma prædicati, propterea quæ prædicatum per eodem ſupponit, pro quo ſupponit ſubiectum, idēque dicendum de reliquis. Si tamèn de abſtracto proprio prædicaretur concretum, propoſitio eſſet falſa propter rationem datam in principio ſolutionis : & ab eam iſtę ſunt falſæ : *ſanctitas eſt ſanctum ſimilitudo eſt ſimile : albedo eſt alba.*

De quantitate verò ratio diverſa eſt ; quia in hac propoſitione : *quantitas eſt quanta*, ly *quanta* idem eſt quod extenſa, & cum proprium ſit quantitatis habere effectum formalem, propterèa vere dicitur de quantitate, quod ſit quanta. Non tamèn in hac propoſitione (ſicut & in alijs, quæ ſuprà memorabimus, & ſimilibus) prædicatum ſumitur in rigore concreti, ſed duntaxat accipitur pro effectu formali ſpecialis formæ adiectivè, id eſt, pro effectu ſanctitatis, & pro effectu albedinis, ſimilitudinis, & quantitatis, qui verè abſtracto conveniunt. Conſequenterque nunquàm eſt verum, concretum proprie, & in rigore ſumptum prædicari de abſtracto.

Ex qua ſolutione habetur, quod quando una intentio denominatur ab alia, po-

teſt intentio denominans in concreto de altera in abſtracto prædicari, & ideò iſtæ ſunt vere: *genereitas eſt ſpecies; ſpecieitas eſt ſpecies*, nam genereitas in ordine ad hanc, & illam genereitatē verè ſubinduit rationem ſpeciei. Et ratio ſuprà eſt aſsignata, quia intentio denominans non ſupponit pro intentione denominante, ſed pro ſe ipſa; & cum intentio denominans in concreto ſupponat pro ſuo ſubiecto, & ſubiectum illius ſit ipſa intentio denominata, indè fit extrema ſupponere pro eodē: ac proindè veras eſſe propoſitiones prædictas.

Dices: in hac propoſitione, *ſpecieitas eſt ſpecies*, prædicatum, & ſubiectum non ſupponunt pro eodem: ergò prædicta propoſitio vera non eſt. Prob. ant. In prædicta propoſitione prędicatum non ſupponit pro forma, qua conſtituitur, pro intentione videlicet ſpeciei, cum concretum non ſupponat pro ſua forma; ſed ſubiectum ſupponit pro ipſa intentione ſpeciei: ergò in prædicta propoſitione prædicatum, & ſubiectum non ſupponunt pro eodem.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. min. pro ipſa intentione ſpeciei *denominata*, conc. min. *denominante*, neg. min. & conſeq. Quia quando ſpecieitas denominatur ſpecies, datur duplex intentio ſpeciei, altera quidem denominans conſtitutiva prædicati, & pro qua non ſupponit prædicatum, altera verò denominata, quæ eſt ſubiectùm intentionis denominantis, pro qua prædicatum ſupponit: & cum pro hac etiam ſupponat ſubiectum, eo quod ſubiectum eſt ipſa intentio denominata, indè fit prædicatum, & ſubiectum ſupponere pro eodem, & conſequentèr veram eſſe propoſitionem prędictam.

§. IV.

Statuitur tertia regula prædicandi.

TErtia regula prædicandi eſt, quod *abſtracta generica vere prædicantur de ſpecificis, & differentialibus, & differentialia de ſpecificis, ſive ſermo ſit de abſtractis accidentalibus, ſivé ſubſtantialibus, dummodo non ſignificent formas realiter entitative diſtinctas: unde iſtæ ſunt veræ: ſcientia eſt habitus: color eſt qualitas: albedo eſt color: humanitas eſt animalitas, & humanitas eſt rationalitas, & rationalitas eſt animalitas*: & ratio eſt, quia humanitas, animalitas, & rationalitas ſunt prædicata identi-

fi-

ficata realitèr, idemque dicendum de prædicatis aliarum propoſitionum, ac proinde in his omnibus propoſitionibus extrema ſupponunt pro eodē, ſicùt & in hac: *in Deo iuſtitia eſt miſericordia*; ſed hoc, & nō aliud requiritur ad veritatem prędicationis, ut ex ſupradictis conſtat: ergo abſtracta generica verè prædicantur de ſpecificis, & differentialibus, & differentialia de ſpecificis, ſive ſit ſermo de abſtractis ſubſtantialibus, ſivè accidentalibus; conſequenterque prædictæ propoſitiones, & alię ſimiles ſunt veræ, vel in ſenſu formali, ut *albedo eſt color, ſcientia eſt habitus, color eſt qualitas*, vel in ſenſu ſaltim identico; ut *humanitas eſt animalitas &c.*

Si autem abſtracta ſignificant formas realitèr entitativè diſtinctas, quamvis in eodem ſubiecto realitèr ſimul inveniantur, abſtracta non poſſunt verè prædicari de abſtractis nec in ſenſu identico, nec in ſenſu formali, undè iſtæ ſunt falſæ; humanitas eſt albedo, quantitas eſt qualitas, & alię ſimiles. Et ratio eſt, quia, ut prædicatio ſit vera in aliquo vero ſenſu, neceſſarium eſt, quod extrema ſupponant pro eodem, ſed extrema prædicta, dùm prædicantur in abſtracto, nullatenùs pro eodem ſupponunt, non enim ſupponunt pro ſubiecto, cum nomina abſtracta illud non connotent, nèc ſignificent, ſed ſupponunt pro ipſis formis realitèr entitative diſtinctis: ergò huiuſmodi prædicationes ſunt falſæ tàm in ſenſu identico, quàm in ſenſu formali.

§. V.

Solvuntur Argumenta contrà tertiam regulam prædicandi.

OBjicies primò contrà regulam prędictam: animalitas, & rationalitas, quamvis non diſtinguantur realiter, ratione tamen diſtincta ſunt prædicata; ſed hæc diſtinctio ſignificatur per ipſa nomina abſtracta: ergò propoſitiones prædictæ non poſſunt ullam veritatem habere.

Reſp. neg. min. Quia diſtinctio per rationem non ſignificatur per nomina, niſi fiat aliqua reduplicatio; undé, quamvis iuſtitia, & miſericordia in Deo diſtinguātur per rationem, hæc tamen propoſitio *iuſtitia divina eſt miſericordia*, abſolutè vera eſt, quia in ea nulla fit reduplicatio: ſecùs autem contingeret, ſi reduplicatio fieret, ut in hac: *iuſtitia, in quantum iuſ-*

titia eſt miſericordia, quę eſt falſa propoſitio propter reduplicationem ſupperadditam. Sed in his : *rationalitas eſt animalitas*, *animalitas eſt rationalitas*, nulla fit reduplicatio, ac proindè verę ſunt propoſitiones prędictę.

Sed inſtabis : prędicta nomina important diſtinctionem formalem inter ſua ſignificata: ergò diſtinctio rationis ſignificatur per ipſa nomina abſtracta, etiamſi nulla fiat reduplicatio. Prob. ant. Prædicta nomina, reduplicatione ſecluſa, involvunt ſenſum prędisivum : ergó & important diſtinctionem formalem inter ſua ſignificata, ac proindè non poterunt ad invicem prędicari.

Reſp.neg. ant. & ad probationem diſt. ant. involvunt *exercitè* ſenſum prędiſivum, conc. ant. *ſignatè*, neg. ant. & conſeq. Præciſsio namque unius ab alio tùnc ſolùm impedit veritatem propoſitionis, quando ſignatè importatur, ut in hac : *rationalitas, in quantum rationalitas, eſt animalitas*, *vel rationale, quatenus rationale, eſt animal* ; non tamen præciſio impedit veritatem propoſitionis, dùm tantùm importatur exercitè, undè hæc eſt vera propoſitio: *rationale eſt animal* ; licet nãque rationale concipiatur in ea ut diſtinctum ab animali, hæc tamen diſtinctio, ſeù prędiſio in propoſitione non exprimitur, ſed dumtaxat exercetur in illa : nùnc ſic ; ſed in his propoſitionibus : *rationalitas eſt animalitas*, *&c.* prædiſio non importatur ſignatè, nec exprimitur per nomina ipſa, ſed ſolùm exercitè ſe habet, & ex parte intellectus concipientis utrumque, prædicatum videlicet, & ſubjectum : igitur huiuſmodi prædiſio non tollit prędictas propoſitiones eſſe veras.

Secundò objicies : ſi hæc eſſet vera : *humanitas eſt animalitas*, etiam iſta eſſet vera : *id quo homo eſt homo eſt animalitas*, nam id, quo homo eſt homo, eſt humanitas, (ut docet D. Th. 1. p. q. 3. art. 3. in corp.) & humanitas, & animalitas idem ſunt, ſed ſecunda eſt falſa: ergó etiam erit falſum, quod humanitas ſit animalitas.

Reſp. neg. ſequelam; quia arguitur ab identica ad formalem ; eo quod in hac *humanitas eſt animalitas*, utrumque ſpecificativè ſumitur, & in hac : *id quo homo eſt homo*, *eſt animalitas*, reduplicatur forma conſtitutiva hominis in eſſe talis, quæ eſt humanitas, ut per rationem ab animalitate diſtincta,

&

& ideò hæc propoſitio vera non eſt, ſicut non valet: *homo eſt albus*; ergò id, *quo homo eſt homo, eſt ratio albi.*

Inſtabis: Pars non poteſt prædicari de toto; ſed animalitas eſt pars humanitatis; ergò animalitas non poteſt de humanitate prædicari, licet utrumque ſpecificativè ſumatur, & maximè cum prædicatum continere debeat quidquid continet ſubjectum, pars autem continere non poſsit, quidquid continet totum.

Reſp. diſt. mai. pars *phyſica*, conc. mai. *methaphyſica*. neg. mai. & diſt. min. pars *metaphyſica*, conc. min. *phyſicâ*, neg. min. & conſeq. Licet enim (ut ſupra diximus in lib. Prędicab. q. 2. art. 1. argumento ult.) pars phyſica non poſsit prædicari de toto; pars tamen metaphiſica de toto prædicari poteſt, eo quod continet in potentia, quidquid continet totum. Animalitas autem pars metaphyſica eſt, continéns confusè & indeterminatè id totum, quod diſtinctè, & determinatè claudit humanitas, dicit enim naturam ſenſitivam quamcumque, & nulla eſt talis in re, niſi illa animalitas, quę eſt in homine, & ipſa eſt humanitas; eadem enim eſt anima, à qua homo eſt ſenſibilis, & à qua eſt rationalis: undè (quidquid in contrarium clamet Scotus, cuius eſt replica facta in 1. ſent. diſt. 2. q. 7.) inſpicientes ad exemplar, quod nobis monſtratum eſt à D. Th. in cap. 3. de ent. & eſſent. ex cuius doctrina ſolutionem iſtam deducimus; conſtanter aſſerimus, animalitatem de humanitate prædicari poſſe.

Objicies tertiò: rationalitas nequit prędicari de humanitate: ergo abſtracta differentialia non poſſunt prædicari de ſpecificis. Prob. ant. Differentia non poteſt verè prædicari de ſpecie, niſi in *quale*; ſed rationalitas nequit prædicari in *quale*, cum non ſignificetur adjectivè, ſed tantùm exprimatur nomine ſubſtantivo: ergò rationalitas nequit verè de humanitate prędicari, conſequenterque hæc propoſitio: *humanitas eſt rationalitas*, vera non eſt.

Confirmatur: Si abſtracta generica, & differentialia poſſent verè prędicari de ſpecificis, abſtractum ſpecificum humanitas v. g. eſſet ſpecies completa directè in prædicamento ponibilis; conſequens eſt contrà D. Th. cap. 7. de ent. & eſſent. lit. h. ergò abſtracta generica, & differentialia non poſſunt verè

prę-

prædicari de ſpecificis.

Reſp. neg. ant. & ad probat. neg. mai. Differentia nãque in abſtracto, licet non prædicetur in *quale*, verè tamèn prædicatur, etſi non quoad modum differentię, ſicùt in hac: *homo eſt animatus*, genus quoad modum non prędicatur in *quid*, ſed potiùs in quale, & tamèn prædicatum genericum verè prædicatur de homine, licet non modo generico. Paritèr ergó rationalitas, quæ eſt prędicatum differentiale, veró prædicabitur de humanitate, licet non modo differentiali.

Ad confirmat. reſp. neg. ſequelam. Quia humanitas in abſtracto non eſt ſpecies completa, non enim prædicantur de ea genus, & differentia in concreto, & ut habentia eſſe ut *quod*, qualitèr neceſſarium erat, ut eſſet ſpecies completa directè in prædicamento ponibilis; ſed ſolùm prædicantur de ea in abſtracto, & ut habentia eſſe ut *quo*: ideóque ex quo animalitas, & rationalitas prędicentur de humanitate, nullatenùs ſequitur, quod humanitas ſpecies completa ſit.

§. VI.

Corollaria ex dictis.

EX dictis colligitur: intèr concreta ſecundæ intentionis poſſe unum de altero prædicari, ut in his; *genus eſt univerſale; ſpecies eſt prędicabile; hæc ſpecies eſt ſpecies*; & etiam talia concreta poſſe prędicari de concretis primæ intentionis, ut in his; *animal eſt genus*; *homo eſt ſpecies*; eo quod in omnibus his extrema ſupponunt pro eodẽ; ſecundam veró intentionem in abſtracto non poſſe de altera in concreto prædicari, ſicut in his; genus eſt univerſalitas, ſpecies eſt ſpecieitas, propter rationem oppoſitam.

Colligitur etiam ex dictis, in formis tranſcendentibus, & generalibus poſſe earum concretum metaphiſicum de proprio abſtracto prædicari, & e converſo, ac ſubindè veras eſſe propoſitiones ſequẽtes; *unitas eſt unum*: *unum eſt unitas*; *bonum eſt bonitas*; *& bonitas eſt bonum*; *ens eſt entitas*, *& entitas eſt ens*; & rationem eſſe, quia omnia abſtracta, & concreta prædicta pro eodem ſupponunt, & identificantur realitèr, quia nihil in ente aſsignari poteſt, quod ens non ſit, ut docet D. Th. q. 21. de verit. art. 4. ad 4. & 1. 2. q. 55. art. 4. ad 1. ubi ait: quod *unicuique apprehenſo à nobis attribuimus, quod ſit ens, & per conſequens quod ſit unum,*

& bonum, quæ convertuntur cum ente. Unde dicimus, quod essentia est ens, & una, & bona, & quod unitas est ens, & una, & bona, & similiter de bonitate.

Similiter etiam infertur, quod in nominibus naturam divinam significantibus abstractum de concreto, & concretum de abstracto verè prædicatur in sensu saltèm identico, unde istæ sunt vere: *Deus est Deitas; Deitas est Deus;* quia in eis extrema supponunt pro eodem, eo quod in divinis omnia prædicata absoluta identificantur realiter adæquatè, nec unum suprà aliud addit aliquid entitative distinctum. Quod totum docet Præc. Ang. 1. p. q. 3. art. 3. ubi sic concludit corpus art. *oportet, quod Deus sit sua Deitas, sua vita, & quidquid aliud sic de Deo prædicatur.* Et q. 40. ar. 1. ad 1. inquit; quod in divinis idem est abstractum, & concretum, ut Deitas, & Deus. In quibus, quia facilia sunt non licet amplius immorari.

LIBER SEXTUS.

DE ANTEPRÆDICAMENTIS, QUI ET ADMITtit ea, quæ in prędicamentis collocari debent, & excludit ea, quę ponibilia non sunt: & in eo quęstio prima.

ART. I.

Utrum univoca, æquivoca, & denominativa rectè diffiniantur?

§. I.

Univocorum traditur diffinitio.

AB hoc libro exordium sumit peripatetica doctrina, cuius Author fuit Aristoteles peripateticorum Pater, & Princeps, qui non solùm Author, sed & inventor huius mirabilis doctrinę fuit, ut Themistio, & Averroi placet, licèt aliqui Architę Tarentino hunc vellint honorem deferre. Quis autèm Aristoteles fuerit, & undè originem duxerit, aut quomodo vitam transegerit, nostra multum non interest, qui viri huius historiam texere non cupimus; sed solum eius doctrinam pro virili sequi conamur. Hãc autem doctrinam in tres partes solent dividere Logici, scilicet in Ante Prędicamenta, Prædicamen-

menta, & Poſtpædicamenta, de quibus ſingulis in ſequentibus diſſeremus.

Modò autèm prælibare oportet, Antepredicamentum nihil aliud eſſe, quàm Prooemium quoddam Iſagogicum ad intelligentiam prædicamentorum, ſeu (ut inquiunt Logici noſtri temporis verbum ex verbo reddentes) Introductionem, quæ tutam viam parat ad Prædicamentorum notitiam. In primo autem Prædicamentorum capite præmittit Philoſophus diffinitiones univocorũ, æquivocorùm, & denominativorum, quia ad intelligentiam ordinationis Predicamentorum triplicem oportet reſpectùm cõſiderare: primus ſcilicet ad ea predicata, quę ſunt ſuprà omnia predicamenta, ſecundùs ad ea, quæ in eodem coordinantur prædicamento: & tertius eorum, quæ ſunt in úno prædicamento ad ea, quæ in alio ſunt. Similiterque neceſſe eſt conſiderare convenientiam, vel diſconvenientiam in nominibus, Logicus enim non agit de rebus, niſi prout explicantur nominibus, & conceptibus. Reſpectus Predicamentorum ad ea, quę ſuprà Prædicamenta ſunt, eſt reſpectus *Analogorum, vel æquivocorum*; prædicamenta enim non conveniunt in aliquo ſuperiori univoco. Reſpectus ad ea, quæ in eodem ordinantur prædicamento, eſt *univocorum*; eo quod non ſolùm eſt ſecundùm idem nomen, verùmetiam ſecundùm eandem rationem. Reſpectus verò unius prædicamenti ad aliud eſt *denominativorum*, eo quod unùm accidentalitèr ſe habet ad aliud. Ideòque neceſſe fuit agere de univocis, æquivocis, & denominativis, tanquàm de primo anteprædicamento triplicem iſtum reſpectum explicante.

Ad cuius pleniorem intelligentiam neceſſe eſt animadvertere, quod univoca, æquivoca, & denominativa, alia ſunt ſignificativè talia, quæ dicuntùr univoca univocantia, æquivoca æquivocantia, & denominativa denominantia, qualia ſunt voces ſignificativæ rerum, quę univocè, vel æquivocè conveniunt, aut denominativè dicuntur, de quibus in præſenti ſermo non eſt, cum de his pertineat ad Dialecticum diſputare: alia ſunt univoca univocata, æquivoca æquivocata, & denominativa denominata, obiecta videlicet per voces ſignificata, quæ ſola ſunt inſtituti preſentis.

In hoc igitur ſenſu *univoca*, quę à Græcis *ſynonoma* dicuntur, (ut refert M. Par. Aug. in lib. Categor. cap. 2.) dif-

diffiniuntur: *quorum nomen eſt commune, ratio vero ſubſtantiæ nomini accomodata eſt eadem*: ſicut Leo, bos, equus, & homo ſignificantur per nomen animalis, quod eſt utrique commune, ratio verò animalis ſignificata per nomen eadem eſt in homine, & equo, bobe, & Leone. Quærenti enim quid eſt homo ſecundùm quòd eſt animal, reſpondetur ſubſtantia animata ſenſibilis. Quærenti quoque quid eſt bos ſecundùm quod eſt animal, reſponderur ſubſtantia animata ſenſibilis. Idem que aſſerendùm de equo, & Leone.

Diffinitionis huius particulę longa expoſitione non indigent. Ly *nomen* non accipitur in præſenti pro illa parte orationis, quę diſtinguitur cõtrà verbum, vel etiam participium (ut aliqui volunt) ſed ſumitur pro voce ſignificativa ad placitum, quæ dicitur nomen, quia eſt quaſi notamen, id eſt, mentis nota, ut advertit Caietanus. Ly *ratio ſubſtantiæ* non ſignificat ſubſtantiam, ut ab accidenti diſtinctam, ſed naturam, vel quidditatem rei, quę ſignificatur per nomen. Dicitur *nomini accomodata* ad denotandum, non ſufficere pro univocis, quod res ſint eędem, ſed ulteriùs requiri, quod earum identitas per nomen illis commune ſignificetur. Undè ratio viventis ſenſibilis ſignificata per hoc nomen *animal* dicitur ratio ſubſtantię nomini accomodata, id eſt ſignificata per nomen. Et eodem modo particulę diffinitionum, quæ ſequuntur, intelligendæ ſunt.

Denique particula *eadem* dicit identitatem ſimpliciter talem, eo quòd ad univocationem non ſufficit qualiſcumquè identitas ſecundùm illud nomen, ſed exigitur, quod ratio univocatorum, quæ penès illud nomen, in quo univocantur, attenditur, ſit totalitèr eadem, & nihil plus, aut minus includat unũ, quàm reliquum in ratione illius nominis. Et ratio huius eſt, quia bonum eſt ex integra cauſa, ut ſæpiùs docent Ariſt. & D. Dionyſius, univocatio verò eſt in genere boni, eo quod ſequitur unitatem, quę in bonorum coordinatione eſt, ideòque non conſurgit, niſi totalitèr eadem ſit ratio univocatorum ſecundùm nomen univocum: ut animal eſt nomen commune, & univocum homini, & bobi, quoniam tàm homo, quàm bos animal vocãtur, & ratio eorum, in quantùm nomen animalis habet, eadem totalitèr eſt, ut ſuprà diximus.

Obii-

Objicies contrà diffinitionem prædictam : Univocatio non ſolùm ſubſtantijs, ſed etiam accidentibus convenit: ergò male dicitur in diffinitione univocorum, quorum *ratio ſubſtantiæ nomini accomodata*. Prob. ant. Album eſt accidens reſpectu Petri, & Pauli; & tamèn univocantur in ratione albi, cum nomen ſit commune, & conceptus objectivus Petri, & Pauli ſit idem, quatenùs ſub hoc nomine *album* comprehenduntur: ergò univocatio non ſolùm ſubſtantijs, ſed etiam accidentibus convenit.

Reſp. conc. ant.neg.conſeq. Quia univocatio, ſicut etiam æquivocatio, reperitur in rebus, & in terminis omnium prædicamentorum, quare ſubſtantia (ut ſuprà inſinuavimus) non accipitur ſpecialitèr pro rebus primi prædicamenti, ſed generalitèr pro quidditate, ſeù ratione ſignificata per nomen. Undè D. Th. 3. Metaph. lect. 10. aſſerit, quod *quidditas rei, quam ſignificat diffinitio, dicitur ſubſtantia uniuſcuiuſque*; & indè ſumptus eſt ille modus loquendi, *ut ratio ſubſtantiæ* dicatur conceptus objectivus ſignificatus per nomen. Quapropter ly *album* univocè ſignificat Petrum, & Paulum, quatenùs ſub hoc nomine *album* compre henduntur. Imò idem nomen poteſt eſſe univocum ſimul, & æquivocum, & denominativum, ſicut *ſanam*, quod eſt denominativum à ſanitate, & univocè ſignificat omnia animalia ſana, & analogicè animal, urinam, medicinam, dietam &c.

Addo quod Philoſophus in præſenti non diffinivit univoca communitèr dicta, qualia ſunt ea, quorum nomen eſt commune, & conceptus obiectivus eſt idem, ſive talis conceptus ſit eſſentialis, ſive accidentalis; ſed ſolùm diffinivit univoca ſtrictè talia, ea nimirùm, quorùm nomen eſt commune, & conceptus eſſentialis eſt idem, ſicùt Petrus, & Paulus reſpectu nominis *homo*: & ratio eſt, quia Ariſtot. diffinivit univoca ad intelligendam comparationē eorum, quæ in eodem prædicamento collocantur, quorū proculdùbio nomen eſt commune, & per illud ſignificatur ratio, in qua eſſentialitèr conveniunt ad quam de materiali ſe habet, quod talis ratio ſit ſubſtantia, vel accidens.

§. II.

Æquivocorum diffinitio traditur.

ÆQuivoca, quæ à Græcis *hononyma* appellan-

lantur, iuxtà Philoſ. in hoc 1. art. prædicamentorùm cap. dicuntur illa, quorum ſolùm nomen commune eſt, ratio verò ſubſtantiæ nomini accomodata eſt diverſa, ſicùt homo vivus, & pictus ſignificantur per hoc nomen *homo*, *vel animal*, ratio verò hominis, vel animalis ſignificata per nomen, eſt diverſa, eo quod homo vivus eſt verus homo, & verum animal, pictus verò eſt homo, vel animal putè ſecundùm quid, & ſimilitudinariè, quatenùs hominem repreſentat. Quærenti enim quid eſt homo, ſecùndùm quod animal? Reſpondetur quod eſt ſubſtantia animata ſenſibilis. Quærenti autem quid eſt homo pictus ſecundum quod animal? Reſpondetur, quod eſt imago ſubſtantiæ animatæ ſenſibilis: ubi expreſsè apparet rationes eſſe aliquo modo diverſas. Ut autem huius diffinitionis veritas clariùs innoteſcat, illam oportet breviter explicare.

In plurali numero æquivoca diffiniuntur à Philoſ. eo quod res una æquivocationis capax non eſt ſine altera, oportet enim duas res ad minùs ſignificari uno nomine, ut poſsit eſſe æquivocatio. Signanter quoquè dixit Ariſtoteles *dicuntur*, & non ſunt, quia rebus non convenit æquivocari, ut ſunt in rerum natura, ſed ut ſunt in vocibus noſtris. Æquivocari enim præſupponit vocari, quod rebus ex nominibus accidit. Ly nomen, & ſimiliter *ratio ſubſtantiæ &c.* ut in diffinitione præcedenti intelligenda ſunt. Ac deniquè particula *diverſa* denotat diverſitatem, vel ſimplicitèr, vel ſecundùm quid; eo quod ad æquivocationem in communi ſufficit qualiſcumque diverſitas ſecundùm illud nomen. Et hoc ideò eſt, quia malum contingit omnifariam ex particularibus defectibus; æquivocatio autèm ex parte mali ſe tenet, ſiquidèm diverſitatem ſequitur, quæ in conventiculo malorum eſt, ac proindè, ſive ſit diverſitas ſimplicitèr, ſive aliquo modo, æquivocatio fit. In qua diffinitione ſic intellecta etiam comprehenduntur analoga, quę quidem modo ſilentio pertranſibimus, ſpecialem de eis tractatum in quęſt. ſequenti confecturi.

Si tamen velimus æquivoca diffiniri ut ab analogis diſtincta, ità diffinienda ſunt: *quorum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ nomini accomodata eſt omnino diverſa.* Sicut piſcis ſidus, & animal domeſticum latrabile æquivoca ſunt reſpectu nominis *canis*, & ſimilitèr quercus, &

for-

fortitudo reſpectu nominis *robur* : eo quod in ſolo nomine conveniunt, penès tamen differunt in re ſignificata per nomen. Hæc autem diffinitio ex genere, & differentia conſtat; nàm illa particula *quorum nomen eſt commune*, gerit vicem generis, eo quod in hoc univoca, æquivoca, & analoga conveniunt, alia autem particula *omnino diverſa* ponitur loco differentię, quia ratio ſignificata per nomen in univocis eſt omninò eadem, in analogicis verò eſt partim eadem, & partim diverſa, & omninò diverſa non eſt.

Objicies contra diffinitionem prædictam : æquivoca diffiniri non poſſunt : Perperam, ergô illa diffinivit Phil. Prob. ant. Quidquid diffinitur eſt unum, eo quod diffinitio unam explicat quidditatem, ſed ęquivoca non ſunt unum, ſed omninò diverſa: ergò diffiniri non poſſunt.

Reſp. diſt. ant. *æquivoca exercitè ſumpta, & in particulari*, conc. ant. *ſignatè accepta, & in communi*, neg.ant. Licet namque æquivoca in particulari, aut exercitè diffiniri non poſsint, ſicut canis terreſtris, cœleſtis, & marinus non poſſunt diffiniri, ut ſignificantur nomine *entis*, quia dicunt rationes omninò diverſas, ſignatè tamèn, & in communi conſiderata, & quatenús in ratione æquivoci omnia ęquivoca conveniunt, benè diffiniri poſſunt, nàm ut ſic omnia conveniunt in non convenire, & in ſignificari uno nomine, ſecundùm quam rationem æquivoca hic diffinivit Philoſ. non enim minus conveniunt omnia æquivoca in eo, quod eſt habere rationē diverſam, quā omnia univoca in habere rationē omninô unā.

Dices : ergó non diffiniuntur ut ęquivoca, ſed potius ut univoca, & univocè convenientia in ratione æquivoci, conſequenterquè diffinitio non benè tradditur.

Reſp. diſt. conſeq. ut univoca *accidentaliter*, & *denominativè*, conc.conſ. ut únivoca *formaliter*, neg. conſeq. Quia in præſenti diffinitione diffiniuntur æquivoca eſſentialiter talia, v. g. canis cœleſtis, terreſtris, & marinus, ut ſunt omninò diverſi, & ſignificantur peculiari nomine *canis*, & eodem modo omnia alia æquivoca ſub eadem diffinitione comprehenduntur, quamvis hęc omnia accidentalitèr denominentur univoca, quatenùs in ipſa ratione æquivoci univoce conveniunt; ſed ut ſic accidētalitèr denominata nō diffiniuntur per diffinitionē datam, ſed ſolùm quatenùs eſſentialitèr æquivoca ſunt.

§.

§. III.

Denominativorum traditur diffinitio.

DEnominativa, quę à Græcis Paronyma appellantur, quod aliundè nomen acceperint, *dicuntur ea, quæ ab aliquo nominis appellationem habent ſolo differentia caſu* : ſicut à Grammatica Grammaticus, & à fortitudine fortis. In qua diffinitione ſolum diffiniuntur denominativa denominata : non enim nomen *album* v. g. habet appellationem ab albedine, ſed nix eſt, quæ ab albedine habet appellationē albi. Conſulto dixit Ariſt. *dicuntur*, & non ſunt, quia entia denominativa non ſunt, ſed dicuntur. Poſita eſt diffinitio in plurali, eoquod ab eodem abſtracto plures res quandoquè denominantur, ſicùt à ſapientia dicitur homo ſapiens, & ſermo ſapiens, & ſapiens concilium, ut inquit D. Aug. in lib. Categoriarum cap. 4. Illa autem particula *ſolo differentia caſu*, non denotat denominativa, & illud, à quo denominationem habent, debere diſtingui in caſu declinationis, ut genitivus differt à nominativo; ſed denotat debere diſtingui in ſola terminatione finali, cum convenientia tamen in litteris initialibus: quod totum in exemplo fortis, & fortitudinis conſtat.

Hinc manifeſte apparet, Ariſtotelem non intelligere concretum derivari ab abſtracto, hoc enim negotium Grāmaticorum eſt, apud quos plura ſunt abſtracta, quæ potiùs derivantur à concretis, ſicùt ſapientia à dativo de ly *ſapiens* addita *a*, & iuſtitia à genitivo de ly *iuſtus*, addito *tia*; & univerſaliter nomina finita in *entia* à ſuis concretis; ſed ſolùm ſentire, quod denominativum, res alba v.g. appellationem accipit à re, quę eſt albedo.

Pro maiori autem intelligentia notandum eſt denominativum tria importare; videlicet formam denominantem, & ſubjectum denominatum, & ipſum denominativum adæquatè conſideratum: ſicut in *albo* forma denominans eſt albedo, & corpus eſt ſubjectum denominatum, & concretum, quod ſubjectum denominatum, & ipſam formam includit, denominativum dicitur.

Similiter animadvertere oportet, tria eſſe denominativorum genera; quædam enim ſunt denominativa re tantum, & non voce, ut ſtu-

dioſus, & virtuoſus; vitioſus, & malitia, ſimiliterque Grammatica cum accipitur pro muliere artis Graammamaticæ perita, & Grammatica dùm accipitur pro ipſa arte. Alia ſunt denominativa voce tantùm, & non re, ut ſtudioſus, & ſtudium. Alia tandèm ſunt denominativa voce, & re, ſicùt album, & albedo; pius, & pietas; fortis, & fortitudo; medicus, & medicina, &c. & hæc ſunt propriè denominativa. In præſenti autem ſolùm loquimur de denominativis ſecundum nomen, & rem; quæ videlicet conveniunt in litteris initialibus, & ſignificant eandem rem pro formali: cum differentia tamen in ſola terminatione finali. Quapropter ſtudioſus reſpectu virtutis non eſt propriè denominativum, eoquod, quamvis eandem rem ſignificent, in litteris tamen initialibus non conveniunt; nec etiam ſtudioſus reſpectu ſtudii propriè denominativum eſt, quia quamvis in litteris initialibus conveniant, rem tamen diverſam ſignificant; ſimilitèr nec Grammatica, quę eſt ars, eſt propriè denominativum reſpectu fœminę, quæ eſt Grammatica, ſiquidem non differunt in terminatione finali.

Tandèm præmonemus formam denominantem debere eſſe extra eſſentiam rei denominatę, & accidentalem illi; quocircà quamvis homo, & corpus denominationem accipiant ab humanitate, & corporeitate, vere tamen denominativa non ſunt: quia humanitas non accidit homini, nec corporeitas extra eſſentiam corporis eſt. Sufficit tamen formam eſſe accidentalem prædicabilitèr nam aureum dictum de anulo eſt denominativum eoquod licet aureum ſit ſubſtantia, non tamen de eſſentia anuli eſt, ſed extrà illius eſſentiam. Et propter eandem rationem arca denominatur lignea, ut docet D. Th. 4. Metaph. lect. 6. & vas dicitur argenteum, moneta aurea, & ſtatua cerea: ac proindè non ſunt minus denominativę prędicationes iſtæ: *anulus eſt aureus: arca eſt lignea, & vas eſt argenteum, quam iſta, homo eſt albus*: venit ſiquidem ab auro aurum à ligno ligneum, & ab argento argenteum, ſicùt ab albedine album.

Objicies contrà diffinitionem predictam: Denominativa ſunt univoca: ergò non rectè diffiniuntur ab Ariſtot. diffinitione diſtincta. Prob. ant. Album denominativum eſt; & tamen eſt univocum ad ſua inferiora, ſiquidem ratio

tionem eandem dicit omnibus his, de quibus prædicatur; aliàs nec prædicaretur prędicatione quinti prędicabilis: ergò ant. verum eſt.

Reſp. denominativa eſſe ùnivoca materialitèr quidem, ſed non formalitèr, quia quamvis idem prædicatum v.g. album ſit univocum, & denominativum ſimùl, ratio tamen uniuſcûiuſque formalitèr diverſa eſt, album enim in quantum ab albedine venit, differens ſolo caſu, eſt denomiuativum: in quantum verò eſt in Petro, & Paulo ſecundùm unam rationem, & conceptum objectivum, univocum eſt, licet accidentale, & communiter dictum, ut ſupra diximus in calce §. I. quę quidem univocatio ſufficiens eſt ad rationem prędicabilis, quamvis re ipſa non ſit ſatis ad intelligendam ordinationem eorum, quæ in eodem prædicamento collocantur, ad hoc enim in ſententia probabiliori, & menti Phyloſophi magis conſona, neceſſaria eſt univocatio eſſentialis.

ARTIC. I I.

Utrum regulæ anteprædicamentales ſint veræ, & diviſiones bonæ.

§. I.

Diviſiones explicantur.

TRibus diffinitionibus proponendis iam completis, ut oſtendat Ariſt. res ad prędicamenta ſpectantes, rerum diviſiones deſignat, quarum prima eſt, quod *eorum, quæ dicuntur, alia cum complexione, alia ſine complexione dicuntur*; cum complexione quidèm, *ut homo albus*, ſine illa, ſicut *homo*. Quam quidèm diviſionem (ſicut Expoſitores teſtantur) adſtruit Philoſ. ut res complexas excludat à prædicamento; res namque complexe poſſunt ad diverſa prędicamenta pertinere, ſicut in *homine albo*, homo pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ, albedo verò ad prędicamentum accidentis: undè homo albus in duobus locatur generibus. Et ſimilitèr *animal rationale*, ſi ſumatur ut complexum, duo loca habet in prędicamento ſubſtantiæ, generis, ſcilicèt & differentiæ. Et inſuper pertinentia ad prædicamentum ſubordinantur unico conceptui cum ſint omninò una: complexa autem duplici conceptui ſubordinantur.

Eſt ergò ſenſus huius diviſionis, quod eorum, quę intellectu, & voce dicuntur,

quędam dicuntur ſine complexione conceptuum, & conſequentèr vocum, niſi forte penuria nominum conceptus una voce explicari non poſsit: quędam verò dicuntur cum complexione conceptuum, & conſequenter vocum, niſi forsàm ſimplici vocabulo reſpondendo hæc fiat complexio.

Objicies adverſus intelligentiam prędictæ diviſionis: eſſe complexa, aut incomplexa convenit ſolis vocibus, & ſimiliter dici cum complexione, aut ſine illa, neutiquam rebus, ſed vocibus tantummodo convenit: ergò non rectè hæc diviſio adſtruitur à Philoſopho, ut res complexas à prædicamento excludat, ac proinde prędicta diviſio ſolùm erit diviſio vocum, nullatenùs verò rerum.

Reſp. quod quamvis eſſe complexa, aut incomplexa ſolis vocibus conveniat, dici tamen cum complexione, vel ſine illa convenit rebus, quatenùs complexè, aut incomplexè ſignificantur; & idcircò dixit Ariſt. *eorum, quę dicuntur*, ad denotandum res non eſſe complexas in ſe, ſed dicuntur, hoc eſt, ſignificantur cum, aut ſine complexione. Quo fit non eſſe diſtinguendum duplex complexum, unum reale, & aliud intentionale: nam omne complexum eſt intentionale: in mente quidem intentionale formale, in rebus autem complexum intentionale objectivè, ut inquit Mag. Soto.

Rurſus, cum prędicata, quæ pertinent ad prædicamenta, alia ſint ſuperiora, & inferiora alia, neceſſariam iudicavit Ariſt. notitiam eorum quæ de ſubjecto non dicuntur, & eorum quę dicuntur de ſubjecto; pro quo ſequentem ſtatuit diviſionem.

Eorum, quæ ſunt, alia de ſubjecto quidem dicuntur, innullo verò ſunt prorsùs ſubjecto; ſicut homo de quodam homine dicitur, ut de ſubjecto, in nullo autèm eſt ſubjecto. *Alia in ſubjecto quidem ſunt de nullo verò ſubjecto dicuntur*: ſicut quædam grammatica eſt quidem in anima, tanquam in ſubjecto; de nullo verò ſubjecto dicitur; & hoc album eſt in corpore, ut in ſubjecto (omnis enim color in corpore eſt) de ſubjecto verò nullo dicitur. *Alia verò de ſubjecto dicuntur, & in ſubjecto ſunt*, ſicùt ſcientia eſt in anima, ut in ſubjecto, & de ſubjecto dicitur, ut de grammatica. *Alia nec in ſubjecto ſunt, neque de ſubjecto dicuntur*, ſicùt aliquis homo, vel aliquis equus: nihil enim horum neque in ſubjecto eſt, neque de ſubjecto dicitur. Hæc

Hæc autem quadrimembris diviſio ſic intelligenda eſt; *eorum quæ ſunt*, alia ſunt ſubſtantiæ univerſales: ut *homo animal*, *&c.* Alia ſubſtantię particulares: ut *aliquis equus*: *aliquis homo*: *Petrus*, *&c.* Alia accidentia univerſalia: ſicùt *ſcientia*, *color*, *figura*, *&c.* Alia accidentia particularia: ut *hæc grammatica*, *hæc Logica*, *hoc album*, *hic triangulus*. Omne enim, quod eſt in prædicamento, aut eſt ſubſtantia, aut eſt accidens, & iterum aut eſt univerſale, aut particulare: vel (aliis terminis) omne ponibile in prædicamento aut eſt univerſale ſubſtantiæ, aut univerſale accidentis, aut individuum ſubſtantiæ, aut individuum accidentis. Duo priora comprehendunt omnia prædicata, duo verò poſteriora omnia ſubjecta.

Ad pleniorem autem terminorum evidentiam ſcire neceſſe eſt, quod nomen *ſubjecti* diverſimodè accipitur, cum conjungitur cum *eſſe*, vel non *eſſe*, & dùm coniungitur cum *dici*, vel *non dici*. Nam cum dicitur eſt, vel non eſt in ſubjecto, intelligitur de ſubjecto inhæſionis, de illo ſcilicet, in quo aliquid exiſtit per modum accidentis. Cum autem andis, dicitur, vel non dicitur de ſubjecto, de ſubjecto attributionis intellegire debes, illo nimirum, de quo aliquid prædicatur ut ſuperius de inferiori. Quare Ariſtotelis diviſio ſic venit intelligenda; quod videlicet aliqua prędicantur de ſubjecto ut ſuperius de inferiori, ut in his: *Petrus eſt homo*: *Petrus eſt animal*, & univerſalitèr genera, & ſpecies prędicamenti ſubſtantiæ; in ſubjecto vero non ſunt inhæſivè, quia illi non inhærent, qualitèr eſſe in ſubjecto intelligitur in præſenti. Alia autem in ſubjecto ſunt inhæſivè, & de illo per modum ſuperioris non dicuntur, ut *hoc album*, & univerſalitèr omnia accidentia ſingularia, quæ verè inferiora non habent, nec ut ſuperiora comparantur ad ſubjectum, cui inhærent.

Alia etiam & in ſubjecto ſunt inhęſivè, & de illo per modum ſuperioris dicuntur ſicùt *ſcientia*, *color*, *figura*, & univerſalitèr genera, & ſpecies accidentium. Alia denique nec in ſubjecto ſunt inhæſivè, nec de ſubjecto per modum ſuperioris dicuntur, ſicùt *Petrus*, *Paulus*, *hic homo*, *hic equus*, & univerſalitèr omnia individua ſubſtantiæ, quæ quidem nulli ſubjecto inhærent & de nullo per modũ ſuperioris prędicantur.

Et quoniam Ariſtoteles ſolicitus fuit circà illum terminum *eſſe in ſubiecto*, ipſumque diffinivit ſtatim poſt ſecundum diviſionis membrum, examinanda eſt eius diffinitio, quæ talis eſt: *in ſubiecto autem eſſe dico, quod cum ſit in aliquo, & non ut pars, impoſſibile eſt ſine eo eſſe in quo eſt.* Ad cuius intelligentiam ob oculos ponit Boetius modos octo, quibus Ariſt. 1. Phiſic. text. 23. lect. 4. apud D. Th. dicit aliquid eſſe in alio, qui omnes his verſibis continentur.

Inſunt pars totum, ſpecies genus, Materia quoque forma
Res in rege, res in fine, locoque locatum.

Eſt enim digitus in manu, & univerſaliter quæcumque pars in ſuo toto, & totum eſt in partibus; à quibus viciſsim dependet, quia totum non eſt præter partes. Species eſt in genere, ſub qua continetur, ſicut homo dicitur eſſe in animali, & genus eſt in ſpecie, cuius eſt pars. Forma eſt in materia, vel ſubjecto, ſivè ſit accidentalis, ſive ſubſtantialis. Reſpublica in poteſtate regis: per quem modum etiam dicere poſſumus aliquid eſſe in nobis, quia eſt in poteſtate noſtra, ut illud faciamus. Media dicuntur eſt in fine, ſicut in quodam optimo dirigibili, ſicut cor alicuius eſt in re, quam amat, & deſiderat: ùbi enim eſt theſaurus, ibi eſt & cor, ut dicitur Luc. 12. Ac denique locatum dicitur eſſe in loco, ſicut vinum in amphora.

Tres particulas appoſuit Ariſt. quibus modus eſſendi accidentis in ſubjecto ab alijs ſeparetur. Prima namque particula *cum ſit in aliquo*, intellecta de eſſe in aliquo realiter diſtincto, ponitur ad differentiam duorum modorum eſſendi, ſcilicet ſpeciei in genere, & generis in ſpecie, (quamvis intellecta in communi de eſſe in aliquo, quovis modo hoc contingat, loco generis accipiatur, ut docet Caietanus. Secunda verò particula *non ſicut pars* extendenda eſt, iuxtà ſecundùm ſenſum primæ particulæ, ad omnem partem, ſcilicet integralem, eſſentialem, ſubjectivam, & diffinitivam, & ſic ponitur ad differentiam modorum eſſendi, partis in toto, & totius in parte, generis in ſpecie, & ſpeciei in genere, & etiam ad differentiam formæ ſubſtan-

tantialis, quæ eſt in toto, ſine quo non poteſt eſſe, & tamen non eſt accidens. Tertia tandem particula *impoſsibile eſt eſſe ſine eo, in quo eſt*, videlicet naturaliter exiſtere ſeparatum ab eo, in quo eſt, ponitur ab differentiam modorum eſſendi, effectus in efficiente, rei in ſine, & locati in loco: hæc enim omnia, licet in aliquo ſint, & non ſicut pars, poſſunt tamen eſſe ſeparata ab eis, in quibus ſunt.

Objicies: hæc diffinitio convenit formę ſubſtantiali, videlicet formę lapidis, ſiquidem eſt in aliquo, ſcilicet in materia, & non ſicut pars eius, quia forma non eſt pars materiæ: & ſimiliter impoſsibile eſt, quod ſit ſeparata à materia, & tamen forma lapidis non eſt accidens: ergò modus eſſendi accidentis in ſubjecto non recte diſtinguitur à modo eſſendi formę ſubſtantialis.

Reſp. quod forma eſt in materia tanquàm pars, non quidem tanquàm pars materię, ſed tanquàm pars totius, ideòque recte excluditur per ſecundam particulam diffinitionis, nàm accidens eſt in ſubjecto, neque ut pars in toto, neque ut pars in parte, eo quod ex accidenti, & ſubjecto non reſultat unum totum, ſicut ex materia, & forma, ut docet D. Th. cap. 7. de ent. & eſſent. Addi etiam poteſt, quod forma ſubſtantialis excluditur per tertiam particulam, quia formæ ſubſtantiali ut ſic non repugnat naturaliter eſſe ſine materia, alias omni formæ ſubſtantiali repugnaret ſeparari a materia, quod in anima humana falſum oſtenditur, licet aliundè ei repugnet, ex eo videlicet, quod eſt materialis, & conſequenter hæc propoſitio eſt falſa formaliter loquendo; *forma ſubſtantialem impoſsibile eſt eſſe ſine materia.* Accidenti autē ut ſic à toto genere entis repugnat naturaliter eſſe ſine ſubjecto, ac proindè formaliter, & ſimpliciter verum eſt non poſſe eſſe ſine ſubjecto.

Si autem quęras, quodnam ſit diviſum prædictæ diviſionis? Aſſerendum puto, eſſe rem directè in eodem prædicamento ponibilem. Quapropter dici, vel non dici de ſubjecto debet intelligi quidditative, ut inquit Mag. Soto: prædicationes enim directæ intrà idem prędicamentum quidditativæ ſunt. Et ſi inquiras, qualis ſit hæc diviſio?

Non aliter reſponderi poteſt, quam ſecundùm diverſas, quas virtualiter imbibit, diviſiones; quarum *prima eſt* : eorum, quę ſunt, alia ſunt in ſubiecto, alia non ſunt in ſubiecto; & hæc diviſio eſt analoga, cum ſit entis in ſubſtantiam, & accidens; nam ens analogicè dicitur de ſubſtantia, & accidenti, ut infrà patebit. *Secunda eſt*, eorùm, quæ ſunt, alia ſunt univerſalia, alia particularia, ſeù (quod idem vale) alia dicuntur de ſubjecto, alia verò de ſubjecto non dicuntur; & hæc eſt diviſio ſubjecti in accidentia rationis, nàm eſſe univerſale, vel particulare non convenit naturę ſecundum ſe, ſed ſolùm per operationem intellectus. *Tertia eſt*, eorum, quæ dicuntur de ſubjecto, alia ſunt in ſubjecto, alia verò in ſubjecto non ſunt, & hæc eſt diviſio generis in ſpecies, nàm hoc, quod eſt quidditativè prędicari de ſuis inferioribus (qualiter hic ſumitur *dici de ſubiecto*) univocè convenit ſubſtantię, & accidenti, ut diximus in lib. Prędicab. q.1. art.2. in ſolutione ād 1.argum. *Quarta* denique eſt, eorum, quæ de nullo dicuntur, alia in ſubjecto ſunt, alia non ſunt in ſubjecto, & hæc diviſio, cum in illa dividatur intentio ſingularitatis in ſua ſubſtracta, etiam poteſt dici accidentis in ſubjecta.

§. II.

Regulæ antepręd̃icamentales deſignantur.

DUę ſunt regulæ antepræd̃icamentales, quas in 3. antepręd̃icamentorum cap. tradit Ariſt. quarum prima, quæ à Cicerone appellatur gradatio, hæc eſt: *cum quidpiam de quopiam prædicatur, ut de ſubiecto, ea, quæ dicuntur de prædicato, dicuntur etiam de ſubiecto.* Quæ tamen intelligenda eſt de illis, quæ de prędicato dicuntur quidditativè, ſicut quia *animal* eſſentialiter prędicatur de *homine*, & *homo* de *Petro*, etiam *animal* eſſentialiter de *Petro* prædicatur: nàm hæc regula ſtatuta eſt à Philoſ. ut cognoſcantur ea, quæ directè in prædicamento collocantur, quæ tantùm ſunt illa, quæ de ſuis inferioribus quidditativè dicuntur, (quæ propterea non extenditur ad prædicata divina, quæ quidem in auguſta Domo prædicamentali locari non poſſunt, ut infra dicemus) & hanc eſſe veram, genuinam, & ad mentē Philoſophi accommodativam explicationem ſentiunt Boetius, Cajetanus, Soto, cum toto ferè Thomiſtarum acie, quę mo-

more caſtrorum ordinata, in eius tutelam non alia, quàm hac ùtitur ratione.

Ariſtoteles hanc traddidit regulam, ut cognoſcantur, quę in recta linea in quolibet prędicamento collocari debēt; ſed in recta linea ſolùm ponuntur ea, quę quidditativè de inferioribus prędicantur: ergò prædicta regula ſolùm de prædicatione quidditativa intelligenda eſt, ut ſeries cuiuſlibet prædicamenti ordinetur. Quia enim *homo* v. g. quidditativè prædicatur de Petro, & de homine animal, de animali vivens, de vivente corpus, & de corpore ſubſtantia, omnia hæc ſuperiora prædicata prædicantur quidditativè de Petro, & intèr ſe ſuperiora de inferioribus.

Ex his habes, ea, quæ accidentalitèr dicuntur de prędicato, non debere neceſſariò accidentalitèr prædicari de ſubjecto, ſicùt non benè valet homo eſt animal, animal currit: ergò homo currit. Nec iſta: homo eſt animal, animal eſt genus: ergò homo eſt genus. Et ſimilitèr Petrus eſt homo, homo eſt ſpecies; ergò Petrus eſt ſpecies, quia in his omnibus prædicatio minoris non eſt quidditativa, & eſſentialis, ſed pure accidentalis. Quod ſi prę oculis habeatur, facilè ſolvi poſſunt plures ſophiſticę objectiones, quæ prædictam regulam labefactare nituntur.

§. III.

Aſſignatur ſecunda regula.

SEcunda regula antepræ-dicamentalis, quæ bimembris eſt, ſic ſe habet: *diverſa genera ſubalternatim non poſita debent habere diverſas ſpecificè differentias. Genera verò quorum unum ſubaltero collocatur, nihil prohibet eaſdem habere differentias.* Ad cuius intelligentiam animadvertendum eſt, quod licet nō propriè dicantur genera ſubalternatim poſita, niſi illa; quòrum unum eſt ſub altero, ſequentia tamen Ariſt. verba nos cogunt, ut intelligamus & ea, quorū unum eſt ſub altero, & ea, quæ ſunt ſub uno tertio, undè primùm membrum huius regulæ ſic intelligendùm eſt: quod diverſa genera, quorum unum non ponitur ſubaltero, nec ambo ſub uno tertio, debent habere differentias ſpecie diverſas: vocantur autem differentiæ ſpecie diverſæ, quæ ſunt diverſa formalitèr, non tamen quę purè ſunt diverſæ materialitèr, quales ſunt differentię individuales.

Cogimur autem ad hunc ſenſum, quia Ariſtoteles, hāc regulam declarando, exemplum ponit in *animali*, &

ſcien-

ſcientia, quæ quidem diverſorum generum ſunt, & unū ſub altero non ponitur, nec ambo ſub uno tertio, & idcircó habent differētias ſpecificè diverſas: unumquodque enim illorum conſtituitur per eſſentialem differentiam diſtinctā, & differentia conſtitutiva ſciētiæ nec mediate poteſt eſſe differentia contractiva animalis, ſiquidem ſcientia nō ponitur ſub animali, nec animal, & ſcientia ſub uno tertio collocantur, quod erat neceſſarium, ut differentia conſtitutiva ſcientiæ mediatè contraheret ſaltim eandem differentiam illius tertij generis.

Si verò diverſa genera ſubalternatim ponantur, nihil prohibet eaſdem habere differentias. Et rationem reddit Ariſt. *quia ſuperiora de inferioribus prædicantur, & conſequenter quotquot ſunt differentiæ prædicati, totidem ſunt, & differentiæ ſubiecti.* In quibus verbis manifeſtè apparet Phil. ad differentias cōſtitutivas generum ſe contuliſſe. Tales enim huiuſmodi ſunt, quæ cum ſint conſtitutivæ prædicati ſuperioris, intrant etiam conſtitutionem ſubiecti inferioris; ſicut *corporeum animatum, & ſenſibile*, quæ ſunt differentia conſtitutivæ animalis, ſunt etiam differentiæ intrinſecè (licet inadæquatè) conſtituentes hominem, quoniam omnes differentię conſtitutivę ſuperiorum ſunt etiam differentiæ conſtitutivæ inferiorum, licet non è converſo.

Eſt his habes, quod (cum Ariſtoteles, regulam explicando, modó de diviſivis, modò de conſtitutivis differentijs ſermonem faciat) regula hæc intelligenda eſt de differentijs utriuſque, tàm conſtitutivis, quàm diviſivis, cum accomoda tamen diſtributione. Si enim ſunt genera diverſorum prædicamentorū, tunc habent differentias omnes diverſas tàm conſtitutivas, quàm diviſivas, ut patet in exemplis de *ſcientia*, & *animali*. Si verò ſint genera ſubalternatim poſita, tùnc quæcumque differentia conſtitutiva generis ſuperioris eſt conſtitutiva inferioris, inadæquatè tamen: diviſiva autem ſuperioris non eſt inferioris generis diviſiva, ſed ſolùm eius conſtitutiva. Et è contrà differentia diviſiva generis inferioris eſt diviſiva ſuperioris, eſtò inadęquatè; inferioris verò conſtitutiva non eſt conſtitutiva ſuperioris, ſed ſolùm eius diviſiva.

Quod ut facillimè intelligas, recolito prędicabilium arborem, ubi exemplùm habes luce meridiana clarius; *animatum* namquè v. g. eſt dif-

differentia conſtitutiva *viventis*, (ſiquidem vivens eſt corpus animatum) & etiam eſt differentia conſtitutiva *animalis*, & deindè hominis: eſt enim animal corpus animatum ſenſitivum, & homo eſt corpus animatum ſenſitivum rationale. *Senſibile*, & *inſenſibile*, quæ ſunt differentiæ diviſivæ *viventis*, non poſſunt eſſe diviſiva *animalis*, & *hominis*. E contrà verò *rationale*, & *irrationale*, quę ſunt differentiæ diviſivę *animalis*, ſunt etiam diviſivę *viventis*, licet inadæquatè, quia non comprehendunt plantas, quæ ſub viventi continentur. *Senſitivum* verò, quod conſtituit animal, non eſt differentia conſtitutiva, ſed ſolùm diviſiva *viventis*. Et hinc etiam manifeſtè cognoſces, differentias diviſivas generum, & conſtitutivas ſpecierum locari debere in dextero latere arboris, in ſiniſtro verò differentias eorundem generum diviſivas, ſpeciebus tamen in trunco poſitis repugnantes.

QUÆST. II.

De Analogis, & in ea.

ART. I.

Quid, & quotuplex ſit Analogia?

§. I.

Aſſignatur analogorum diviſio.

Analogia nomen Græcum eſt, quod idem ſignificat, atque inter Latinos proportio, vel aliqualis convenientia; vocatur autem proportio, quam Geometræ dicunt proportionalitatem; proportionalitas autem eſt comparatio, vel ſimilitudo duarum, aut plurium proportionum inter ſe, ut ſi dicamus; ſicut ſe habent 5. ad 10. ità 10. ad 20. utraque enim eſt proportio dimidij ad duplum. Et licet in hac acceptione ſola analogia proportionalitatis vocetur vera analogia, reliquæ autem abuſivè, uſus tamen Scholæ, & ſapientum generalitèr ſumit analoga pro his, quę nec univocè dicuntur, neque æquivocè, ſed media ſunt inter univoca, & æquivoca, & hęc aſſerit D. Th. 4. Metaph. lect. 1. §. *Hic proceditur analogice prædicari, id eſt, proportionaliter.* Quapropter aliquem rationem eſſe analogam, aut analogicè de pluribus prędicari, nihil aliud eſt, quàm prædicari de illis modo proportionali, ſeù quatenùs habent aliqualem convenientiam, vel quatenus (ut ſignificantius exprimatur ſermo-

mone noſtro vulgari) *ſon lo miſmo en ſu tanto*, hoc eſt in ſua menſura, & proportione: dicitur enim proportio habitudo unius quantitatis ad aliã, ut docet D. Th. 5. Ethic. lect. 5. quantitas autem habet rationem menſurę. Undè ratio analoga non eſt omninò una, ſicut ratio univoca, nec omninó diverſa, ſicut æquivoca, ſed partim eadem, & partim diverſa eſt.

Proptereaque analoga in communi communitèr diffiniuntur: *quorum nomen eſt commune, ratio vero per nomen ſignificata eſt partim eadem, & partim diverſa.* Ex quibus per habere *nomen commune* conveniunt cum univocis, & æquivocis, per aliam verò particulam diſtinguuntur ab eis: quia in univocis idem nomen prædicatur de diverſis ſecundùm rationem totalitèr eandem, ſicut animal de equo, & bobe dictum ſignificat ſubſtantiam animatam ſenſibilem; in æquivocis idem nomen prędicatur de diverſis ſecundum rationẽ totalitèr diverſam, ſicut hoc nomen canis prout dicitur de ſtella, & quadam ſpecie animalis. In analogis verò idem nomen de diverſis prædicatur ſecundùm rationem partim eandem, partim diverſam, ut docet D. Th. 11. Metaph. lect. 3.

Hæc autem analoga, alia ſunt phyſica, & alia logica: Analoga phyſica, ſunt illa, *quorum nomen eſt commune, ratio vero ſignificata per nomen eſt omnino eadem, inæqualiter tam n participata*: (& eſt ſermo de inęqualitate perfectionis, ut notat Caiet. in opuſc. de nominum analogia) ſicut ratio animalis eſt eadem omninô in homine, & equo, ſed nobiliori modo participatur ab homine, in quo determinatur per nobiliorem differentiam. Hæc tamèn analoga phyſicè dicuntur analoga, nõ tamen logicê; quia ratio cõmunis ab inferioribus pręciſſa, qualiter conſideratur à logica, eſt omninò eadem, & nullam importat diverſitatem; & propterea analoga phiſica, quatenùs talia, ad conſiderationem logicam non pertinent, ſed logicè dicuntur univoca. Dicuntur autem analoga analogia phiſica quæcumque prædicata ſuperiora, præter ſpeciem infimam, quia cum ſola ſpecies infima æqualitèr participetur ab inferioribus, ipſa ſola eſt univoca univocatione oppoſita phiſicæ analogiæ.

Analoga logica ſunt illa, quæ ſuprà diffinita manent, in quibus non ſolùm reperitur inæqualitas differentiarũ contrahentium, & rationis commu-

munis ut contractæ, ſed etiam ipſa ratio communis ut præciſa non eſt eadem omninò, & ſimplicitèr, ſed partim una, & partim diverſa eſt.

Hæc autem analoga logica dividuntur in analoga attributionis, & analoga proportionalitatis, de quibus ſingulis (ut promiſſa in art. 1. quæſt. præced. complexamus) ſigillatim ſermonem inſtituemus.

§. II.

Explicatur diffinitio analogorum attributionis.

AD analoga in particulari venientes, primò diffinienda ſunt analoga attributionis, & eorum talis eſt diffinitio: *quorum nomen eſt commune, ratio vero ſignificata per nomen eſt eadem ſecundum terminum, diverſa vero ſecundum habitudinem ad ipſum, ſicut ſanum* eſt nomen commune dietæ, medicinæ, urinæ, & animali, & ratio omnium in quantum ſana ſunt, videlicet ſanitas, eſt eadem ſecundùm terminum, quatenùs dieta, urina, medicina, & animal dicuntur ſana ab una, & eadem ſanitate, ſed diverſo modo ſanitatem reſpiciunt; nàm ratio ſani, ut inquit D. Th. 4. Metaph. lect. 1. ſecundùm quod dicitur de dieta, conſiſtit in conſervando ſanitatem: ſecundùm quod dicitur de medicina, in faciēdo ſanitatem, prout dicitur de urina, in quantum eſt ſignum ſanitatis; & ſecundùm quod dicitur de animali, ratio eius eſt, quoniam eſt receptivum, vel ſuſceptivum ſanitatis. Sic igitur hæc omnia dicuntur ſana penès ordinem ad unam, & eandem ſanitatem, eadem enim eſt ſanitas, quam animal ſuſcepit, urina ſignificat, medicina facit; & dieta conſervat. Ex quibus animal eſt analogatum principale, alia verò minùs principalia ſunt, & extrinſecè dicuntùr ſana à ſanitate animalis, quam dieta conſervat, medicina cauſat, & urina ſignificat.

Conſtat autem diffinitionem tradditam eſſe bonam, & illam particulam, *quorum nomen eſt commune poni loco generis, & alteram ratio eadem ſecundum terminum &c.* loco differentiæ poni: nàm in hoc diſtinguuntur ab æquivocis, in quibus ratio ſignificata non eſt eadem, & ab analogis proportionalitatis, in quibus etiam ratio ſignificata non eſt eadem, ſed realiter multiplicatur in illis; & ab univocis, in quibus ratio ſignificata intrinſecè reperitur in omnibus,

bus, & adhúc ſecundùm habitudinem ad terminum diverſa non eſt.

Hæc autem analogia quadruplicitèr fieri poteſt ſecundùm quatuor genera cauſarum, appellando pro nunc cauſam exemplarem nomine cauſæ formalis: videlicet ad *unum finem*, ſicut ſanum dicitur analogicè de animali, & urina, dieta, & medicina. *Ad unum efficiens*, ſicut medicativum dicitur analogicè ab arte medicinę de medico perito, & etiam de inſtrumentis, & medicinis, quibus utitur. *Ad unum ſubiectum*, ſicut ens analogicè dicitur de ſubſtantiæ, quæ per ſe habet eſſe, & de accidentibus, quę ſunt entia ſecundùm quid, ſcilicet entis entia. Omnia hęc exempla ſunt D. Th. 4. Metaph. lect. 1. propè medium. Ac denique *ad unum exemplar*, ſicut homo analogicè dicitur de homine vivo, & picto; imago enim hominis dicitur homo, quia eſt expreſſa ad exemplar hominis vivi.

Objicies contrà præfatam diffinitionē: *ſanum* eſt analogum attributionis ad animal, urinam, & medicinam, & tamén non importat rationem eandem ſecundúm terminum: ergò non rectè diffiniúntur analoga attributionis per hoc quod dicant rationem eandem ſecundúm terminum. Prob. min. Hoc nomen *ſanum* dictum de urina, & medicina importat habitudinem urinæ, & medicinæ ad ſanitatem animalis, ſed habitudo iſta diverſa eſt in urina, & medicina: ergò non importat rationem eandem ſecundum terminum. Mai. prob. ex D. Th. 1.p. q. 13. art. 5. ubi ſic concludit corp. art. *nomen quod ſic multipliciter dicitur, ſignificat diverſas proportiones ad aliquid unum, ſicut ſanum de urina dictum ſignificat ſignum ſanitatis animalis, de medicina verò dictum ſignificat cauſam eiuſdem ſanitatis*: ergò maj. vera eſt.

Reſp. neg. min. & ad probat. conceſ. maj. & min. neg. conſeq. Non enim ex præmiſſis infertur ea concluſio, quæ inferenda eſt, ſcilicet, quod *ſanum* dictum de urina, & medicina importet diverſam habitudinem; ſed altera in præmiſſis non contenta, videlicet, quod non importet rationem eandem ſecundùm terminum: primam libentèr cum D. Th. (ubi ſuprà, inter diffinitionem explicandam) concedimus; ſecundam verò conſtanter cum ipſo D. Th. negamus, tum propter defectum extrinſecum ſyllogiſmi, ſiquidem ex præmiſſis non infertur ea concluſio, quę in-

fe-

ferenda eſt, tùm etiam, quia (ut ſæpè ſæpiùs nos docet Prę. Ang.) eadem eſt ſanitas, quam animal ſuſcipit, medicina cauſat, & urina ſignificat. Conſequenterque licet habitudo ad ſanitatē in utroque diverſa ſit, ratio tamèn ſanitatis in omnibus eſt eadem ſecundùm terminum, & hoc ſolùm authoritas D. Th. ſuperinducta indicare videtur: quarè teſtimonium eius non contrà nos, ſed potiùs pro nobis eſt.

§. III.

Proprietates analogorum attributionis aſſignantur.

ANaloga prędicta ſuas habent proprietates, quarum *prima* eſt: quod ratio ſignificata per nomen intrinſecè reperitur in analogato principali, & in alijs ſolùm extrinſecè, ſicut ſanitas extrinſecè reperitur in urina, & medicina, & intrinſecè ſolùm in animali invenitur, ut docet Caiet. in opuſc. de nominum analogijs cap. 2.

Secunda eſt: quod ratio ſignificata per nomen eſt una numero, aut eadem ſecundùm terminum, ut expreſſe docet Prę. Ang. 1.2. q.20. art.3.ad 3. per hęc verba: *quando aliquid derivatur ab uno in alterum ſecundum analogiam, vel proportionem, tum eſt tantum unum numero, ſicut à ſano, quod eſt in corpore animalis, derivatur ſanum ad urinam, & medicinam: nec alia ſanitas eſt medicinæ, & urinæ, quam ſanitas animalis.* Et hoc quidem abſolutè verificatur, ſivè analogata ſumantur univerſalitèr, ſive particulariter accipiantur. Cum hac ſola diſtinctione, quod ſi analogata ſumuntur in particulari, illa ratio, ad quam terminantur, eſt uno número poſitivè; ſi autêm in univerſali accipiuntur, ratio illa eſt uno numero negativè, id eſt, non numeratur in illis analogatis ut ſic, quamvis in ſe ſit univerſale quoddam, & non unum numero: v. g. ſi ſumantur hoc animal ſanum, hæc medicina ſana, hæc urina ſana, hæc omnia dicuntur ſana ſanitate exiſtente in hoc animali, videlicet in Petro, quam conſtat eſſe unam numero poſitivè. Petrus enim dicitur ſanus, quia habet hanc ſanitatem, medicina, quia illam cauſat, & urina, quia eandem ſignificat. Si verò accipiantur in communi animal ſanum, medicina ſana, & urina ſana, ſic formalitèr loquendo, ſanitas, à qua huiuſmodi dicuntur ſana, non eſt uno numero poſitivè, verùmtamen eſt una nu-

numero negativè in istis analogatis: non enim numeratur sanitas in animali, urina, & medicina, siquidem non est alia sanitas in urina, alia in animali, & alia in medicina.

Tertia denique proprietas est; quod in diffinitione minus principalis analogati ingrediatur principale, undè si diffiniatur urina, debet diffiniri per *esse signum sanitatis animalis.* Deducimus hanc proprietatem ex D. Th. 1. p. q. 13. art. 6. in corp. ubi ait: *quod in omnibus nominibus, quæ de pluribus analogice dicuntur* (loquitur de analogis attributionis, ut notat Emin. Cajet.) *necesse est, quod omnia dicantur per respectum ad unum. Et ideo illud unum oportet, quod ponatur in diffinitione omnium. Et quia ratio, quam significat nomen est diffinitio, necesse est, quod illud nomen per prius dicatur de eo, quod ponitur in diffinitione aliorum, & per posterius de alijs .... sicut sanum, quod dicitur de animali, cadit in diffinitione sani, quod dicitur de medicina, quæ dicitur sana, in quantum causat sanitatem in animali, & in diffinitione sani, quod dicitur de urina, quæ dicitur sana, in quantum est signum sanitatis animalis* Hactenus D. Th. nos autem non valemus alijs clarioribus verbis ipsius, & nostram mentem manifestare.

Tales verò proprietates ex diffinitione colliguntur; quia si ratio significata est eadem secundùm terminum, vel numericè, non potest esse intrinseca nisi in uno, aliàs numero multiplicaretur: & si est intrinseca in uno, & eadem numero, erit eadem secundùm terminum. Et tandem si tantùm est intrinseca in uno, à quo alia denominantur, non poterunt aliâ diffiniri nisi per ordinem ad ipsum: proindeque ingredietur necessariò diffinitionem aliarum.

Objicies contra primam proprietatem: prima proprietas non convenit omni analogo attributionis: ergò non rectè tradditur. Prob.ant. Ens est analogum attributionis ad Deum, & creaturas, ad substantiam, & accidens, & tamen ratio entis intrinsecè reperitur in Deo, & creaturis, in substantia, & accidenti; ergò prima proprietas non convenit omni analogo attributionis.

Resp. neg. ant.& ad probat. dicimus: ens ad Deum,& creaturas, ad substantiam, & accidens habere utramque analogiam proportionalitatis videlicet, & attributionis, & secundùm quod analogum proportionalitatis intrinsecè

in

in omnibus reperiri ſecundùm verò analogiam attributionis ut ſic, ſolùm intrinſecè reperiri in principali analogato, & in alijs tantùm extrinſecè. Nàm ſi per impoſsibile v. g. creatura non eſſet intrinſecè ens, vel accidens, per attributionem, & denominativè eſſet ens, ut inquit Mag. à Sto. Thom. quia creatura eſt ens ab alio, & accidens in alio. Undè accidens quatenùs analogatum attributionis ſolùm denominatur extrinſecè ens ab entitate ſubſtantiæ, cui comparatùm quaſi non ens reputatur: & creatura denominatur extrinſecè ens ab entitate Dei increata, quatenùs comparata ad illam ſe habet quaſi in ſe non eſſet ens, iuxtà illud Iſaię 40. v. 17. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inanæ reputatæ ſunt ei.*

Secundùm quam doctrinam D. Th. 1. p. q. 6. art. 4. in fine corp. aſſerit: *quod à primò per ſuam eſſentiam ente, & bono unumquodque poteſt dici bonum, & ens, in quantum participat ipſum per modum cuiuſdam aſſimilationis... ſic ergò unumquodque dicitur bonum bonitate divina, ſicut primo principio exemplari effectivo, & finali totius bonitatis. Nihilominus tamen unumquodque dicitur bonum ſimilitudine divinæ bonitatis ſibi inhærente, quæ eſt formaliter ſua bonitas denominans ipſum.* In quibus verbis, cum D. Th. duplicem denominationem entis, & boni admittat in creaturis, unam quidem ab entitate, & bonitate divina, alteram verò ab entitate, & bonitate ipſis creatúris inhærente, neceſſariò debet aſſerere Præcept. Ang. illas ſub diverſis formalitatibus creaturæ competere; quod ſcilicet creatura, ſecundum quod analogatum attributionis formaliter, denominatur extrinſecè ens, & bona ad entitate, & bonitate divina: & ſecundùm quod analogatum formalitèr proportionalitatis, denominatur intrinſecè ens, & bona à propria entitate, & bonitate.

Et per hunc modum facillimè conciliari poſſunt diverſa loca D. Th. quæ primo intuitu non modicam oppoſitionem habere videntur. Nàm 1. p. q. 16. art. 6. in calce corp. agnoſcit inter veritatem creatam, & increatam analogiam attributionis, licet non omninò abſolutè. Cęterùm in q. 2. de verit. art. 11. in corp. ſolùm agnoſcit inter Deum, & creaturam analogiam proportionalitatis, quæ eſt

ſecundùm intrinſecam participationem.

Inſtabis : creatura ſub nulla formalitate poteſt denominari extrinſecè ens : ergò nulla eſt data ſolutio. Prob. ant. Una , & eadem forma non poteſt denominare idem ſubjectum intrinſecè , & extrinſicè ſimùl ; ſed creatura ſub aliqua formalitate eſt intrinſecè ens : ergò ſub nulla poteſt denominari extrinſecè ens.

Reſp. neg. ant.& ad probationem dicimus , creaturam non habere utramque denominationem ab una, & eadem forma , ſed dici intrinſece ens à propria entitate , & extrinſecè ens ab entitate divina.

Dices : implicat creaturam denominari extrinſecè ens ab entitate divina : ergò implicat ſolutio. Prob. ant. Si creatura denominaretur ens ab entitate divina , denominaretur ens divinum , & infinitum , hoc implicat: ergò.

Reſp. neg. ant.& ad probationem neg. mai. Quia quamvis entitas divina , & infinita non poſsit tribuere denominationem entis finiti ſubjecto primario , poteſt tamen ſubjecto ſecundariò , & extrinſeco talem denominationem tribuere, quia alteriùs capax non eſt; & maximè cum ratio divinę , vel infinitæ non ſit ratio formalis denominandi , ſed conditio ad denominandum.

Obijcies contrà ſecundam proprietatem : ſi in analogis attributionis ratio ſignificata per nomen eſſet eadem numero , aut eadem ſecundùm terminum, haberent hæc maiorem unitatem , quàm univoca , hoc non eſt admittendum : ergò nec ſecunda proprietas analogorum attributionis. Prob. mai. uuivoca dicunt unam rationem , quæ eſt una tantùm unitate formali generica , vel ſpecifica , ut patet in homine , & equo , ſecundùm quod univocantur in hoc nomine *animal* : & in Petro, & Paulo, ſecundùm quod univocantur in hoc nomine *homo* : ergò ſi in analogis attributionis ratio ſignificata per nomen eſſet eadem numero , aut eadem ſecundùm terminum , haberent hæc maiorem unitatem, quàm univoca. Patet conſeq. Quia ut ſuprà diximus in lib. univerſalium art. 2. unitas numerica maior eſt unitate formali.

Reſp. neg. ſequelam. Quinimò in analogatis attributionis eſt minor unitas , non ſolùm quàm in univocis, ſed etiam quàm in analogis proportionalitatis. Et ratio eſt, quia

quia quamvis ratio ſignificata per nomen ſit una numero, eſt tamen valdè diverſa; quatenùs intrinſecè reperitur in analogato principali, in alijs verò minùs principalibus ſolum reperitur extrinſecè, & propterea non poteſt abſtrahi ab omnibus illis, ſicut ratio univoca reſpectu univocatorum, in quibus omnibus ratio, licet multiplicata realitèr, reperitur intrinſecè, & ab illis abſtrahibilis eſt abſque aliqua diverſitate. Ideoque ex hac parte minorem unitatem habent analoga attributionis, quàm univoca, ſcilicet quantum ad pręciſionem intellectus, qui non poteſt illam abſtrahere, & tanquàm formam intrinſecam ad inferiora comparare.

Obijcies contra tertiam proprietatem: Deus eſt analogatum principale reſpectu creaturæ, & tamen non debet, nec poteſt poni in diffinitione creaturæ: ergò prædicta proprietas non convenit omnibus analogis attributionis. Prob. min. Deus eſt minus notus creatura, immò per creaturas tanquàm per ſuos effectus Deus ipſe cognoſcitur, iuxtà illud Apoſtoli Roman. 1. v. 20. *Inviſibilia ipſius, à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*: ergò Deus non debet poni in diffinitione creaturæ, aliàs diffinitio non eſſet clarior, & notiòr diffinito.

Reſp. neg. min. Nam creatura ſecundùm quod eſt analogũ attributionis exercitè diffinitur per *eſſe eius participatum à Deo*, ut indicat D. Th. q. 2. de verit. art. 11. ad 6. & ità Deus debet poni tanquam terminus extrinſecus in eius diffinitione, quę licet ſecundùm intrinſeca debeat eſſe notior diffinito, non tamen quantùm ad extrinſeca, nàm quod ingreditúr in diffinitione alicuius ut terminus extrinſecus, ſufficit quod ſit notum quantum ad *an eſt*, ſicut terminus diffinitur per ordinem ad propoſitionem, & tamen propoſitio notior non eſt, alias ab illa incipiendum eſſet. Quibus addere potes, ſi libet, quæ ſuprà diximus in lib. Prædicabilium, pro diffinitione ſpeciei ſubijcibilis, in reſponſione ad inſtantiam prime argumenti.

§. IV.

Explicatur diffinitio Analogorum proportionalitatis.

ANaloga proportionalitatis ea ſunt: *quorum nomen eſt commune, ratio vero ſignificata per nomen eſt proportionabiliter eadem.* Quæ diffinitio conſtat genere, & differentia; nàm illa particula *quorum nomen eſt commune* gerit vicem generis; eo quod in hoc univoca, æquivoca, & analoga attributionis conveniunt: alia verò particula loco differentię ponitur, nàm per illam diſtinguuntur analoga proportionalitatis ab univocis, æquivocis, & analogis attributionis. Quia in univocis ratio eſt omninò una, in æquivocis omninò diverſa; in analogis verò attributionis eſt una numero, aut eadem ſecundùm terminum, ſed diverſa ſecundùm habitudinem ad illum: in his autèm analogis ratio eſt proportionabiliter eadem. Adeſt exemplum in *viſu*, qui analogicè dicitur de intellectu, & oculo corporali, quia ità ſe habet intellectus ad obiectum clare cognitum, aut intellectualiter viſum, ſicut oculus corporalis ad videndùm obiectum, ut indicat D. Th. 1. p. q. 67. art. 1. (quod idem in alijs ſenſibus externis cernere licet, dicimus enim vide, quomodo ſapit, vel quomodo redolet, vel quomodo eſt calidum, & in hoc ità ſe habere analogia proportionalitatis conſiſtit.

Hęc autem analogia proportionalitatis alia eſt *propria*, quando videlicet ratio ſignificata per nomen utrique analogato convenit propriè, & abſque metaphora: ſicut ratio *entis* convenit ſubſtantiæ, & accidenti, ratio *principij* convenit cordi, fonti, puncto, atque domus fundamento: ſicut enim à corde vita incipit, ità rivus à fonte, linea à puncto, & domus à fundamento. Sic etiam *rex* dicitur de rege Catholico, de rege apum, de Aquila reſpectu avium, & de Leone reſpectu ferarum, quia hoc modo ſe habent in multitudine ſui generis, ſicut Catholicus rex in Hiſpanorum multitudinę. Alia verò eſt *metaphorica*, quando videlicet ratio ſignificata per nomen convenit uni propriè, aliis verò impropriè, & metaphoricè: ſicut riſus convenit homini, & amœnitati prati, ridere enim dicuntur, homo, cum lætus

tus eſt, & prata, cum floribus ornantur, verùm amœnitas prati ſolùm impropriè dicitur riſus ridere enim dictum de prato (ut inquit D. Th. 1. p. q. 13. art. 6. in corp.) nihil aliud ſignificat, quàm quod pratum ſimiliter ſe habet in decore, cum floret, ſicut homo cum ridet, ſecundum ſimilitudinem proportionis. Sic etiam hoc nomen *Leo* dicitur de Chriſto Dño, & vero Leone; ſed Chriſtus Dñs ſolùm improprie dicitur Leo, quia nomen Leonis dictum de Chriſto nihil aliud ſignificat, quàm quod ipſe ſimiliter ſe habet, ut fortiter operetur in ſuis operibus, ſicut Leo in ſuis: & ideó Leo eſt analogum metaphoricè ad verum Leonem, & Chriſtum Dñm, & riſus ad riſum hominis, & amœnitatem prati.

Huiuſmodi analogia frequentèr utitur ſcriptura ſacra, dùm res divinas per metaphoram, & proportionem ad creaturas nobis proponit. Sic Dominus dixit ad Moyſem, ut habetur Exodi 32. v. 10. *dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos.* Sic etiam Deus dicitur aliquandò pacari, ſurgere, quieſcere, aſcendere &c. in quantum producit aliquos effectùs proportionatos illis, quos producunt homines irati, pacari, quieſcentes, &c. ſic dùm punit, dicitur iratus, dùm parcit, pacatus, & dùm ceſavit ab univerſo opere, quod patrarat, requieviſſe dicitur.

Obijcies contrà diffinitionem analogorum proportionalitatis. Diffinitio traddita convenit univocis: ergó non eſt bona. Prob. ant. Etiam in univocis ratio ſignificata per nomen eſt proportionabilitèr eadem: ergó præfata diffinitio univocis cõvenit. Prob. ant. Ideó in his analogis ratio analoga eſt proportionabilitèr eadem, quia analogata intèr ſe proportionantùr; ſed etiam univocata *homo*, & *equus* v.g. in ratione animalis proportionantur, nàm ſicut ſe habet *homo* ad rationem animalis, ità proportionabilitèr *equus* ſe habet: ergó etiam in univocis ratio ſignificata per nomen eſt proportionabilitèr eadem.

Reſp. neg. utrumque ant. & ad probationem dicimus cum Caietano in opuſc. de nominum analogia, hanc eſſe differentiam intèr univocationem, & analogiam proportionalitatis, quod res fundantes univocationem ſunt ſic ad invicem ſimiles, quod fundamentũ ſimilitudinis in una eſt eiuſdem rationis omninò cum fundamento ſimilitudinis in alia; res autẽ analogiã fundãtes ſic ſunt ſimiles, quod fundamentum ſimilitudinis in una

est diversæ rationis simplicitèr à fundamento illius in alia. Homo autem, & equus, secundùm quod univocantur in hoc nomine *animal*, sunt eiusdem omninò rationis, & in unoquoque consideratur secundùm se animalitas, quæ est fundamentum similitudinis; ideoque in rerum natura fundant secundùm suas animalitates similitudinem univocam, quę identitas generica vocatur, & in esse cognito adunantur ad unam tantùm animalitatem, quæ *animalis* nomine in concreto per se primò significatur, & univocè vocatur communi nomine *animal*. Nam omnium eorum, in quantùm habent naturas sensitivas, est indistincta omninò ratio, quę quidem adæquata est diffinitio illius rei, quam vocamus animalitatem. In analogis verò proportionalitatis analogata non sunt eiusdem omninò rationis, sed quædam participant illam simplicitèr, quædam verò solùm proportionaliter, ut patet in *ente* respectu substantię, & accidentis, quæ solùm retinent similitudinem in hoc, quod unumquodque eorum secundùm suam proportionē habent esse; ideoque in rerum natura solùm fundant similitudinem proportionalem, seù analogam: & in esse cognito non adunantur ad unam entitatem simplicitèr, sed ad unam proportionalitèr, quæ analogicè vocatur communi nomine *ens*. Consequenterque univoca, & analogata diversimodè proportionantur.

§. V.

Assignantur proprietates analogorum proportionalitatis.

HÆc etiam analoga proportionalitatis suas habent proprietates, quarum *prima est*, quod ratio significata per nomen reperitur in omnibus intrinsecè, sicut ratio principij in corde, fonte, atque fundamento domus: & huius ratio est, quia debet esse eadem proportionabilitèr, & nō esset eadem proportionabiliter, si esset in uno tantùm eadē, & una, quia eiusdem ad seipsum non est similitudo, & proportio.

Secunda proprietas est, rationem communem analogam esse realitèr multiplicatam, aliàs esset eadem realitèr sicut natura divina. Et *tertia* est, quod in diffinitione unius non debet necessariò ingredi alterum analogatum.

Obijcies: non potest intelligi analogatum proportionalitatis, nisi intelligatur proportio inter ipsum, & aliud analogatum; sed hæc pro-

proportio non poteſt intelligi non intellectis extremis proportionatis : ergò unum analogatum non poteſt ſine altero cognoſci, vel diffiniri.

Reſp. diſt. mai. niſi intelligatur *exercite*, conc. mai. *ſignate*, neg. mai. & diſt. min. intelligi *ſignatè*, conc. min. *exercite*, neg. min. & conſeq. Quamvis namque analoga proportionalitatis habeant proportionem inter ſe, non tamen illam important ſignatè, & expreſsè, ſicut album importat albedinem; ſed ſolùm talis proportio exercetur in illis, & ideó poteſt unum ſine altero cognoſci : ſicut poteſt cognoſci albedo, in qua unum convenit exercitè cum alio, quin alterum cognoſcatur.

§. VI.

Corollaria ex dictis.

EX dictis colligitur primò, quod licet omnia analoga ſint æquivoca à conſilio, non tamen è contra; ſunt enim quædam æquivoca à conſilio, quę analoga non ſunt: quemadmodum cognati Joannis Baptiſtæ volebant eum appellare nomine Patris ſui *Zachariam*, & ſi quis ob propinquitatem, & benevolentiam regis Catholici nùnc fœliciter regnantis, vel etiam ab eius gratiam conciliandam, nomine eius nuncuparet filium *Ferdinandum*, hęc quidem nomina æquivoca ſunt, ut indicat D. Th. 1. Perihermen. lect. 10. lit. a. & etiam conſilio quodam ſunt impoſita, & tamen non ſunt analoga, quia non ſignificant res propter proportionem, & ſimilitudinem unius ad alterum.

Secundò infertur, quod analoga in hoc differunt ab æquivocis à caſu quod hęc pluribus impoſitionibus ſignificant, illa verò nonniſi unica, ſicut hoc nomen *canis* primò impoſitum eſt ad ſignificandum animal latrabile, poſteà ad ſignificandum canem marinum, & deinde ad ſtellam canem ſignificandam; ſed hoc nomen *riſus* non fiet impoſitum niſi ad ſignificandum riſum hominis, & propter proportionem, & ſimilitudinem unus tranſtulit ad ſignificandum : decorem prati, *ſanum* fuit impoſitum ad ſignificandam ſanitatem animalis, ut propter proportionem ad iſtã urinam ſignificat &c. Et pari forma hoc nomen *ens* impoſitum fuit ad ſignificandum id quod eſt, abſtrahendo à ſubſtantia, & accidenti, Deo, & creatura, licet illud ſimplicitèr ſit in ſubſtantia, & ſecundùm quid in accidentibus.

Tertiò infertur, quod analogum ſemper ſignificat unum per priùs, & aliud per poſterius, & illud priùs eſt ſignificatum principale, licet quandoque ſit res minus principalis ſicut nomen *viſionis*, quod primò impoſitum eſt ad ſignificandum actum ſenſus viſus, principalius ſignificat viſum, quàm intellectum, licet intellectus ſit res principalis, & hac nomen *Leo* principalius ſignificat verum Leonem, quàm Chriſtum Dñum.

Tandem infertur, analogis attributionis, & metaphoricis non correſpondere unum conceptum, ſed plures, cum habitudine unius ad alterum, vel plurium ad unum tertium, & ratio eſt, quia in analogis attributionis ratio analoga, ſolùm reperitur intrinſecè in principali analogato, in alijs verò tantùm extrinſecè, & per connotationem ad illud: & in analogis metaphoricis ratio analoga, licet ſit intrinſecè in omnibus analogatis, non reperitur in omnibus intrinſecè propriè, ſed in uno propriè, & in alijs metaphoricè. Et ità in his analogis ratio analoga eſt tantùm ordine, ſeu connotatione una, abſolute tamen analoga plurium conceptuum appellatur, quia nunquàm illis unus tantum correſpondet conceptus, ſed duo, vel plures, cum ordine tamen, & connotatione (ut diximus) unius, vel plurium ad alterum.

Analogis verò proportionalitatis propriæ, ut condiſtinctis ab analogis attributionis, & metaphoricis, correſpondet unus conceptus cõmunis omnibus analogatis, confuſus tamen, & imperfectus, actuque includens, licet non explicitè, omnes rationes analogatorum. Quia ratio cõmunis intrinſecè propriè in omnibus analogatis reperitur, & ab omnibus, licet non quoad implicitum, & perfectè, ſaltim ſecundum explicitum, & imperfectè præſcindere poteſt.

ART. II.

Quænam ſint cauſæ analogiæ? Et an ſola tranſcendentia illam cauſare ſufficiat?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis ſtatuitur noſtra concluſio.

AD articuli intelligentiam ſupponẽdum eſt, quod ſi ſermo ſit de analogia communiter dicta, tres ſunt præcipuæ cauſæ analogiæ, ratio videlicet, neceſſitas, & etiam ſermonis venuſtas. *Ratio* quidem analogiæ indicit, quia

quia ea, quæ aliquid reſpiciunt, meritò ab eo denominantur, ut charitas, ſcriptura, lex, & Sacerdos meritò divina dicuntur, eo quod Deum reſpiciant. Neceſsitas etiam, nàm cum in quibuſdam linguis, & ideomatibus ſit nominum penuria, vox unica ad pluta aliquo modo ſimilia ſignificanda transferri debuit. Denique *fermonis venuſtas*; nàm cum intellectus noſter proportionibus delectetur, expreſsionibus gaudet metaphoricis, & analogicis, quibus una res per aliam ſimilem ob oculos ponitur: modi enim analogicę, & metaphoricę locutionis habent elegantiam, & abſtractionem, quia non ſimplici modo, ſed quaſi quodam circuitu, & connotatione res ſignificant. Verùm ſi ſermo ſit de analogia logica, (quę ſola eſt inſtituti preſentis) illud eſt cauſa analogiæ, quod eſt principium, & ratio, ob quam ratio communis cum diverſitate ab inferioribus participetur. Quo prę-intellecto.

Supponimus primò: quod, *quando ratio communis inæqualiter participatur ab inferioribus, eſt analoga ad inferiora.* Et hoc quidem veriſsimum eſt, etiamſi reperiatur abſque dependentia unius ab altero, nàm ſi etiam adeſt dependentia unius ab altero, tùm duplex interveniet principium, & cauſa analogiæ: ſcilicet inæqualis participatio rationis communis, & dependentia unius ab altero, non adequando virtutem illius. Ratio autem ea eſt; quia ratio communis inęqualitèr participata eſt partim eadem, & partim diverſa: ergò analoga eſt. Prob. ant. In tali ratione habent inferiora convenientiam ex parte, qua illam participant, & habent diverſitatem ea parte, qua inęqualiter illam partipant: ergò ratio prędicta eſt partim eadem, & partim diverſa. Sicut ratio entis eſt partim eadem in ſubſtantia, & accidenti, quatenus ambo conveniunt in eſſe, & partim diverſa, quatenùs ſubſtantia eſt ens ſimplicitèr, & accidens eſt ens ſecundùm quid: ſicut & ſpecies, quę hominem repręſentat, repreſentitativè, & ſecundùm quid eſt homo, & propterea convenit analogicè cum homine vero, quia hic ſimplicitèr dicitur homo, ſpecies verò ſimilitudinariè tantùm, & ſecundùm quid.

Se-

Secundò ſupponimus *dependentiam unius ab alio in aliqua ratione communi eſſe cauſam analogiæ.* Nàm quando inferiora rationem communē participant cum dependentia unius ab alio, habent convenientiam, & etiam diſconvenientiam in ratione prædicta, convenientiam quidem, eo quod illam participant, & diſconvenientiam, quatenùs unum participat illam deficienter, & cum dependentia ab alio: ergò ratio prędicta eſt partim eadē, & partim diverſa, & conſequēter analoga.

Addimus tamen, talem dependentiam per ſe primo cauſare analogiam attributionis, quia ubi adeſt talis dependentia, analogatum minus principale denominatur à forma exiſtente in altero, ſicut urina denominatur ſana à ſanitate animalis, à quo urina in ratione ſani dependet. Et quamvis dependentia hæc reperiatur in his, quæ ſimul ſunt analoga proportionalitatis, in illis tamen prout ſic materialiter concurrit, ut antecedenter vidimus: quia analogia proportionalitatis non per ſe talem dependentiam requirit.

Objicies: Non eſt dabilis dependentia unius ab alio in aliqua ratione communi: ergò nulla dabitur analogia orta ex dependentia. Prob. ant. Si aliqua eſſet, maximè dependentia, quam habet creatura à Deo in ratione entis; ſed hæc non eſt dependentia in ipſa ratione communi, aliàs creatura etiam dependeret à ſeipſa, cum ipſa ſit ens: ergò non eſt dabilis dependentia unius ab alio in aliqua ratione communi.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. min. in ipſa ratione communi *ſumpta adæquate*, conc. min. *inadæquate accepta*, neg. min. & conſeq. Quia licet creatura non dependeat à Deo in ratione communi entis adęquatè conſiderata, & prout implicitè continet ens creatum, & increatum, ut convincit argumentum; dependet tamen à Deo in ratione communi entis inadæquatè conſiderata, & quatenùs implicitè continet creaturam: prout ſic enim creatura, etiam ſi ſubſtantia ſit, tanquàm nihilum eſt ante Deum. Et hęc quidèm brevi calamo perſtringimus, quia de his nullùm eſt ferè diſſidium inter Logicos, ſaltem quos ego viderim.

An autem ſola tranſcendentia analogiam cauſare ſufficiat, pręcipua difficultas eſt Domeſticos inter, & extraneos. Negant Scotus, Suarez, & alij, quibus noviſsimè adhæret P. Ludovicus Loſſada. Af-

ſir-

firmant veró fideles D. Th. Diſcipuli, cum quibus hæc erit.

§. II.

Noſtra Concluſio.

Sola tranſcendeutia ſufficit cauſare analogiam.

PRobatùr concluſio noſtra ratione: ſola tranſcendentia ſufficiens eſt, ut ratio tranſcendens ſit partim eadem, & partim diverſa: ergò ſola illa ſufficit cauſare analogiam. Prob. ant. Tranſcendentia conſiſtit in eo, quod prædicatum aliquod intimè imbibatur, & ſit in illis, in quibus inferiora conveniunt, & etiam in illis, in quibus differunt inferiora; ſed tale prędicatum, quatenùs in illo inferiora conveniunt, eſt idem, & quatenùs imbibitur in illis, in quibus differunt inferiora, eſt diverſum: ergó ſola tranſcendentia ſufficiens eſt, ut ratio tranſcendens ſit partim eadem, & partim diverſa, & conſequenter analoga.

Explicatur ratio prædicta: prædicatum tranſcendens eſt principium conveniendi, & principium diſtinguendi: ergò eſt partim idem, & partim diverſum, & conſequentèr analogum. Prob. ant. Illud, ſine quo non poteſt intelligi prędicatum, in quo inferiora conveniunt, eſt principium conveniendi, & illud, ſine quo non poteſt intelligi prędicatum, in quo diſtinguũtur inferiora, eſt principium diſtinguendi; ſed prædicatum, in qúo inferiora conveniunt, & prædicatum, in quo differunt inferiora, intelligi non poſſunt ſine prædicato tranſcendenti, aliàs tale prædicatum non trãſcenderet omnia, quæ in inferioribus inveniuntur, nec eſſet de illorum quidditate: ergò prædicatum tranſcendens eſt principium conveniendi, & principium diſtinguendi.

Secundò prob. concluſio noſtra: Accidens, ut abſtrahit à completo, & incompleto, eſt analogum ad novem prædicamenta accidentis, nàm ſi eſſet univocum, eſſet genus ad omnia illa, conſequentèrque novem prædicamenta non eſſent genera ſuprema; ſed ſola tranſcendentia cauſat talem analogiam: ergò ſola illa ſufficit cauſare analogiam. Prob. min. Novem genera accidentis ſunt ſimplicitèr accidentia, & unum non pendet ab alio in ratione accidentis, conſequenterque nec inæqualitèr participant rationem cõmunem, nec cum dependentia ùnius ab altero; ſed præter hæc non remanet alia cau-

causa analogiæ, nisi sola transcendentia : ergò sola transcendentia causat analogiam prædictam.

§. III.

Solvuntur argumenta.

CONtrà conclusionem istam arguitur primò: majorem convenientiam fundat ratio transcendens, quàm univoca ; sed ratio univoca fundat convenientiam sine diversitate, & non est analoga : ergò ratio transcendès analoga etiam non est. Prob. mai. In ratione transcendente conveniunt inferiora secundùm omnia prædicata, quę habent, siquidem ipsę etiam ultimę differentię cōveniunt in ratione entis, sed in ratione univoca non conveniunt inferiora secundùm omnia, quæ habent, nàm ultimæ differentiæ non conveniunt in ratione animalis v. g.: ergò majorem convenientiam fundat illa, quàm ista.

Resp. dist. mai. *extensive*, conc. mai. *intensive*, neg. mai. Licet namque in ratione trāscendenti conveniant plura inferiora, eo quod ratio transcendens facit ea convenire nedùm in genere, verùm etiam in differentijs ; sed quia cum eo ipso, quod in differentijs faciat convenire, etiam differre faciat, non fundat convenientiam simpliciter talem, sed partim convenire, & partim differre facit. Ratio autem univoca, cum sit omninò eadem, fundat convenientiam sine diversitate, & in ea nullatenus differunt inferiora: ideoque in prędicta ratione magis conveniunt formaliter intensivè inferiora.

Secundò arguitur : ratio entis, quamvis transcendens, non est partim eadem, & partim diversa : ergò non omnis transcendentia causat analogum. Prob. ant. In ratione entis non differunt inferiora, sed potius conveniunt : ergò ratio entis non est partim eadem, & partim diversa. Prob. ant. Rationale, & irrationale sunt inferiora entis, & tamen non differunt, sed potiùs conveniunt in ente, eo quod utrumque est simpliciter ens : ergò in ratione entis non differunt, sed potiùs conveniunt inferiora.

Resp. neg. ant. & ad probat. dist. ant. in ratione entis pro *explicito entis*, conc. ant. *pro implicito*, neg. ant. & conseq. Quia in ente continentur implicitè rationes particulares, quibus differunt inferiora : ideoque rationale, & irrationale, & alia conveniunt in explicito entis, sed in ente quan-

quantum ad implicitum distinguuntur.

Instabis: rationale, & irrationale differunt etiam secundùm illud, quod explicant; sed non explicant ens, ut per se patet: ergò non differunt in ente.

Resp. dist. conseq. in ente, *ut ab ipsis explicato*, conc. conseq. *ut implicite continente id, quod explicant*, neg. conseq. Quia licet rationale, & irrationale non differant in ente, ut ab ipsis explicato, quia ipsa non explicant ens, nihilominus, quia hac explicatum in quo differunt rationale, & irrationale, implicitè continetur in ente, ideò & ipsa differunt in ente, ut implicitè continente hoc explicitum, in quo ipsa distinguuntur.

ART. III.

Utrum ens sit analogum ad inferiora sua.

§. I.

Quibusdam prælibatis statuitur prima conclusio.

IN articulo præsenti supponimus primò, ens communiter sumptum accipi posse dupliciter *nominaliter* videlicet, & *participialiter*. Ens nominaliter sumptum, seu acceptum in vi nominis substantivi dicitur quidditas, & essentia cuiuscumque rei, quæ opponitur nihilo, in quo sensu etiam creaturæ possibiles entia dicuntur, quatenùs suas essentias habent, ut docét D. Th. 4. Metaph. lect. 2. per hæc verba: *hoc nomen ens, quod imponitur ab ipso esse, significat idem cum nomine, quod imponitur ab ipsa essentia.* Ens verò *participialiter*, seu ut est participium verbi substantivi *sum, es, fui*, idem est, quod existens, seu habens esse actuale; undè de formali significat existentiam: cumque existentia sit extrà essentiam cuiuscumque rei creatæ, indè fit, quod ratio entis *participialiter* convenit accidentaliter, & propterea creaturę possibiles in illo statu, ubi tantum habent essentialia prædicata, non dicuntúr participialiter éntia.

Secundo notandum est, ens *nominaliter* sumptum dividi in ens *reale*, & *rationis*. Duobus enim modis aliquid esse potest, vel in sola mentis apprehensione, ut syllogismus, propositio &c. & hæc dicuntur *entia rationis*: vel etiam extrà mentem in ipsa rerum natura, ut homo, lapis, &c. & hæc dicuntur *entia realia*. Ens reale dividitur in ens *completum*, quod directè ponitur in prædicamen-

mento, & in ens *incompletum*, quod reductivè in prædicamento ponitur. Rursus ens reale dividitur in *increatum*, & *creatum*, seu in creatorem, & creaturam. Eorum enim, quæ sunt in rerum universitate, quædam sunt ab alio, ut homo, planta, & generalitèr omne, quod à seipso non est. Et cum impossibile sit omnia esse ab alio, necessariò deveniendum est ad aliquid, quod sit à seipso, & eiusmodi ens vocatur Deus, qui etiam dicitur *ens per essentiam* ad distinctionem creaturæ, quæ solùm dicitur ens per *participationem*.

Tandem ens creatum dividitur in *substantiam*, & *accidens*. Eorum enim, quæ producta sunt à Deo, & sunt entia per participationem, quædam habent esse in seipsis, ut *homo*, *lapis*, *&c.* quædam verò non habent esse nisi in alio, ut virtus, & pulchritudo. Quæ habent esse in seipsis, vocantur substantiæ, quæ verò habent esse in alio, vocantur accidentia, & hæc ulteriùs dividuntur in novem prædicamenta accidentis, de quibus lib. seqnenti disseremus. Hæ sunt frequentiores entis divisiones, ad quas omnes aliæ, quę in Metaphisica recensentur, facilè revocari possunt.

Tertiò supponendum est, quod huiusmodi divisiones nō possunt esse æquivocæ, quia æquivoca solùm conveniunt in voce, non tamen in re per vocem significata: omnia autem membra prędicta conveniunt nedùm in voce, sed in *esse* significato per vocem, eo quod omnia sunt entia, sive vera, sive ficta. Insuper etiā in æquivocis unum non est effectus alterius, quia effectus, & causa aliquam veram convenientiam habent: & ens rationis est effectus entis realis, & accidens effectus substantię, & creatura effectus Dei, proindeque non ęquivocè conveniunt. Rursus: per unum ęquivocum non possumus venire in cognitionem alterius, qualitèr per cognitionem creaturarum venimus in cognitionem Dei, ut docet D. Th. 1. p. q. 13. art. 5. in corp. & similiter per accidentia venimus in cognitionem substantiæ.

Quæræ difficultas est, an ratio entis sit analoga ad inferiora prædicta? In quo partem affirmativam defendimus cum doctrina communiori Logicorum. Ideòque cum illis hæc erit.

§. II.

§. II.

Prima concluſio.

Ens reale, ut abſtrahit à completo, & incompleto eſt analogum ad Deum, & creaturas, ſubſtantiam, & accidens.

CONcluſionem probamus pro ea parte, qua de Deo, & creaturis procedit: quia inter extrema infinitè diſtantia non poteſt dari convenientia ſimplicitèr talis, & perfecta ſimilitudo; ſed Deus, & creatura infinitè diſtant: ergò non poſſunt ſimplicitèr, & univocè, ſed ſolùm analogicè convenire. Prob. mai. Diſtantia tollit ſimilitudinem: ergò inter extrema infinitè diſtantia non poteſt dari convenientia ſimplicitèr talis, & perfecta ſimilitudo.

Confirmatur: quæ conveniunt ſimpliciter in aliqua ratione, non diſtinguuntur in illa; ſed Deus, & creatura diſtinguuntur in ratione entis realis, ſiquidem omnes creaturæ, quaſi non ſint, ſic ſunt coram Deo, & quaſi nihilum, & inane reputatę ſunt ei; Deus autem eſt primum, & infinitum ens, & dicitur ipſum eſſe, iúxta illud Exod. 3. v. 14. *Ego ſum, qui ſum*: non autem eſſet Deo nomen ipſum eſſe (ut inquit D. Aug. ſuper 2. partem Pſalmi 101.) niſi quid quid aliud eſt, ei comparatu, inveniretur non eſſe verè: ergo Deus, & creatura, ſolùm poſſunt analogicè convenire in ratione entis realis. Ex quo conſtat ſubſtantiam, & accidens non convenire ſimpliciter in ratione entis, ſed potiùs in illa diſtingui, ſiquidem ſubſtantia eſt ens ſimplicitèr, & accidens eſt ens ſecundùm quid.

Doctrinam iſtam, quantum ad partem de Deo, & creatura procedentem, docuit Ang. Doct. 1. cont. gent. cap. 32. dicens: *Omne, quod de pluribus univocè prædicatur, vel eſt genus, vel eſt ſpecies, vel differentia, vel accidens, aut proprium. De Deo autem nihil prædicatur, ut genus, ut ſuprà oſtenſum eſt, cap. 25.: & ſimiliter nec ut differentia, nec etiam ut ſpecies, quæ ex genere, & differentia conſtituitur, nec aliquid ei accidere poteſt, ut ſuprà demonſtratum eſt cap. 24. & ità nihil de Deo prędicatur neque ut accidens, neque ut proprium, nam proprium de genere accidentium eſt: relinquitur igitur nihil de Deo, & rebus alijs univoce prædicari.*

Ratione tamen generali prob. concluſio noſtra: ratio entis in ordine ad inferiora relata eſt partim eadem, & partim

tim diverſa: ergo analoga eſt. Prob. ant. quoad primam partem. Omnia inferiora prædicta participant rationem entis, & in illa conveniunt: ergò ratio entis eſt partim eadem. Quantum ad ſecundam verò partem, eſſe videlicet partim diverſam, ſic probatur. Inferiora ipſa differunt per rationem entis: ergo ratio entis partim diverſa eſt. Prob. ant. Differunt per differentias ſuas, ſed eorum differentiæ ſunt formaliter, & eſſentialiter entia, ergó differunt per ipſam rationem entis. Sicut ſi differentiæ rationalis, & irrationalis, eſſent eſſentialiter animal, non ſolùm homo, & equus, per differentias ſuas differrent, ſed etiam diſtinguerentur per rationem animalis.

Tàndèm prob. concluſio ratione utramque partem concincente, ſimùlque impugnante Scotum, & alios oppoſitum ſentientes. Univoca ſunt, quæ contrahuntur per differentias extra rationem communem poſitas, analoga verò, quæ determinantur per diverſos modos participandi rationem communem; ſed ens non contrahitur à Deo, & Creatura, nec à ſubſtantia, & accidenti, per differentias poſitas extrà rationem entis, ſed ſolum per diverſos modos eſſendi: ergó ens non univocum, ſed ſolùm analogum eſt ad Deum, & Creaturas, ad ſubſtantiam, & accidens. Mai. ex dictis ſufficienter conſtare poteſt. Min. verò prob. ex D. Th. q. 7. de potent. art. 7. in corp. ubi ex eo prob. quod de Deo, & Creatura, de ſubſtantia, & accidenti nihil univocè prædicatur, *quia ſubſtantia eſt ens tanquam per ſe habens eſſe, accidens verò tanquam cuius eſſe ens ineſſe. Deus etiam alio modo ſe habet ad eſſe, quàm aliqua alia creatura*, ergò ratio entis non contrahitur â Deo, & Creatura per differentias poſitas extrà rationem entis, qualiter requiritur ad univocationem, ſed ſolum per diverſos modos habendi rationem entis, nempè per hoc, quod Deus eſt ipſum eſſe puriſſimum, & plenitudo eſſendi, creatura verò eſt quædam illius participatio, & tenue veſtigium; & in creaturis ſubſtantia eſt ens ſimpliciter, accidens verò ſecùndum quid, ſeù modus entis; & cum aliundè ratio entis non poſſit æquivocè dici de inferioribus relatis, ut inſinuavimus in 3. notabili, & loc. cit. de potent. prob. D. Th. contra Rabbi Moyſem ſolùm reſtat, quod analogicè dicatur de Deo, & Creatura, ſubſtantia, & accidenti. Quod etiam multis probat D. Th. 1. p. q. 13. art. 5.

§. III.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntrà concluſionem arguitur primò : Deus, & Creatura ſunt eiuſdem rationis in ratione entis: erg. univocè conveniunt. Prob. ant. primò. Menſura, & menſuratum ſunt eiuſdem rationis; ſed Deus eſt menſura omnium creaturarum in ratione entis : ergò Deus, & creatura ſunt eiuſdem rationis in ratione entis. Prob. min. Deus eſt primum ens; ſed à primo in quocumque genere menſurantur cætera talis generis, ut docet D. Th. 1. 2. q. 90. art. 1. in calce corporis: ergò Deus eſt menſura omnium creaturarum in ratione entis.

Secundò prob. ant. Id, per quod aliud tanquam per medium cognoſcitur, eſt eiuſdem rationis cum objecto cognito; ſed Deus per ſuam eſſentiam cognoſcit creaturas: ergò Deus & creatura ſunt eiuſdem rationis in ratione entis.

Reſp. ad argumentum, neg. ant. & ad 1. probationem diſt. mai. menſura *proportionata* conc. mai. *non proportionata*, neg. mai. & diſt. min. menſura *non proportionata*, conc. min. *proportionata*, neg. min & conſeq. Licet namque menſura quantitativa, & proportionata debeat eſſe homogenea, & eiuſdem rationis cum menſurato, hoc tamen non eſt verum de menſura improportionata, & ſuperexcedenti: Deus autem non eſt menſura proportionata menſuratis, dicitur tamen menſura omnium, ex eo quod unmquodque tantum habet de eſſe, quantum ei appropinquat, ut docet D. Th. 1. p. q. 3. art. 5. ad 2. & q. 13. art. 5. ad 3. & q. 7. de potent. art. 7. ad 1.

Ad 2. probationem reſp. diſt. mai. eiuſdem rationis, cum objecto cognito, vel *quid ſuperius ad ipſum*, conc. mai. eiuſdem rationis *præciſè*, neg. mai. & conc. min. neg. conſeq. Nam (ut inquit D. Th. q. 7. de potentia, art. 7. ad 5. in quantum ſpecies intelligibilis eminentior eſt in aliquo, tanto ex èa relinquitur perfectior cognitio, ſicùt ex ſpecie lapidis in intellectu, quam in ſenſu. Unde per hoc Deus perfectiſsimè poteſt cognoſcere res per ſuam eſſentiam, in quantum ſua eſſentia eſt ſuper eminens ſimilitudo rerum, & non adequata.

Secundò arguitur : ubicumque eſt communitas analogię, ibi eſt aliqua ſimilitudo; ſed inter Deum, & creaturam nulla poteſt eſſe ſimilitudo: ergò non poteſt aliquid eſſe commune utrique ſecundum analogiam, conſequenterque ens non erit analogum ad Deum,& creaturas. Prob.min. In ſimilibus eſt mutua ſimilitudo; ſed creatura non eſt ſimilis Deo, nec Deus ſimilis alicui creaturæ, dicitur enim Iſaię 40. v. 18. *Cui ſimilem feciſtis Deum?* Et Pſalm.82. v. 1. *Deus quis ſimilis erit tibi?* Quaſi dicat, nullus: ergò inter Deum, & creaturam nulla poteſt eſſe ſimilitudo, ac proinde nec analoga convenientia in ratione entis.

Reſp. diſt. min. nulla poteſt eſſe ſimilitudo *perfecta*, conc. min. *imperfecta*, neg. min. & ad prob. diſt. mai. In *ſimilibus unius ordinis* conc. mai. *diverſi ordinis*, neg. mai. & diſt.min.quoad primam partem, creatura non eſt ſimilis Deo *perfectè* conc. min. *imperfectè*, neg. min. & conſeq. ſub eadem diſt. Duplex namque eſt ſimilitudo,perfecta videlicet, & imperfecta : perfectè ſimilia dicuntur, quæ communicant in eadem forma ſecundum eandem rationem, & modum, ſicut duo æqualiter alba dicuntur ſimilia in albedine. Imperfectè verò ſimilia dicuntur, quę non communicant in forma ſecundum eandem rationem generis, & ſpeciei, ſed ſecundum analogiam tantùm : & hoc modo, licet Deus non ſit dicendus ſimilis creaturis, creaturæ tamen, in quantum ſunt entia per participationem, aſsimilātur Deo ut primo, & univerſali principio totius eſſe ; Et rationem aſsignat D. Th. q.2. de verit. art. 11.ad 1.quia ſcilicet,quòd fit ad imitationem alicuius, ſi perfectè id imitetur, ſimpliciter poteſt ei ſimile dici, ſed non è converſo, quia homo non dicitur ſimilis ſuæ imagini, ſed è converſo. Si autem imperfectè imitetur, tùnc id quod imitatur,poteſt dici ſimile,& diſsimile ei, ad cuius imitationem fit; ſimile, ſecudum quod repreſentat ; ſed non ſimile, in quantum deficit à perfecta repræſentatione. Et ideò Sacra Scriptura Deum creaturis eſſe ſimilem omnibus modis negat ; ſed creaturam eſſe ſimilem Deo, quandoque quidem concedit, quandoque autem negat : concedit, cum dicit hominem ad ſimilitudinem Dei factum, ſed negat, cum dicit, *Deus, quis ſimilis erit tibi?*

Ter-

Tertiò arguitur : Ratio entis, ut ſignificata per nomen, ſeù conceptum *ens*, eſt univoca ſubſtantię, & accidenti: ergò non eſt analoga Prob. ant. Tùnc datur vnivocatio, quando nomen eſt commune, & ratio ſignificata per nomen eſt omninò eadem identitate, ſivè unitate rationis; ſed ratio entis ſignificata per nomen *ens* commune ſubſtantiæ, & accidenti, eſt omninò eadem identitate rationis: ergò univoca eſt ſubſtantiæ, & accidenti. Prob. min. Ratio entis ſic accepta præciſa eſt à ſubſtantia, & accidenti: ergò eſt omninò eadem identitate rationis. Prob. ant. ex D. Th. in Proœmio Metaph. ubi ait : quod *ſecundum eſſe & rationem ſeparari dicuntur, non ſolum illa, quæ nunquam in materia eſſe poſſunt, ſicut Deus, & intellectuales ſubſtantiæ, ſed etiam illa, quæ poſſunt ſine materia eſſe, ſicut ens commune*; ſed nullus conceptus poteſt eſſe ſine materia, ſi ab ea non eſt pręciſsus : ergo ratio entis ſignificata per nomen, ſeù conceptum *ens* communem ſubſtantię, & accidenti, ab eis præciſſa eſt, conſequenterque eſt omninò una, & eadem per intellectum.

Hoc eſt fundamentum P. Loſſada, quo ſententiam ſuam adeò ſublevat, ut aſſerat de eius veritate neminem dubitare poſſe, & noſtram penitùs evertere, tentat. Leve tamen eſt, ut frangat Thomiſtarum doctrinam, & ad ipſum reſp. neg. ant. & ad probationem neg. min. ad cuius probationem diſt. ant. præciſſa eſt *imperfectè*, conc. ant. *perfectè*, neg. ant. & conſeq. Duplex namque eſt præciſsio, ut art. ſequenti dicemus, alia perfecta, quando ſcilicèt ratio communis præciſſa nec explicite, nec implicitè, actu continet inferiorà; alia verò imperfecta, quando ratio communis preciſſa non explicat inferiora, actu tamen implicitè continet illa : quando ratio communis primo modo preſcinditur, tùnc univoca eſt ſuis inferioribus, & omnino eadem identitate rationis, ſecùs verò ſi ſolum ſecundò modo pręſcindatur, qualiter ens commune à ſubſtantia, & accidenti pręſcinditur. Ideòque ratio entis, ut ſic pręciſſa, licet ſit eadem pro explicito, eſt ſimùl pro implicito diverſa, ac proindè non omninò eadem. Sed de his art. ſeq. uberior redibit ſermo.

Inſiſtit P. Loſſada: diverſitas pro implicito non obſtat

univocationi: ergò quamvis ratio entis communis actu implicitè contineat substantiam, & accidens, poterit esse univoca substantiæ, & accidenti. Prob. ant. Diversitas non significata per nomen *ens* non obstat univocationi; sed diversitas pro implicito, in sensu Thomistico, non significatur per nomen *ens*: ergò univocationi non obstat. Prob. min. Non significatur per hoc nomen, quod non repræsentatur per conceptum, seù cognitionem *entis*; sed diversitas pro implicito per conceptum istum non repræsentatur, cum maneat incognita, & non attacta ex parte obiecti: ergò diversitas pro implicito non significatur per nomen ens.

Resp. neg. ant. & ad prob. dist. mai. diversitas non significata tàm signatè, quàm exercitè, conc. mai. non significata signatè, exercitè tamen significata, neg. mai. & dist. min. non significatur signatè, conc. min. exercitè, neg. min. & conseq. Licet namque nomen *ens* ex vi impositionis non significet diversitatem pro implicito, ac proindè talis diversitas non significetur signatè per talè nomen, quia tamen significat *ens* prout est, quod quidem non est aliquid ens determinatum, sed omnia entia confusè, & indeterminate ambit, diversitas pro implicito exercitè significatur: & hęc indeterminatio sufficit ad tollendam univocationem. Nec valet dicere nõ significari per nomen, quod non repræsentatur per conceptum *entis*; nàm licet in conceptu entis non repræsententur plura, à quibus provenit diversitas, actu explicito, & exprimendo diversitatem, ut inquit Mag. à Sto. Th. benè tamen confusè, & sub proportione habendi esse, quod est implicitè illa plura concipere.

Obiter tamen, ut præpediatur illatio P. Lossada adversus Suarium Primatem suum, & Thomistas, animadvertere oportet, quod non est idem implicitum in potentia, & implicitum in actu confuso. Nàm implicitum in potentia dicit aliquid determinatum in se, & solùm per additionem ad plura determinabile. Implicitum autem in confuso dicit omnia sine alicuiùs determinatione, sed comprehenduntur, ut sub una cõfusione, sicut dùm multitudinem in confuso à longè videmus. Deinde

dè : actu non repræsentare explicitè idem est, quod actu non includere explicitè, cæterùm actu non repræsentare explicitè non est idem, ac actu non includere etiam confusè : quod semper præ oculis habendum est, cum de entis analogia disseritur.

§. IV.

Secunda conclusio.

Ens completum est analogum ad decem prædicamenta.

CONclusio hęc sufficienter constare poterat ex doctrina D. Th. q. 1. de verit. art. 1. in corp. ubi ait : *quod enti non potest addi aliquid quasi extranea natura per modum, quo differentia additur generi, vel accidens subiecto, quia quælibet natura essentialiter est ens.* Insuper etiam constare potest ex eo, quod decem prædicamenta sunt genera suprema, quæ tamen talia non essent, si ens completum esset univocum ad illa, nâm hoc ipso esset necessariò genus supremum ad omnia prędicamenta.

Ratione tamen probatur conclusio nostra : ens completum non prędscindit perfectè à modis decem prædicamentorum : ergò analogum est ad illa, aliàs posset perfectè prędscindere. Prob. ant. Non est intelligibile ens completum sine modis decem prædicamentorum : ergò non potest perfectè prędscindere ab illis. Prob. ant. Non est intelligibile ens completum sine modis, quibus formaliter constituitur completum, aliàs intelligeretur completum non intellecta forma constitutiva entis completi ; sed modi, quibus ens constituitur completum, sunt modi pertinentes ad decem prædicamenta, cum modi prædicti sint aliquid inferius ad ens reale creatum ut sic, sub quo decem prędicamenta immediatè collocantur : ergò non est intelligibile ens completum sine modis decem prędicamentorum.

Confirmatur : ens completum idem est, quod ens directè in prędicamento ponibile ; sed non potest intelligi ens directè ponibile in prędicamento sine modo prædicamentali, cum per modos ipsos prædicamentales constituatur ens directè in prædicamento ponibile : ergò non potest intelligi ens completum sine malis decem prædicamentorum, consequenterque nequit ab illis prædscindere.

§. V.

Solvuntur argumenta.

COntrà concluſionem iſtam arguitur: in ente completo comparativè ad decem prędicamenta nulla reperitur cauſa analogię: ergò ens completum non eſt analogum ad decem prædicamenta. Prob. ant. Cauſæ analogię ſunt inæqualis participatio, dependentia unius ab alio, & tranſcendentia, ſed in ente completo comparativè ad decem prædicamenta nulla ex his reperitur ergó. Prob. min. in ente completo comparativè ad decem prędicamenta non reperitur inęqualis participatio, ſiquidem omnia ſunt ſimpliciter entia completa, nec etiam dependentia, eo quod in ratione entis completi unum non pendet ab alio, aliundè non reperitur tranſcendentia: ergò in ente completo comparativè ad decem prędicamenta nulla ex prędictis cauſis reperitur. Prob. min. Ens completum non poteſt includi in modis prędicamentorum, cum tales modi ſint aliquid incompletum, & rationem entis completi non participent: ergó in illo non reperitur tranſcendentia.

Reſp. neg. ant.& ad probat. neg. min. ad cuius prob. diſt. min. non reperitur tranſcendentia paſsiva, conc. min. activa, neg. min. Licet namque in ente completo comparativè ad decem prædicamenta non reperiatur inæqualis participatio, nec dependentia, nec etiam tranſcendentia paſsiva propter rationes in argumento relatas, reperitur tamen tranſcendentia activa, eo quod includit neceſſariò modos prædicamentales, & non poteſt intelligi ſaltim implicitè ſine illis; ſicut non poteſt intelligi calor ut octo, quin calor ut quatuor ſaltim implicitè intelligatur.

Inſtabis: ens completum non redditur completum per incluſionem modorum: ergò deficit etiam activa tranſcendentia. Prob. ant. ens in communi continet omnes modos, & tamen non redditur completum per illos: ergò ens completum non redditur completum per incluſionem modorum.

Reſp. neg. ant.& ad probat. dicimus, ens in communi per ſe primò, & immediatè continere ſubſtantiam, & accidens, aut ens completum, & incompletum, & ſolùm mediatè continere modos cõplentes, & idcircò ratione continentię, quæ ſolùm eſt me-

mediata, non reddi completum: ens verò completum per ſe primò, & immediatè continere modos complentes, & ideò per illos reddi completum formaliter.

§. VI.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in articuli diſcurſu colligitur primo, *accidens, ſive completum, ſive ut abſtrahit à completo, & incompletum, non eſſe univocum, ſed analogum ad novem prædicamenta accidentis.* Quod quidem non obſcurè docet Præc. Ang. in 1. diſt. 25. q. 1. ar. 2. in ſed contrà, ubi ait: quod *quæcumque non conveniunt in aliquo genere generaliſſimo, non poteſt de eis aliquid univoce dici*, nunc ſic: ſed novem prædicamenta accidentis, utpotè prædicamenta diverſa, non conveniunt in uno genere generaliſſimo: ergò nihil de eis poteſt univocè dici, & conſequenter nec accidens. Item non poteſt intelligi accidens completum ſine modis prædicamentalibus pertinentibus ad novem prædicamenta: ergò eſt analogum ad illa. Et inſuper, ſi non eſſet analogum, eſſet genus, proindeque novem prædicamenta genera ſuprema non eſſent.

Inſtabis: ſubſtantia completa únivoca eſt ad ſua inferiora: ergò & accidens completum ad novem prædicamenta accidentis. Prob. ant. Ideò ſubſtantia completa univoca eſt ad ſua inferiora, quia intelligitur completa per communem ſubſiſtentiam, qua redditur ſubſiſtens independenter ab alio; ſed etiam accidens completum poteſt intelligi tale ut conſtitutum per inhærentiam communē ad omnia accidentia completa: ergò univocum erit ad novem prædicamenta accidentis.

Reſp. neg. conſeq. & ad prob. admiſſa mai. neg. min. Licet namque ſubſtantia completa pro priori ad differentias cúiuſcumque ſubſtantiæ intelligatur completa per ſubſiſtentiam communem ad omnem ſubſtantiam completam, cuius proprium eſt completè ſubſiſtere, & independenter ab alio, accidens tamen completum nequit intelligi tale per inhærentiam communē: quia inhærentia ut ſic eſt communis ad inhærentiam cuiuſcumque accidentis tàm completi, quàm incompleti, & ità conſtituere non poteſt accidens completum: inhærentia autem completa eſt quidem completa, ſed non intelligitur talis niſi per modos inferiores ad inhærentiam ut ſic, qui

quidem necessariò debent esse speciales inhærentia pertinentes ad prædicamenta diversa, & propterea illas includit, & activè transcendit, & est analoga ad illas.

Secundo colligitur, *ens esse analogum ad decem prædicamenta, nedum analogia proportionalitatis propriæ, verum etiam attributionis.* Prima pars constat, quia ratio significata per nomen *ens* intrinsecè reperitur in substantia, & accidenti, sicut enim substantia est intrinsecè ens, ità & accidens: quia accidens vere est extrà nihil, vereque inhæret, præbendo effectus reales, ut esse calidum, quantum &c. Secunda verò pars etiam manifestè apparet. Tùm quia D. Th. 4. Metaph. lect. 1. & alibi sæpè comparat analogiam entis analogiæ *sani* ad animal, urinam, dietam, & medicinam, quod est analogum attributionis. Tùm etiam, quia accidens ità est *entis ens*, & à substantia dependens, ut si per impossibile entitatem in se intrinsecè non haberet, adhùc tamen, & denominatione extrinseca posset dici ens ab entitate substantiæ, quia ad illam ordinatur, & illi deservit virtualiter.

ART. IV.

Utrum detur conceptus entis perfectè præcissus ab inferioribus suis.

§. I.

Quibusdam præsupositis statuitur negativa conclusio.

AD pleniorem articuli intelligentiam aliqua supponenda sunt, quorum primum est duplicem dari conceptum, alterum quidem *formalem*, qui est actus intellectus, vel conceptus, aut species, quę rem cognitam repræsentat, & alterum *obiectivum* rem videlicet repræsentatam, & cognitam per actionem intellectus. Nos autem in præsenti non loquimur de conceptu formali, sed tantum de conceptu objectivo, & solùm inquirimus; an, quando intellectus cognoscit rationem communem entis, ratio entis cognita ità præscindat ab inferioribus suis, ut illa actu etiam implicitè non includat; sed ea tantùm in potentia contineat, sicut animal solùm in potentia continet differentias, & propterea perfectè præscindit.

Secundò notandum est; præcisionem duplicem esse aliam *perfectam*, & alteram *imperfectam*. Perfecta præcisio est, quia ratio communis abstracta nec explicitè, nec impli-

plicitè actu continet inferiora: sicut ratio communis animalis semel abstracta nec explicat rationale, vel irrationale, nec actu implicitè continet illa. Imperfecta præcisio tum contingit, quando ratio communis abstracta non explicat inferiora, actu tamen implicitè continet illa, & cum ipsa cognoscitur, etiam inferiora actu implicitè cognoscuntur.

Tandem supponendum est, *rationem communem entis imperfectè præscindere ab inferioribus suis*, quia ità præscindere nihil aliud est quàm inferiora non explicare; sed quando ratio communis entis cognoscitur, secundum conceptum expressum non explicat inferiora: ergò imperfectè præscindit. Prob. min. Illa ratio communis cognita tantùm explicat illud, quod explicitè significatur per nomen; sed hoc nomen *ens* non significat explicitè Deum, vel creaturam, substantiam, vel accidens, sed solùm explicitè significat *esse*, in quo inferiora conveniunt: ergò dùm ratio communis entis cognoscitur, secundùm conceptum expressum non explicat inferiora.

Confirmatur: viso aliquo à longè cognoscimus de illo, quod sit ens, non tamen cognoscimus, an sit substantia, vel accidens, homo, vel equus, asque dùm appropinquamus, & antiqui erant certi animam, & lucem esse entia, dubitabant tamen utrum essent substantia, vel accidens: igitur signum est rationem entis non explicare inferiora, sed ab illis imperfectè præscindere.

Modò autem difficultas est, an etiam ratio entis perfectè præscindat ab inferioribus suis. Partem affirmativam defendit Scotus, quem Suarez, Hurtado, & novissimè P. Lossada ex toto corde sequuntur. Negativam verò docet Præc. Ang. quem viribus totis fideles sequuntur discipuli, quibus præter morem adhæret Vazquez, & alij extrà Scholam D. Th. cum quibus hęc erit.

§. II.

Nostra conclusio.

Ens non præscindit perfectè ab inferioribus suis.

Conclusionem istam satis indicare videtur Præc. Ang. 8. Metaph. lect. 5. ubi ait, quod *ens non expectat aliquid additum ad hoc, quod fiat hoc, id est substantia, vel quantitas, vel qualitas, sed statim à principio est vel substantia, vel quãtitas, vel qualitas.* Quod idem eisdem fere verbis docet D. Th. q. 1. de ver. art. 1. in corp. Et Arist. lib. cit. Metaph. text. 6. affirmat, ens immediatè significare decem prædicamenta

to; ſed ſi perfectè prę ſcinderet, ſolùm immediatè ſignificaret ipſum eſſe, quantitatem verò qualitatem, & reliqua prædicamenta mediatè ſignificaret: ergò ens non prætcindit perfectè ab inferioribus ſuis.

Prob. primò concluſio noſtra ratione: prædicatum perfectè prę ciſſum ab inferioribus ſuis, non manet incluſum, aut contentum in illis; ſed ens, quamvis omni modo poſsibili præſcindatur, ſemper manet incluſum in inferioribus ſuis: ergò numquàm perfectè prę ſcindit. Mai. conſtat ex dictis in 2. notabili. Min. verò prob. Quamvis ens omni modo poſsibili prę ſcindatur adhuc inferiora eius manent eſſentialiter entia: ergò ens ſemper manet incluſum in inferioribus ſuis. Prob. ant. Quamvis modo poſsibili præſcindatur, manent inferiora illius oppoſita nihilo: ergò manent eſſentialiter entia. Prob. ant. Quamvis modo poſsibili prę ſcindatur, manent inferiora, in quibus antea cōtinebatur ipſum ens; ſed inferiora prædicta ſunt oppoſita nihilo, nàm vel ſunt aliquid in rerū natura, vel nihil, ſi nihil: ergò differunt inter ſe per nihil, quod eſt non differre. Si extrà nihil, & aliquid, ergò ſunt ens, quia in hac generaliſsima acceptione entis, dicitur ens quidquid opponitur nihilo: ergò inferiora entis manent oppoſita nihilo.

Reſp. P. Loſlada: Ens ſignificare prædicamenta, non immediate in ſenſu formali, ſed poteſtativè eo modo, quo animal ſignificat ſpecies ſuas; & hoc modo aſſerit intelligendum eſſe D. Th. tùm 8. Methaph. lect. 5. tùm 10. eiuſdem lect. 3. ubi docet D. Th. ens ſignificare ipſas naturas decem generum: nam Præcept. Ang. ſolùm negat in ente aliam naturam â prædicamentis alietate intenta ab Abicena, nempè naturam accidentalem additam ſuprà ea, de quibus prædicamenta dicuntur. Dicitur autem ens ſtatim à principio eſſe ſubſtantiam, vel quantitatem, &c. quia ut contrahatur, non expectat aliquid, quod non ſit formaliter ens; expectat tamen aliquid contrahens per modum conceptus magis expreſsi, & limitati.

Contra tamen eſt: quia D. Th. 8. Metaph. lect. 5. docet, quod decem prædicamenta non hoc modo ſe habent ex additione ad ens, ſicùt ſpecies ſe habent ex additione differentiarum ad genera; ſed genus poteſtativè ſignificat ſpecies ſuas: ergò ens non poteſtativè, ſed im-

mediatè decem prædicamenta ſignificat, aliàs eodem modo ſe haberent. Et ſimiliter in 10. Metaph. lect. 3. oſtendit ex Philoſ. quod *unum, & ens ſignificant naturam eorum de quibus dicuntur, & non aliquid additum, ſicut accidentia.* In his autem non ſolum negat naturam accidentalem additam ſuprà ea, de quibus prædicamenta dicuntur, ſicut ponebat Avicena, deceptus ex æquivocatione unius, quod eſt principium numeri habens rationem menſuræ, & ex æquivocatione entis, quod ſignificat compoſitionem propoſitionis; ſed etiam negat quãcumque naturam ſuperadditam: nam de uno, quod convertitur cum ente, abſolutè aſſerit D. Th. quod circuit omnia entia, & de ente, quod dividitur per decem predicamenta, quod ſignificat ipſas naturas decem generum ſecundum quod ſunt actu, vel potentia. Et propter eandem rationem perperàm dicitur, quod ens expectat aliquid contrahens per modum conceptus magis expreſsi, & limitati; nàm Div. Th. abſolutè dicit, quod nó ſpectat aliquid additum ad hoc ut fiat ſubſtantia, quantitas, &c. ubi manifeſtè excludit in ente conceptum contrahibilem per additionem, adque ideò ſuppouit ens, nec in potentia totum includere plura, ſiquidem non poſſunt ſibi addi.

Reſpondent iterum Adverſarii, rationem entis non eſſe de eſſentia differentię propriæ ſubſtantię, & propriæ differentiæ accidentis: quia inhęrentia accidentis eſt id, per quod accidens totaliter à ſubſtantia diſtinguitur: & ideó non importat eſſentialitèr rationem entis, in qua poſsit cum ſubſtantia convenire.

Sed contra eſt: quia inhęrentia formalitèr conſiderata, & ut ab omni alio diſtincta, eſt formaliter poſsibilis: ergó eſt eſſentialitèr ens, nam eſſe poſsibile, & eſſe verũ ens vere potẽs exiſtere, idem ſunt. Prob. ant. Poſsibile illud eſt, quod excludit ſuum contradictorium, nàm poſsibile eſt, quod poteſt exiſtere ſine ulla contradictione, & exiſtere ſine ulla contradictione eſt proprium contradictorium excludere; ſed inhęrentia formaliter conſiderata ſuum contradictorium, videlicet non inhærentiam, excludit: ergò inhærentia formaliter conſiderata, & ut diſtincta à differentia ſubſtantiæ, eſt formaliter poſsibilis.

Inſtabis contrà doctrinam iſtam; Differentia accidentis non poteſt rationem entis includere: ergo ratio entis

tis non eſt de eſſentia propriæ differentiæ accidentis, ſed ab illa poteſt per intellectum præſcindere. Prob. ant. Propria differentia accidentis per ſe ipſam, & non per aliam ſuperadditam differentiam diſtinguit accidens a ſubſtantia; ſed ſi rationem entis includeret, non diſtingueret per ſe ipſam: ergo non poteſt rationem entis includere. Prob. min. Si rationem entis includeret, accidens in propria differentia conveniret cũ ſubſtantia, ſiquidem convenit cum ſubſtantia in ratione entis, & hæc, claudereturin propria accidentis differentia: ergò differentia prædicta non diſtingueret per ſeipſam, ſicut ratio viventis non per ſe, ſed per differentiam ſuperadditam hominem ab equo diſtinguit, quia homo, & equus in ratione viventis conveniẽtiam habent.

Reſp. neg. ant. & ad prob. neg. min. & ad cuius probationem diſt. ant. conveniret *analogicè*, conc. ant. *univocè* neg. ant. & conſeq. Quia accidens in propria differentia ſolùm convenit analogicè cum ſubſtantia propter rationem entis, quam includit; cumque convenientia analoga ſit convenientia cum diverſitate, indè fit, quod licèt accidens in propria differentia cũ ſubſtantia conveniat, non infertur indè, quod talis differentia per ſeipſam non diſtinguat: cuius oppoſitum in exemplo contingit, quia homo, & equus in ratione viventis conveniunt univocè; & cum convenientia univoca excludat diverſitatem: ex quo homo & equus conveniant in ratione viventis, benè infertur rationem viventis non diſtinguere per ſeipſam, ſed per differentiam ſuperadditam.

Secundò inſtabis: Perfectitas, quæ eſt differentia propria ſubſtantiæ, non eſt formaliter ens; ergò idem dicendum de differentia propria accidentis, ac proinde differentiæ entis non erunt entia, & poſſibilia formaliter. Prob. ant. Modus non eſt ipſa res, ſed determinatio, vel modificatio illius: ſed perfectitas eſt modus entis: ergò non eſt formaliter ens.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. mai. modus *quantum ad implicitum, & explicitum*, conc. mai. modus *quantum ad expreſſum tantum*, neg. mai. & diſt. min. perfectitas, *quantum ad explicitum*, conc. min. *quantum ad implicitum*, neg. min. & conſeq. Perfectitas namque non eſt modus, niſi quantùm ad explicitum, eo quod exprimit aliquid quod non exprimit ens eſſentia

tialiter tamen, & quantum ad implicitum eſt ens: nam ut inquit D. Th. q. 1. de verit. art. 1. in corp. *ſubſtantia non addit ſupra ens aliquam differentiam, quæ ſignificet aliquam naturam ſuperadditam enti, ſed nomine ſubſtantiæ exprimitur quidam ſpecialis modus eſſendi, ſcilicet per ſe ens, & ita eſt in alijs generibus*: igitur ſolùm in expreſsione eſt aliquis modus non expreſſus nomine entis, non tamen in aliqua additione ſuprà ens. Dicitur tamen ens contrahi per modos, & non per differentias, non quia modi ſuperaddantur, aut quia ens ſit in potentia ad modos, & non ad differentias reales (hęc enim eſt intelligentia puerilis, ut inquit Mag. à Sto. Th.) ſed quia ſubſtantia, & accidens exprimunt aliquem modum ſuprâ ens, nomine entis non expreſſum. Quod ſi præ oculis habeatur, evaſiones P. Loſſada facillimè pręcludentur.

Secundó prob. concluſio: inferiora entis ſunt de eſſentia entis: ergò numquàm poterit ens ab inferioribus perfectè præſcindi. Prob. ant. De eſſentia entis eſt omne eſſe, nàm de eſſentia entis eſt omne illud, quod per nomen ſignificatúr, & per nomen *ens* ſignificatúr omne eſſe; ſed inferiora ſecundùm omnem rationem, & modum habent aliquod eſſe: ergò inferiora ſunt de eſſentia entis.

Tertiò probatur concluſio: ſi ens perfectè præſcinderet ab inferioribus ſuis, eſſet univocum ad illa, conſequenterque haberet rationem generis, & daretur genus ſupremum ad omnia prædicamenta; ſed hoc implicat: ergò non poteſt ens perfectè præſcindere ab inferioribus ſuis. Prob. maj. Si ens perfectè pręſcinderet, nullam diceret diverſitatem in actu, ſed potius ratio entis eſſet omninò eadem, ſiquidem actu non includeret differentias, à quibus provenit diverſitas: ergó ipſum ens eſſet univocum ad omnia ſua inferiora.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntrà concluſionem iſtam arguitur primo: ideo ens non poſſet perfectè præſcindere ab inferioribus ſuis, quia eſſentialiter in illis includitur; ſed includo prædicta non obſtat pręciſsioni perfectę: ergò poteſt perfectè præſcindere. Prob. min. Animal eſſentialiter includitur in homine, & equo, & cęteris animalibus, & tamen ani-

animal perfectè prę∫cindit ab illis : ergò inclu∫io prędicta non obſtat prę∫ci∫ioni perfectæ.

Reſp. neg.min.& ad probat. diſt. mai. includitur *incluſione compoſitionis*, conc. mai. *incluſione ſimplicitatis*, neg. mai. & conc. min. neg. conſeq. ſub eadem diſtinctione. Animal namque ſolùm includitur in inferioribus ſuis incluſione compoſitionis, vel per modum partis metaphiſicæ cuiuſcumque ſpeciei, & ità perfectè prę∫cindit ab inferioribus ſuis : nàm licet totum non poſsit à partibus perfectè præſcindere, pars tamen à toto præſcindere poteſt. Ens verò includitur in inferioribus ſuis incluſione ſimplicitatis, conſtituendo videlicet unum ſimpliciſsimum conceptum cum qualibet differentia, & ideo ſi talis conceptus perfectè præſcinditur, nihil in inferioribus manet, nec inferiora manebunt.

Secundò arguitur : à convenientibus in aliqua ratione communi præſcindibilis eſt perfectè prędicta ratio cōmunis, ſicut ratio hominis perfectè prę∫cinditur ab omnibus individuis humanis, quę in ratione prædicta conveniunt ; ſed omnia inferiora entis habent convenientiam in ratione communi entis : ergò poterit ratio entis perfectè ab illis prę∫cindere.

Reſp. diſt. mai. à convenientibus *perfectè*, & *univocè*, conc. mai. *imperfectè*, & *analogicè*, neg. mai. & diſt. min. convenientiam *analogam*, cōc. min. *univocam*, neg. min. & conſeq. Quia inferiora entis partim conveniunt in ratione entis, & partim differunt; undè talis convenientia imperfecta, & analoga eſt, & inſufficiens ad perfectam præciſsionem : nàm convenientia requiſita ad præciſsionem perfectam debet eſſe convenientia omnimoda in ratione communi, qualis reperitur inter humana individua comparativè ad hominem.

Inſtabis cum P.Loſſada: convenientia, quam habent inferiora entis, quamvis analoga ſit, eſt tamen analoga analogia proportionalitatis; ſed ab analogis proportionalitatis poteſt perfectè præſcindere ratio communis : ergò. Prob. min. Analoga proportionalitatis ſunt analoga unius conceptus, ad differentiam analogorum attributionis, quę ſunt analoga plurium conceptuum : ergò ab analogis proportionalitatis poteſt perfectè prę∫cindere ratio communis.

Reſp. neg. min. & ad prob. diſt. ant. *Unius conceptus confuſi, & imperfecti*, &

quan

quantum ad explicitum, conc. ant. *diſtincti*, *& perfecti*, *& quantum ad implicitum*, neg. ant. & conſeq. Analoga namque proportionalitatis ſolùm habent unum conceptum cõfuſſum imperfectum, & quoad explicitúm, cum ſolùm explicent rationem communiſsimam, in qua omnia analogata confunduntur, & habeant convenientiam proportionalem in aliquo, quod intrinſece convenit, quod non exigit explicationem plurium conceptuum, & in hoc differunt ab analogis attributionis, quibus etiam quoad explicitum plures correſpondent conceptus, ut diximus §. ultim. art. 1. & ideò non datur in illis unicus conceptus adhuc imperfectè præciſſus.

Tertiò arguitur: objectum Metaphiſicæ debet eſſe unum ſimpliciter, & univocum, nàm habitus Metaphiſicæ ſumit unitatem ſuam ab objecto, & habitus eſt unus ſimpliciter; ſed objectum Metaphiſicæ eſt ens in communi: ergò ens eſt univocum, & perfectè præciſſum. Prob. mai. Diffinitio objecti Metaphiſicæ eſt medium ad demonſtrandas eius proprietates; ſed mediũ demonſtrationis debet eſſe unum ſimpliciter, & univocum: ergò diffinitio objecti Metaphiſicæ debet eſſe una ſimpliciter, & univoca, ac proindè eius objectum, nam diffinitio, & diffinitum convertuntur. Prob. min. Medium debet eſſe perfectè unúm, & ideò defectu huius unitatis terminus equivocus nequit eſſe medium demonſtrationis; ſed terminus analogus nequit eſſe unum perfectè: ergò medium demonſtrationis debet eſſe unum ſimpliciter, & univocum.

Confirmatur: conceptus formalis accipit unitatem à conceptu objectivo repræſentato per ipſum; ſed conceptus formalis entis eſt omninò unus, & unius, ſiquidem in mente non poteſt dari æquivocatio: ergò conceptus objectivus entis eſt omninò unus, & perfectè præciſſus ab inferioribus ſuis.

Reſp. ad arg. diſt. mai. unum ſimpliciter *in ſpecificando*, conc. mai. *in eſſendo*, *& prædicando*, neg. mai. ad cuius prob. neg. min. & ad eius probat. diſt. mai. *perfectè unum unitate excludente æquivocationem*, conc. mai. *unitate includente univocationem*, neg. mai. & ſub eadem diſt. min. neg. conſeq. Quia objectum Metaphiſicæ in ſpecificando habitum, & in eſſe objecti formaliter, eſt unum ſimpliciter, quamvis in eſſe rei, & in prædi-

dicendo ſit ſolùm analogicè unum, quæ duo nullam contradictionem involbunt: nàm in probabili ſententia objectum Philoſophiæ eſt ens mobile abſtrahens à ſubſtantiali, & accidentali, quod quidem in eſſendo, & prædicando eſt analogum ad ſubſtantiam, & accidens, & tamen in eſſe objecti formaliter univocum eſt. Immò de analogis poteſt dari una ſcientia ſpecie in quantum conveniunt in una ratione analoga, & ſciuntur per eadem principia: ſicut medicina non ſolùm eſt de homine ſano, ſed etiam de pulſu, urina &c. Quod autem unitas analoga ad medium demonſtrationis ſufficiat, luce clarius patet in hac demõſtratione principium in creatis eſt prius principiato; ſed fons eſt principium rivuli: ergò eſt prius rivulo. Et tamen conſtat principium eſſe terminum analogum, ut dictum eſt inter explicanda analoga proportionalitatis.

Inſtabis: juxta ſolutionem datam, ens in ſpecificando habitum Metaphiſicæ eſt unum ſimpliciter: ergò etiam in eſſendo, & prædicando, quia non videtur aſsignabilis ratio diſcriminis.

Reſp. neg. conſeq. Quia ad ſpecificandũ habitum Metaphiſicæ ſolùm ſe habet de formali conceptus explicitus entis, ut indicat D. Th. 4. Metaph. lect. 1. conceptus verò implicitus de materiali ſe habet, & cum in conceptu explicito nulla importetur diverſitas; inde fit, conceptum entis in ſpecificando eſſe ſimpliciter unum. In eſſendo verò, & prędicando conceptus implicitus de formali ſe habet.

Dices: in ſpecificando habitum Metaphiſicę conceptus implicitus de materiali ſe habet: ergò etiam in eſſendo, & prędicando.

Reſp. neg. conſeq. Quia (ut inquit D. Th. 11. Metaph. lect. 3.) Metaphiſica eſt de ente in quantum eſt ens, ità quod conſiderat de ente ſecundùm rationem univerſalem entis radicantis unitatem, veritatem, & bonitatem, quę ſunt paſsiones, quas Metaphiſica demonſtrat, ad quas de materiali ſe habet, quod ens ſit ſubſtantia, vel accidens: ideòque ad ſpecificandam Metaphiſicam de materiali ſe habet conceptus implicitus entis. Ratio verò entis in eſſendo eſt tranſcendens, & intimè inclùſa in quacumque differentia inferiori, & conſtituit cum illa unum ſimpliciſſimum conceptum, & ideô non poteſt ab illa pro implicito ſeperari: conſequenterque conceptus implicitus de formali ſe habet in eſſendo, & prædicando. Mul-

Multa de his dicere poteramus, quę tamen, quia per Adversariorum verba non aliter explicare compellimur, ad Doctores nostros apud Metaphisicam videnda studiosos remittimus, ubi millies ab ipsis solutum est infirmissimum hoc argumentum per hoc, quod obiecto scientię sufficit unitas analogica, ut etiam apertissimè docet Philosoph. 11. Metaph. lect. 3. apud D. Th. Analogia verò univocationem nequaquam admittit, sed potiùs ut sibi adversam excludit? Ens autem analogicè dici cum pluries docet Aristot. maximè 4. Metaph. lect. 1. apud D. Th. ubi asserit, ens de omnibus prædicari perindè ac sanum de medicina, & urina. Quod autem non prædicetur univocè, alibi passim docet D. Th. & Philos. probantes non esse genus, quia omne universale univocum debet esse unum ex quinque assignatis à Porphyrio. Nulli autem generis diffinitio posset convenientius competere, quam enti, si univocum esset, cum prędicetur de pluribus differẽtibus specie in eo quod quid; sed iuxtà Adversarios ens nequit esse genus ad sua inferiora: ergò nec etiam univocum. Non igitur protervè, sed rectè iuxtà D. Th. & Philos. analogiam entis sustinet Thomista.

Ad confirm. resp. ex doctrina traddita, conceptum objectivũ entis esse analogum in essendo, & prædicando, comparative tamen ad conceptum formalem esse simpliciter unũ, quia in ordine ad illum solùm de formali se habet conceptus explicitus entis, in quo nulla diversitas explicatur, sicut obiectum potentiæ visivę in essendo, & prædicando habet tantùm unitatem genericam, comparativè tamen ad potentiam visivam unitatem specificam habet.

Secundò resp. neg. min. Quia unico conceptu possunt repręsentari plene, licet non distinctè, & ut plura sunt, confusè tamen, sicut quando à longè videmus multitudinem hominum, & singulos non discernimus, unica visione totam multitudinem videmus, & licet multi sint, tamen per modum unius terminant unam visionem: sic se habet conceptus formalis entis respectu omnium analogatorum, omnia enim immediatè repræsentat sub confusione habendi esse, quod solùm explicat. Ex hoc autem non sequitur dari æquivocationem in mente, quia æquivocum repræsentat plura, ut plura, id est, ut nullo modo convenientia, nec in proportione, nec in modo confusionis plura attingentis, sed ut explicitè diversa.

Quartò arguitur: inferiora entis non ſunt de illius eſſentia: ergò poteſt ens perfectè præſcindere ab inferioribus ſuis. Prob. ant. Poſteriùs non eſt de eſſentia prioris, quia nulla res eſt prior prædicatis conſtituentibus ipſam; ſed ens eſt prius omnibus inferioribus: ergò inferiora entis non ſunt de illius eſſentia. Prob. min. Illud eſt prius altero, à quo ad alterum non valet ſubſiſtendi conſequentia; ſed ab ente ad inferiora non valet conſequentia, non enim valet: *eſt ens*: *ergò ſubſtantia*: ergò ens eſt prius inferioribus ſuis.

Confirmatur: ens eſt univerſale reſpectu ſuorum inferiorum: ergò perfectè ab illis præſcindit, conſequenterquè illa actu non includit, vel ſi actu includit, univerſale non eſt.

Reſp. ad argumentum neg. ant. & ad prob. diſt. min. prius *inadæquate acceptum*, *& quantum ad explicitum tantum*, conc. min. *adæquatè quantum ad implicitum*, *& explicitum*, neg. min. & conſeq. Quia ens ſolùm quantum ad explicitum eſt priùs inferioribus ſuis, & hoc ſufficit, ut non valeat ſubſiſtendi conſequentia ab ente ad inferiora ſua, ſicut non valet ab individuo vago ad determinatum, nempè, *eſt quidam homo*: *ergò eſt Petrus*; nõ tamẽ ens eſt priùs quãtum ad implicitũ inferioribus ſuis, ſed ſemper illa, & pro omni priori, involvit implicitè.

Ad confirmationem reſp. ens ſolùm eſſe univerſale ſecundùm quid, ſicut etiam eſt abſtractum ſecundùm quid, & unum ſecundùm quid, & unitate imperfecta, ut dictum eſt art. 1. univerſalium §. I. in reſp. ad 2. inſtant. & deinceps. Ratio autem ea eſt, quia ens non excludit inferiora, ſed tantùm non explicat, illa confuſè, & imperfectè accipiendo: & ſic ſuo modo eſt unum in multis, & habet inferiora, reſpectu quorum eſt ſuperiùs ſolùm ſecundùm quid ratione explicationis, vel confuſionis eorum.

Tandẽm arguitur: ſi ens includeret eſſentialiter accidens, non poſſet ipſum ens de ſubſtantia prędicari; ſed hoc dicendum non eſt, cum hęc prædicatio: *ſubſtantia eſt ens*, veriſsima ſit: ergò accidens non continetur eſſentialiter in ente. Prob. mai. P ędicatum eſſentialiter includens id, quod repugnat ſubjecto, non poteſt de ſubjecto affirmari, undè hæc eſt falſa: *equus eſt homo*, quia homo eſſentialiter includit rationalitatem, quæ equo

æquo repugnat; ſed accidens non poteſt convenire ſubſtantiæ per modum prædicati proprij, nec ſubſtantia poteſt habere rationem accidentis: ergò ſi ens includeret eſſentialiter accidens, non poſſet ipſum eius de ſubſtantia prædicari, vel affirmari.

Confirmatur ex doctrina P. Loſſada: ſi accidens eſſet verè de eſſentia entis, quando ens prædicatur de ſubſtantia, etiam accidens de ſubſtantia affirmaretur; ſed accidens non poteſt de ſubſtantia prædicari: ergò accidens nequit eſſe de eſſentia entis. Prob. mai. Quidquid eſt de eſſentia alicuius prædicati, dicitur de omni illo, de quo dicitur prædicatum, iuxtà regulam anteprædicamentalem, *cum quidpiam de quopiam &c.* ergo ſi accidens eſſet de eſſentia entis, quando ens affirmatur de ſubſtantia, etiam accidens de ſubſtantia affirmaretur.

Reſp. ad argumentum neg. mai. & ad prob. diſt. mai. *ſi tale prædicatum affirmatur de ſubiecto ſecundum explicitum, & implicitum*, conc. mai. *ſi affirmatur de ſubiecto ſecundum explicitum tantum*, neg. mai. & conc. min. neg. conſeq. Quia ens non affirmatur de ſubſtantia ſecundum explicitum, & implicitum adæquatè ſumptum, ſed ſolùm ſecundùm explicitum, & implicitum entis per ſe, ex quo non infertur, quod etiam accidens affirmetur de ſubſtantia. In hac verò propoſitione *equus eſt homo*, non ſolùm implicitum, ſed etiam explicitum hominis equo repugnat: & ità diſpar eſt ratio. Exemplum doctrinæ noſtræ adeſt in hac prædicatione, *Pater eſt Deus*, in qua ly *Deus* actu includit omnia, quæ in Deo ſunt, etiam tres Perſonas, & tamen, quia non explicitè illa dicit, ſed ſolùm implicitè claudit, ideò non prædicat de Patre omnes tres Perſonas, ſed ſolam Deitatem, in qua continentur: ità pariter *ens*, licet implicitè claudat ſubſtantiam, & accidens, quia tamen non explicitè illa dicit, non prædicat de ſubſtantia accidens, ſed ſolùm id, in quo omnia confunduntur, ſcilicet habens eſſe. Verbum enim *prædicat*, cum importet actum animæ interiorem, appellat ſuprà objectum, ut formaliter ſignificatur, & prædicatur, non autem ſuprà id, quod materialiter includitur, & confunditur.

Ad confirmationem reſp.

neg. mai. & ad probationem dicimus, quod quidquid eſt de eſſentia prędicati, dicitur de omni eo, de quo dicitur prędicatum, quando tale prędicatum enuntiatur adæquatè, & adæquatè ad inferiora deſcendit, in quo ſenſu regula anteprædicamentalis intelligenda eſt; cæterum ens non adæquatè deſcendit ad ſubſtantiam, ſed tantùm inadæquatè, videlicet ſecundùm explicitum entis, & etiam ſecundùm implicitum entis per ſe: undè non oportet, quod quando ens prædicatur de ſubſtantia, etiam accidens de ſubſtantia prędicetur, propter rationem ſuperiùs traditam.

Inſtabis: ſi ens ſolùm inadæquatè prædicatur de ſubſtantia, ſolùm prædicabitur de illa ſecundùm eſſe per ſe; ſed eſſe per ſe eſt univocum ad omnem ſubſtantiam ſaltim completam: ergò ens univoce prædicabitur de ſubſtantia.

Reſp. diſt. mai. ſecundum eſſe per ſe, *ut ſignificatur nomine entis*, conc. mai. *ut ſignificatur nomine proprio*, neg. mai. & diſt. min. eſſe per ſe, *ut ſignificatur nomine proprio*, conc. min. *nomine entis*, neg. min. & conſ. Quia licet eſſe per ſe, ut ſignificatur per tale nomen, univocum ſit ad omnem ſubſtantiam completam, non tamen univocum eſt, ut ſignificatur per hoc nomen *ens*, eo quod in ente ſolùm continetur, & ſignificatur ens, quatenus in eſſe conveniunt proportionalitèr eſſe per ſe, & eſſe in alio, non tamen aliquid proprium ſubſtantiæ, vel accidentis, & ſub hac exqreſſione entis deſcendit eſſe per ſe ad ipſam ſubſtantiam, proindequè analogicè deſcendit, ſicut *animal*, ut ſignificatur nomine entis implicitè, analogicè deſcendit, quamvis, ut ſignificatur nomine proprio animalis, univocè deſtendat.

Dices: quamvis eſſe per ſe ſolùm deſcendat, ut implicitè ſignificatur nomine entis, ipſum tamèn eſſe in ratione deſcendentis univocum eſt: ergò ad utrumque deſcendit univocè. Probat. ant. In ratione deſcendentis non importat actu aliquam diverſitatem: ergò univocum eſt in ratione deſcendentis. Prob. ant. Ipſum ens in ratione deſcendentis nõ continet actu implicitè eſſe in alio, vel accidens, ſed ſolùm

eſſe

esse per se, alias etiam accidens descenderet, & si non descendit, & non continebitur actu in ipso ente reduplicativè in ratione descendentis: ergò ens in ratione descendentis non importat actu aliquam diversitatem; sed omninò unum, & univocum est.

Resp. neg. duo ant. prima, & ad probationem dist. ant. non continet *ex parte rei*, conc. ant. *ex modo concipiendi, & significandi*, neg. ant. & conseq. Quia licet ens in ratione descendentis non contineat actu esse in aliquo ex parte rei, & per modum descendentis, actu tamen continet ipsum ex modo concipiendi, & significandi: nàm solùm concipitur, & significatur sub expresso entis, in quo substantia, & accidens continentur actu implicitè, ut proportionabiliter convenientia, & ut talia per nomen significantur.

Replicabis: ergò ens in ratione descendentis non continet actu accidens ex parte rei, aut rationis *quæ* descendentis ad substantiam. Ergò ens in ratione descendentis non continet actu accidens ex modo concipiendi, vel modus concipiendi erit falsus: quia concipietur in ente in ratione descendentis accidens, quod reverà non descendit ad substantiam.

Resp. dist. 2. conseq. accidens *ut descendat*, con. conseq. *ut in eo sit*, neg. conseq. Quia ens in ratione descendentis continet actu ex modo concipiendi ipsum accidens, non quidem ut descendat, quod implicat, sed solùm ut in ente sit, in quo accidens, & substantia proportionabiliter actu conveniunt: & ideò modus concipiendi verus est, quia concipit accidens, quod actu continetur in ente, & ità est in re, non tamen concipit accidens ut descendat in ente, in quo modus concipiendi esset falsus.

)(o)(

ART. V.

Utrum ens adæquatè dividatur in decem prędicamenta?

§. I.

Præmittuntur conditiones, ut aliquid ponatur in prædicamento.

ARtificiosa illa dispositio, qua prædicabilia per modum superioris, & inferioris adinvicem ordinantur, dicitur prædicamentúm, quod propterea prædicabiliū ordinatio nominatur, & nihil aliud est, quam *series, aut coordinatio prædicatorum essentialium ab uno supremo genere, quo nihil est superius, usque ad individuum, quo nihil est inferius*: sicut in prædicamento substantię de Petro dicitur essentialiter homo, & de homine essentialiter dicitur animal, de animali vivens, de vivente corpus, de corpore substantia, & hoc idem de omni alio prædicamento, in quo omnia prædicata superiora, & inferiora ratione secundę intentionis pertinent ad Logicum, & ex illis genus superiorissimum, supremum inter omnia appellatur. Dixi, hujusmodi prædicata superiora, & inferiora pertinere ad Logicum ratione secundę intentionis, si enim accipiantur pro naturis realibus, vel primo intentionaliter, non ad Logicum, sed ad Metaphisicum pertinent.

Aliqua tandem prædicata ponuntur directè in prædicamento, sicut *genera, species, & individua*, quę in recta linea prędicamenti collocantur. Alia vero prædicata solum ponuntur indirectè, vel ad latus prædicamenti, ut differentiæ contractivæ generis, qualia sunt *rationale, & irrationale, &c.* ut autem aliquid directè in prædicamento ponatur, aliqua requiruntur.

Primum est, quod sit ens creatum, limitatum, & finitum, & propterea Deus non ponitur in prędicamento substantię, ut lib. sequenti dicemus. *Secundum* est, quod sit ens reale, nam hoc solùm dividitur in decem prædicamenta: eo quod hæc divisio introducta est ab Aristotele, ut distinctè possimus cognoscere entia realia, & eorum diffinitiones assignare.

Tertiò requiritur esse ens per se, quia ens per accidens pertinet ad plura prædicamenta, sicut *corpus album*, ex parte, qua corpus pertinet ad prędicamentum substantiæ, & ratione albedinis ad prędicamentum qualitatis. Si tamen accipiatur, ut significa-

tur

tur incomplexè per iſtũ terminum *album* pertinet directè ad prædicamentum qualitatis, quia *album* de formali ſolam qualitatem ſignificat, ſubjectum verò de materiali importatur, & ſolùm in obliquo pertinet ad idem prædicamentum.

Quartó requiritur eſſe ens completum: undè entia incompleta, ſicut materia, anima rationalis, punctum, & huiuſmodi alia ſolùm ponuntur ad latus prædicamenti. Et *tandem* requiritur eſſe ens incomplexum, quia ens complexum non unam determinatam quidditatem, ſed plures quidditates ſignificat. Præterquamquod, ſi complexa directè in prædicamento ponerentur, v. g. *animal rationale*, bis homo poneretur in prædicamento ſubſtantiæ, ſemel ratione ſui, & iterùm ratione diffinitionis. Ex quibus habëtur ſola prædicata univoca ad prædicamentum pertinere, non autem analoga, & æquivoca, illa quidem, quia non habent unitatem talem ſimpliciter: alia verò, quia plures naturas important.

His igitur prælibatis, alij cum Platone unicum tantùm adſtruunt prædicamentum; alij verò, ducem ſequentes Pythagoram, viginti conge-

runt prędicamenta, decem videlicet poſitiva, totidemque privativa. Ariſt. verò, cuius eſt hęc percelebris, & antiqua diviſio (quidquid aliqui ſentiant, Architæ Tarentino hunc volentes honorem refferre) omnium rerum prædicamenta ad decem redegit. Philoſophum communiter ſequuntur SS. Patres; præſertim Magnus Parens Aug. & fideliſsimus eius Interpres Præcept. Ang. à quorum ſemita recedere fas nõ eſt. Ideo que cum illis hæc erit.

§. II.

Noſtra concluſio.

Ens reale creatum, per ſe, univocum, completum &c. adæquatè dividitur in decem prædicamenta, ſcilicet, in ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, actionem, & paſsionem, ubi, ſitum, quando, & habitum.

PRobatur concluſio noſtra ex D. Aug. in lib. Categoriarum, cap. 8. cui præfigit titulum *De prædicamentis in generali*, ubi poſtquam refert ea, quæ in concluſione numerata ſunt, ſubdit: *hæ ſunt categoriæ decem, quarum prima uſia eſt, ſcilicet, quæ novem cæteras ſubſ-*

tinet. Reliquæ verò novem accidentia ſunt: ergò juxta Div. Aug. tolum dantur decem prędicamenta, primum quidem ſubſtantiæ, reliqua vero accidentis.

Ulteriùs probatur concluſio ratione ſatis probabili deſumpta ex Aug. Prędecpt. in 3. Philic. lect. 5. §. *reſpondit ad tertium*, & 5. Metaph. lect. 9. §. *Diſtinguit modum*, quæ ſic proponitu: prędicamenta ſunt prædicata, quę de prima ſubſtantia dicuntur, adinvicem ordiuata ut ſuperiùs, & inferiùs; ſed hęc prædicata ſunt decem, & non plura: ergò decem dantur prędicamenta. Prob. min. Quidquid dicitur de prima ſubſtantia, vel prędicatur eſſentialiter, vel accidentaliter, ſi eſſentialiter, ut cum dicimus: *Petrus eſt homo, vel Petrus eſt animal*, ſic eſt *ſubſtantia*, quæ ſola de ſe ipſa eſſentialiter prędicatur: ſi ſecundùm, vel eſt intrinſecum ſubſtantiæ, vel ab extrinſeco ſumptum; ſi intrinſecum, vel abſolutum eſt, radicaliter conſequtum ad materiam, & ita erit *quantitas*, vel radicaliter conſequitur ad formam, & ſic erit *qualitas*, vel inhęret ſubſtantiæ non abſolutè, ſed in reſpectu ad aliud, & ita eſt *relatio*. Si autem eſt deſumptum ab extrinſeco; vel eſt omnino extra ſubiectum, ita ut nudè, & extrinſecè applicetur ſine aliqua menſura, & cauſalitate ſubiecti, & ſic eſt *habitus*, vel per modum cauſæ, & hoc modo, vel denominat principium, à quo dimanat effectus, & ſic eſt *actio*, vel denominat ſubiectū, quod immutatur, & ita eſt *paſſio*. Si vero illud extrinſecū ſe habet per modū menſuræ, vel ſe habet per modum menſuræ durationis, & erit *quando*, vel per modum menſuræ quātum ad exiſtendum in locopenès diverſam diſtantiam, & ſic eſt *ubi*, aut per modum menſuræ ordinantis partes in loco, & ita erit *ſitus*, ſed prętter hæc nulla alia poterunt aſſignari prædicata, quæ ſint talia modo ſupradicto: ergò decem, & non plura debent dari prædicata, quæ de prima ſubſtantia dicuntur adinvicem ordinata, ut ſuperiùs, & inferius.

Quæ omnia, ut frequenter recolere poſsis, en tibi carmen duorum verſum, in quo omnia prædicamenta continentur.

Arbor ſex ſervos fervore refrigerat uſtos,
Ruri cras ſtabo, ſed tunicatus ero.

Arbor *ſubſtantiam* ſignificat; ſex *quantitatem*, ſervos *relatio-*

tionem, fervore *qualitatem*; refrigerat *actionem*, uſtos *paſſionem*; ruri *ubi*, cras *quando*, ſtabo *ſitum*, tunicatus *habitum*.

Cum autem dicitur aliquid denominari ab aliquo extrinſeco ſecundùm rationem cauſæ animadvertere oportet, quod non eſt ſermo de cauſa materiali, formali, vel finali, ſed ſolùm de cauſa efficiente. Et huius ratio aſsignatur à D. Th. loc. ſupra cit. ex 3. Phyſic. quia materia, & forma ſunt partes eſſentiæ, unde prędicatio, quæ poſsit fieri ſecundùm hæc duo, pertinet ad prædicamentum ſubſtantię, ſi non directè, reductivè ſaltim, ut ſi dicamus: *homo eſt rationalis*, & *homo eſt corporeus*. Cauſa autem finalis non cauſat aliquid ſeorſum ab efficiente; in tantum enim finis habet rationem cauſæ, in quantum movet agentem. Remanet igitur ſola cauſa efficiens, a qua poteſt denominari aliquid ſicut ab extrinſeco.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntra concluſionem iſtam arguitur primò: materia, & forma, & differentiæ contractivæ generis, v. g. rationale, vel irrationale continentur ſub ente reali, & tamen non ponuntur in aliquo decem prędicamentorum: ergò undecimum debet conſtitui prædicamentum, ubi hæc collocentur. Prob. min. *Si* in aliquo prędicamento collocarentur, maximè in prędicamento ſubſtantię; ſed in hoc collocari non poſſunt: ergò non ponuntur in aliquo decem prædicamentorum. Prob. min. Materia non eſt ſubſtantia, ſed pars ſubſtantiæ, & differentia non eſt ſubſtantia, ſed pars metaphiſica ſubſtantiæ: ergò collocari non poſſunt in prædicamento ſubſtantię.

Confirmatur: unitas, & punctum ſunt entia realia, & tamen in nullo decem prædicamentorum cõtinentur: ergo pro huiuſmodi aliud debet aſsignari prædicamentum. Prob. min. Si in aliquo continerentur, maximè in prędicamento quãtitatis; ſed in hoc non, cum hęc non ſint quantitates, ſed quantitatum principia: ergò in nullo decem prædicamentorum continentur.

Reſp.

Reſp. ad argum. neg.min. & ad prob. diſt. min. collocari non poſſunt *directè*, conc. min. reductivè, neg. min. & conſeq. Partes namque ſubſtantię cum ſint entia incompleta, imperfectę naturæ, & per modum vię, & tendentię ad termiuum perfectiorem, non ſunt directè in prædicamento ſubſtantiæ, reductivè tamen, & ad latus ponuntur in prædicamento ſubſtantiæ in quo ſpecies, quarum ſunt partes, & differentię, directè collocantur.

Ad confirmationem ex eadem doctrina reſp. quod licet unitas, & punctum non ponantur directè in prædicamento quantitatis, eo quod ſunt aliquid incompletum, reductive tamen ad prædicamẽtum quantitatis pertinent, eo quod unitas eſt principium numeri, & punctum principium lineę, quod ſufficit, ut per reductionem in prædicamento quantitatis collocentur, ut indicat D. Th. q. 7. de potent. art.3. ad 7.

Secundò arguitur: ens reale, creatum &c. adæquatè dividitur in duo, vel tria prædicamenta: perperam ergò dividitur in decem. Prob. ant. ens reale, creatum &c. adæquatè dividitur in ſubſtantiam, & accidens, cum in ratione accidentis omnia accidentia conveniant, vel ſaltim in ſubſtantiam, & accidens abſolutum, & reſpectivum: ergò adęquatè dividitur in duo, vel tria prædicamenta. Prob. ant. quantum ad ſecundam partem. Quantitas, & qualitas habent eundem modum eſſendi abſolutum, ſcilicet eſſe in alio, & relatio, cum alijs ſex, habent eundem modum eſſendi ad aliud: ergò ſaltim adæquatè dividitur in ſubſtantiam, & accidens abſolutum, & accidens reſpectivum.

Reſp. neg. omnia antecedentia. Quia quantitas, & qualitas, cum alijs ſeptem, licet conveniant in ratione accidentis quantum ad rationem inhærendi, non tamen conveniunt quantum ad rationem diſponendi, & commenſurandi ſe ſubſtantię, ſed potius in hoc ſunt primò diverſa, & inæqualiter ſe habent. Modus autem inhærentiæ, ut inquit Mag. à Sto. Thoma, non eſt conſtitutivum quidditatis, ſed modus illius pertinens ad modum exiſtentię ut communicabilis: unde convenientia quantum ad rationem inhærendi non facit convenientiam abſolutè in quidditate accidentis, ac proinde non conveniunt in ratione accidentis, tanquam in ratione illis generica, ſed tanquam in ratione illis

illis analoga, omnino illa trãſcendente. Item quantitas, & qualitas non conveniunt in ratione accidentis abſoluti tanquam in genere: nec etiam accidens reſpectivum eſt genus ad relationem, & ſex ultima prædicamenta, maximè cùm ſex ultima formaliter relationes non ſint. In hoc autem non immoramur amplius, nàm circa numerũ prædicamentorũ nullum eſt ferè litigium inter huius temporis Authores.

§. IV.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in articuli diſcurſu colligitur primo, ens rationis ab omni prædicamento ſecludendùm eſſe, tùm quia Ariſt. primo diſtinxit ens in reale, & rationis, & deinde ens reale in decem prędicamenta, quo circa aut entia rationis (ut aliqui volum) pertinent ad anteprædicamenta, ita ut prędicabilia generali nomine dicantur anteprędicamenta, aut fingendũ eſt undecimum prędicamentũ, quod ſit entium rationis ordinatio. Tum etiam, quia ens rationis non habet entitatem, neque naturam veram, ſed fictam, ideoque neque ad prędicamentum verum, ſed fictum reijci debet.

Secundo colligitur, gratiam, & virtutes ſupernaturales directè collocari in prædicamento qualitatis, quia ſunt quid completum, & cõpoſitum, licet non compoſitione reali, tamen compoſitione rationis, quod ſufficit, ut aliquid ſit in aliquo prædicamento accidentis, ut docet D.Th.q.27. de ver. a. 1.ad 8.

LIBER SEPTIMUS.

DE PRÆDICAMENTIS, ET IN EO QUÆSTIO prima de Prædicamento ſubſtantiæ.

ART. I.

Quid ſit conſtitutivum ſubſtantiæ?

PRæmiſſa diviſione entis realis in decem prædicamenta, ad ſingulorum prædicamentorum enarrationem deſcendere neceſſe eſt. Et quia inter omnia prædicamenta ſola ſubſtantia, quæ perfectior eſt, prin-

ci

cipalem obtinet locum, ab ea liber de prædicamentis ſumere debet exordium. Subſtantia vero quandoque ſumitur pro quidditate, vel eſſentia; in quo ſenſu eſſentia cuiuſcumque rei dicitur illius ſubſtantia: ſubſtantia vero ſic ſumpta ſolùm opponitur prædicato accidentali, non autem accidenti prædicamentali. Aliquando autem accipitur pro entitate ſubſtantiali diſtincta ab accidenti inhærenti, ſeu exiſtenti in alio: in quo ſenſu importat eſſe per ſe, & ab alio non dependere tamquam à ſubiecto inhæſionis, & etiam habet ſubſtentare accidentia, ſeu accidentibus ſubſtare. Hoc autem non cōvenit ſubſtantiæ infinitæ, quę nullis clauditur terminis, ſed ſoli ſubſtantię creatæ, & finitæ, quæ certis limitibus comprehenditur.

Hæc tamen ſubſtantia dividitur in completam, & incompletam. Completa, (quę ſola prædicamentalis eſt) eſt illa, quę ex ſe non ordinatur ad alterius compoſitionem, vel complementum, ſicut homo, Petrus, &c. Incompleta eſt, quæ ordinatur ad alteram componendam, vel complendam, ſicut materia, vel forma, aut modus unionis in ſententia talem modum admittente. Et de utraque poterat inquiri, per quid conſtituatur in ſuo eſſe, & per quid ab accidenti diſtinguatur.

In qua parte, aliquibus refutatis ſententijs, quę in Scholis circunferúntur, concluſionem noſtram ex D. Th. deſumptam poſsibili claritate oſtendemus. In primis certum debet eſſe, ſubſtantiam *non conſtitui per negationem eſſendi in alio.* Et ratio eſt: quia forma dare non poteſt *eſſe* ſibi oppoſitum; ſed eſſe ſubſtantiæ eſt eſſe poſitivum: ergò nequit conſtitui per negationem eſſendi in alio, nàm pura negatio non poteſt dare eſſe poſitivum.

Dices: ſubſtantia conſtituitur per eſſe *ens per ſe*; ſed eſſe per ſe eſt pura negatio eſſendi in alio: ergò ſubſtantia conſtituitur per puram negationem eſſendi in alio. Prob. min. ex D. Th. 1. contra gent. cap. 25. ubi ſic ait: *dicitur ens per ſe ex hoc, quod non eſt in alio, quod eſt negatio pura*: ergò eſſe per ſe eſt pura negatio eſſendi in alio.

Reſp. neg. min. & ad prob. D. Th. (ex qua aliqui ſumpſerunt occaſionem aſſerendi, quod perſèiras in ſubſtantia ſolam negationem dicat) dicimus, Ang. Præcept. hoc non affirmare, ſed ſolùm aſſerere, quòd illa particula per ſe *non poteſt naturam, vel* ra-

rationem generis constituere. Quomodo autem substantia constituatur per rationem essendi per se, explicat D. Th. per hæc verba, quæ subdit: *oportet igitur, quod ratio substantiæ intelligatur hoc modo, quod substantia sit res, cui convenit esse non in subiecto, nomen autem rei à quidditate imponitur, sicut nomen entis ab esse. Et sic in ratione substantiæ debet intelligi, quod habeat quidditatem, cui conveniat esse non in alio.* Aliud est quid importet ly *per se* ex impositione suę significationis: aliud, ut explicat constitutivũ quidditatis substantiæ. Primo modo non amplius requirit, quã significare negationem essendi in alio. Secundo vero modo dicit positivam rationem essendi cum tanta perfectione, quod habeat negationem essendi in alio.

Secundo certum debet esse, *substantiam non constitui per substentare accidentia.* Quia priùs debet esse substantiam esse in se ipsa, quam accidentia substentare, sicut priùs est, rem esse in se, quam esse in ordine ad aliud. Insuper etiã, sicut substantia non dependet in esse ab accidentibus, ita non dependet ab illis in sui diffinitione: dependeret autem, si constitueretur per substentare accidentia.

Dices: substantia dicitur à substando, quasi *sub alijs stans*, & propterea Philos. ait, primam substantiam esse magis substantiam, quam secundam, eo quod prima substantia substat secundis substantijs, & etiam accidentia substentat: ergò substantia constituitur per substentare accidentia.

Resp. neg. conseq. Illud enim, a quo nomen imponitur, non semper sumitur ab essentiali constitutivo, sed ut plurimum à notioribus proprietatibus, & ita non semper constituit rem significatam per nomen, sicut lapis dicitur à *lædendo pedem*: vinũ *à viribus, quas auget*, sol, eo quod *solus omnibus lucet*: & tamen apertissimè constat, res eiusmodi non constitui essentialitèr per id, à quo nomen habent. Quo circa licet substantia dicatur à *substando*, non tamen per hoc constituenda est. Philos. vero solùm intendit primam substantiam esse magis substantiam, non quoad natúram substantiæ, quæ non suscipit magis, vel minus, sed quoad exercitium substentandi, & officium essendi sub alijs, quod supponit substantiam subsistentem, & in suo esse constituram.

Ulteriùs habemus non rectè diffiniri substantiam per *esse quédditatem rei, qua durante, res durat, & qua deficiente*

te, res formaliter deficit. Et ratio eſt, qui ſi ſic bene diffinitur, quæcumque res erit ſubſtantia, nàm durante eſſentia rei, durat quæcumque res, & deficiente, deficit formaliter.

Deindè habetur, non rectè diffiniri ſubſtantiam per *eſſe ens primò intentum à natura.* Aliàs individua non eſſent verè ſubſtantiæ, nam per ſe primò non ſunt à natura intenta. Et tandem conſtat, non benè diffiniri ſubſtantiam per *eſſe ens diſtinctum adæquatè à ſuppoſito.* Aliàs compoſitum accidentale eſſet ſubſtantia, quia ſuppoſitum neceſſariò includit, & conſequenter ab eo non diſtinguitur adæquatè.

Quare, his omnibus omiſſis, cum communi doctrina Thomiſtarum ex Ang. deſumpta Magiſtro, defendimus, ſubſtantiam conſtitui debere per eſſe per ſe, vel per ſe ſubſiſtere independenter ab alio, ut à ſubiecto ſubſtentante, non quidem formaliter, ſed exactivè, ideſt per illud prædicatum, cui debetur eſſe per ſe. Undè hæc erit.

Conſtitutivum ſubſtantiæ eſt exiſtere per ſe.

CConcluſionem iſtam docet Ang. Præcept. q. 7. de Potent. art. 3. ad 4. per hæc verba: *Si ſubſtantia poſſit habere diffinitionem, non obſtante quod eſt genus generaliſſimum, erit ejus diffinitio, quod ſubſtantia eſt res, cui quidditati debetur eſſe non in aliquo.* Et in 4. ſent. diſt. 12. q. 1. art. 1. ad 2. ſic explicat diffinitionem ſubſtantiæ: *diffinitio, vel quaſi diffinitio ſubſtantiæ eſt res habens quidditatem, cui acquiritur, vel debetur eſſe ut non in alio, & ſimiliter eſſe in ſubiecto non eſt diffinitio accidentis: ſed è contrario res, cui debetur eſſe in alio:* ergò ſubſtantia conſtituitur per ordinem ad exiſtere per ſe, ſeu ſubſiſtere, non ſecus ac accidens conſtituitur per ordinem ad exiſtendum in alio.

§. II.

Noſtra concluſio.

Prob. concluſio noſtra ratione: ſubſtantialitèr exiſtere eſt exiſtere per ſe, & independenter ab alio ut à ſubiecto ſubſtentante: ſed conſtitutivum ſubſtantiæ debet eſſe ſubſtantialiter exiſtere: ergò debet eſſe exiſtere per ſe. Prob. min. Conſtitutivum ſubſtantiæ debet eſſe per exiſtere exactivè, nàm omne ens conſtituitur per ordinem ad exiſtentiam, ſed conſtitutivum

ſubſ-

ſubſtantię non poteſt eſſe exiſtere indeterminatè, vel accidentalitèr exiſtere: ergò debet eſſe exiſtere ſubſtantialiter.

Confirmatur: conſtitutivum accidentis eſt exigentia exiſtendi dependenter ab alio: ergò conſtitutivum ſubſtantiæ debet eſſe exigentia exiſtendi per ſe, nàm hęc duo oppoſito modo conſtituenda ſunt.

Ut autem clariùs patefiat veritas concluſionis noſtrę, particula illa *per ſe* paulo uberius explicanda eſt. Ly *per ſe* poteſt accipi ſecundum quod opponitur enti per accidens; & hoc modo eſſe per ſe non ſolùm pertinet ad prędicamẽtum ſubſtantiæ, ſed ad quodcumque ens, quod non ſit ens per accidens: non etiam quantitas, qualitas &c. hoc modo ſunt entia per ſe. Poteſt etiam accipi ly *per ſe* ſecundùm quod opponitur enti inhærenti in alio, quod eſt accidens; & hoc modo pertinet ad ſubſtantiam tàm completam, quàm incompletam, ut notat D. Th. opuſc. 48. tract. de ſubſtantia, cap. 2. & opuſc. 42. cap. 10. nàm etiam pars ſubſtantię non poteſt eſſe accidens. Poteſt inſuper accipi ly *per ſe* ſecundùm quod opponitur enti in alio exiſtenti, ut pars in toto; & hoc modo pertinet ad ſubſtantiam prædicamentalem: hæc enim dicit totam quidditatem, & naturam completam in ratione naturæ licet non in ſuppoſito, ſicut *humanitas*. Et tandem poteſt accipi ly *per ſe* prout opponitur enti in alio exiſtenti non incommùnicabiliter, nec cum ultima terminatione: & hoc modo pertinet ad ſuppoſitum. Subſtantia verò, & exiſtentia pertinent ad modũ eſſendi; & ſubſtare ad ſuſtentationem aliorum, quod totum extrinſecum eſt ipſi naturæ, & quidditati ſubſtantię: ergò per ipſa non conſtituitur actu natura ſubſtantiæ; ſed ſolùm habet aptitudinem ad ipſa, ſicut accidens ad inhęrendum, & exiſtendum in alio.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntra concluſionem iſtam arguitur primo: ſuppoſitum eſt formaliter ſubſtantia; & tamen non debetur illi exiſtentia per ſe: ergò ſubſtantia non conſtituitur per exiſtere per ſe exactivè. Prob. min. Suppoſitum habet formalitèr exiſtentiam per ſe, & per eam conſtituitur: ergò illi non debetur exiſtentia per ſe.

Reſp. diſt. min. non debetur illi *debito phiſico*, conc. mai.

min. *debito logico*, neg. min. & conſeq. Suppoſito namque debetur exiſtentia per ſe, non quidem debito phiſico fundato in carentia exiſtentiæ, & potentialitate, ſed debito logico fundato in neceſsitate per ſe exiſtendi, quam neceſſario habet ſuppoſitum, in quo ſenſu nullum abſurdum eſt dicere, unicuique rei deberi ſua prædicata eſſentialia: ſicut propter ſimilem neceſsitatem Deus dicitur ſubſtantia, quamvis exiſtentia carere non poſsit. Verum in præſenti ſolùm loquimur de ſubſtantia creata, cui communiter ſumptæ debetur exiſtentia per ſe, debito à phiſico, & logico abſtrahente.

Secundò arguitur: forma ſubſtantialis eſt in alio, videlicet in materia; & tamen eſt ſubſtantia: ergò non benè diffinitur ſubſtantia per exiſtere per ſe.

Reſp. formam eſſe in materia tanquam in ſubiecto informationis, & per modum partis conſtituentis cum materia unum ens per ſe. Conſtitutivum verò ſubſtantiæ, ſecundùm quod diſtinguũtur ab accidenti inhærenti. non eſt per ſe exiſtere independentèr ab alio, ut à ſubiecto informationis, ſed ſolùm ut à ſubiecto inhæſionis. Addimus, formam per ſe exiſtere *ut quo*, quatenùs conſtituit rem exactivè per ſe exiſtentem, quamvis non exiſtat *ut quod*.

Inſtabis: materia eſt ſubſtantia, & tamen neque *ut quo* poteſt exiſtere, cum non ſit forma etiam conſtitutiva rei, cui debetur exiſtentia: ergò nec etiam forma ſubſtantialis poterit exiſtere *ut quo*.

Reſp. neg. min. Nàm materia etiam conſtituit rem per modũ partis materialis, ideoque exiſtit *ut quo* per exiſtentiam compoſiti, per quam mediatè, & ex conſequentì compoſiti partes exiſtunt. In quo ſimiliter ſenſu modas unionis, ſubſtantia, & exiſtentia exiſtunt ut quo, quatenùs per omnia hæc conſtituitur compoſitum ſubſtantialiter conſtitutum in eſſe.

Dices: ergò in diffinitione ſubſtantiæ exiſtere per ſe debet intelligi vel *ut quo*, vel *ut quod*; ſed hoc potius eſt diviſio ſubſtantiæ, quam illius diffinitio: ergò nequit hoc modo intelligi diffinitio ſubſtantiæ.

Reſp. conc. 1. conſeq. & ad minorem dicimus, quod cum in præſenti diffiniatur ſubſtantia abſtrahens à completa, & incompleta, non eſt inconveniens, quod indiffinitione cõmuni ad utramq; inclũdatur diviſio per modos diverſos exiſtendi; ſicut ens incõmuni

ni benè diffinitur per ordinem ad exiſtentiam in qua diffinitione virtualiter includitur diviſio per exiſtentiam à ſe, vel ab alio, quia etiam ipſum ens incommuni dividitur in ens â ſe, vel ab alio.

Tertiò arguitur: exiſtere per ſe convenit alijs à ſubſtantia: ergò nequit eſſe conſtitutivum ſubſtantiæ. Prob. ant. exiſtere per ſe convenit accidentibus: ergò convenit alijs â ſubſtantia. Prob. ant. accidentia in Sacramento Euchariſtiæ per ſe exiſtunt ſine aliquo ſubiecto, non enim ſunt in alio tanquam in ſubiecto: ergò exiſtere per ſe convenit accidentibus.

Reſp. negand. duo ant. prima, & ad probationem diſt. ant. per ſe exiſtunt præternaturaliter, & ab extrinſeco, conc. ant. naturaliter, & ab intrinſeco, vel exactiè, neg. ant. & conſeq. Licet namque, remota ſubſtantia panis in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, accidentia remaneant ſine ſubiecto, quatenus ſine ſubiecto conſervantur à Deo, ſuplendo concurſum conſervativum ſubſtantiæ in genere cauſæ efficientis, vel communicando modum intrinſecum, non per ſe ab illis exactum, ſemper tamen exigunt con naturaliter ſubiectum, ita ut, niſi divinitus conſervarentur, penitus perirent, remota ſubſtantia panis: & ità ſemper ſunt accidentia. Quia accidens eſt res, cui debetur eſſe in ſubiecto, ſubſtantia verò eſt res, cui debetur eſſe per ſe: ut diximus ex D. Th. inter probandam concluſionem.

§. IV.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in articuli diſcurſu colligitur, ſubſtantiam, ut eſt primum prædicamentum, rectè diffiniri (ſi tamen propriè diffiniri poteſt, eſt enim genus ſupremum, quod ex genere, & differentia non conſtat) *ens per ſe exiſtens*: ſicut è contra accidens *ens exiſtens in alio*. Hęc autem diffinitiones ſic veriunt intelligendę, quod ſcilicet ſubſtantia eſt ens, cui debetur eſſe in ſe; accidens verò ens, cui debetur eſſe in alio: quod autem ſubſtantia

actu exiſtat per ſe, & accidens actù exiſtat in alio, non eſt de eſſentia utriuſque, quia actualis exiſtentia non eſt de eſſentia alicuius creaturę. Deſcriptivè autem poterit diffiniri ſubſtantia per eſſe *id, quod accidentibus ſubſtat*, eo quod ſubſtare accidentibus eſt quid ſecundarium in ea, conſequens ex eo, quod in ſe, ſicut illuminare alia ſequitur ad corpus lucidum in ſe. De quo videatur Prędicam. Ang. 3.p. q.77. art.1. ad 2.

ART. II.

An benè dividatur ſubſtantia in primam, & ſecundam, & qualis ſit hæc diviſio.

§. I.

Explicatur diviſio ſubſtantiæ.

SUbſtantia prædicamentalis completa directè in prædicamento ponibilis in primam, & ſecundam dividitur. Prima ſubſtantia diffinitur ab Ariſtotele; *quæ neque de ſubiecto aliquo dicitur, nec in ſubiecto aliquo eſt, ſicut Petrus, aut hic homo*, qui nec eſt in ſubiecto, nec de ſubiecto per modum ſuperioris prędicatur. Per *non eſſe in aliquo ſubiecto* diſtinguitur prima ſubſtantia ab accidenti: & per *non dici de ſubiecto aliqua* differt à ſubſtantijs ſecundis, & etiam à ſubſtantijs incompletis, v.g differentijs ſubſtantialibus, quæ de ſubjecto dicuntur. *Secundas* verò ſubſtantias in plurali diffinivit Ariſtoteles, quod *dicuntur genera, & ſpecies*, vel, ut ſubdit in eodem corp. *quæ non ſunt in ſubiecto, de ſubiecto tamen dicuntur, ſicut corpus, & animal. Per non eſſe in ſubiecto diſtinguitur* ſecunda ſubſtantia ab accidenti, & per *dici de ſubiecto differt* à ſubſtantia prima, quę de ſubiecto non dicitur. Quid autem ſit *non eſſe in ſubiecto, & de ſubiecto dici*, inter explicandas regulas anteprędicamentales dictum eſt.

Verum quia *ſubſtantia* quandoque accipitur pro ſupremo genere huius prædicamenti; quandoque pro natura eorum, quę in toto hoc prædicamento continentur; quandoque verò pro individuo exercente munus ſubſiſtendi in ſe, & ſubſtentandi alia; & hoc dupliciter, vel primò intentionaliter, vel ſecundò intentionaliter: hinc in diverſa placita diviſi ſunt Authores circa aſſignandum diviſum huius diviſionis, qua-

qualis ſit diviſio, & qualia membra dividentia. Aliqui namque aſſerunt in hac diviſione tàm diviſum, quàm membra dividentia primo intentionaliter accipienda eſſe. Alij verò per aliud extremum, utrumque ſecundò intentionaliter ſummunt. Alij denique media via procedant, aſſerentes diviſum eſſe accipiendum primò intentionaliter, ſcilicet pro natura ſubſtantiæ, membra autem dividentia ſumenda eſſe ſecundò intentionaliter, videlicet pro rebus ipſis, quæ ſunt ſubſtantia prout denominatur iſtis ſecundis intentionibus ſubſiſtendi, & ſubſtandi univerſaliter, vel individualiter. Quæ ſententia magis conſona videtur menti Ariſtotelis, & Interpretum eius, ideoque ab Authoribus media via procedentibus nobis recedere non licet, ſed potius cum illis hęc erit.

§. II.

Noſtra concluſio.

Diviſum huius diviſionis non eſt ſubſtantia completa, quatenus eſt genus ſupremum, *aut* ſecundo intentionaliter *ſumpta; ſed* ſolum primò intentionaliter accepta, *quatenus communis eſt ad genera, ſpecies, & individua: eſtque* diviſio prædicta ſubiecti in accidentia rationis, *adæquata tamen.*

RAtione ſatis probabili quoad omnes eius partes ſuadetur concluſio noſtra: quoad primam quidem, quia diviſum debet participari ab utroque membro dividente; ſed ſubſtantia completa, quatenùs eſt genus ſupremum, non participatur ab utroque membro dividente, ſed ſolùm â ſecunda ſubſtantia, cùm ſolùm ſecundæ ſubſtantiæ ſint genera, vel ſpecies, ut ſupra vidimus ex Ariſtotele, non verò prima ſubſtantia: ergò diviſum huius diviſionis non eſt ſubſtantia completa, quatenus eſt genus ſupremum.

Quoad 2. verò partem, ſcilicet, ſubſtantiam completam ſecundò intentionaliter ſumptam non eſſe diviſum huius diviſionis, ſic oſtenditur: quia diviſio ſubſtantiæ completę directè in prædicamento ponibilis in primam, & ſecundam, ſeu in univerſalem, & particularem, ſpecialis eſt in prędicamento ſubſtan-

tiæ ; ſed ſi diviſum huius diviſionis eſſet ſubſtantia completa ſecundò intentionaliter ſumpta , ſpecialis non eſſet: ergò diviſum huius diviſionis non eſt ſubſtantia completa ſecundo intentionaliter ſumpta. Prob. min. Quodlibet accidens ſecundò intentionaliter ſumptum poteſt etiam dividi in univerſale , & particulare: ergò diviſio ſubſtantiæ completę in primam, & ſecundam, ſeu in univerſalem , & particularem ſpecialis non eſſet in prædicamento ſubſtantiæ.

Quod vero diviſum huius diviſionis ſit ſubſtantia completa primo intentionaliter accepta , ſic ſuadetur : diviſum huius diviſionis debet eſſe ſubſtantia, ſecundum quod ponitur per modum prædicati communis in diffinitionibus primę , & ſecundæ ſubſtantię ; ſed in diffinitionibus primæ , & ſecundæ ſubſtantiæ ponitur ſubſtantia primo intentionaliter ſumpta , cum in diffinitione utriuſque ponatur *non eſſe in ſubiecto* , quod quidem prima intentio , non vero ſecunda eſt , reſpectu ſubſtantię : ergò diviſum eſt ſubſtantia primo intentionaliter ſumpta.

Quod autem hæc diviſio non ſit generis in ſpecies (ut aliqui autumant) nec analogi in analogata , (ut cenſent alij) ſed ſubiecti in accidentia , non obſcure docet Præcept. Ang. q.9. de Pot. art. 2. ad 6. ubi ait : *quod , cum dividitur ſubſtantia in primam, & ſecundam , non eſt diviſio generis in ſpecies , cum nihil contineatur ſubſecunda ſubſtantia , quod non ſit in prima , ſed eſt diviſio generis ſecundum diverſos modos eſſendi. Nam ſecunda ſubſtantia ſignificat naturam generis ſecundum ſe abſolutam : prima vero ſubſtantia ſignificat eam ut individualiter ſubſiſtentem. Unde magis eſt diviſio analogi , quam generis.* In quibus verbis communiter notant Thomiſtæ Div. Th. non ſenſiſſe hanc diviſionem eſſe analogam, ſed magis analogi , quam generis , eo quod comparative ad diviſionem generis, quę eſt in diverſas ſpecies, & naturas , hęc magis accedit ad diviſionem analogi, quam generis , cum fiat per diverſos modos ; revera tamen neutrius eſt: ſed ſolùm diviſio naturæ ſubſtantiæ in ſuos modos , vel ſubiecti in accidentia.

Quod

Quod autem hæc accidentia ſint accidentia rationis, valdè conſonum eſt menti Ariſtotelis, & Interpretum ejus: nàm ad mentem Ariſt. diviſio ſubſtantiæ in primam, & ſecundam idem eſt ac diviſio ſubſtantiæ in univerſalem, & particularem, ſeu in ſubſtantiam, quæ prædicatur de aliquo, & in ſubſtantiam, quæ de nullo prędicatur; ſed prædicari de aliquo, & de nullo prædicari ſunt accidéntia rationis, ad quæ ipſa ſubſtantia comparatur ut ſubiectū: ergò diviſio prędicta eſt ſubjecti in accidentia rationis. Ex quo conſtat prędictam diviſionem eſſe adæquatam, eo quod nulla eſt dabilis ſubſtantia completa directè in prædicamento ponibilis, quæ univerſalis, vel particularis non ſit. Quidquid tamen ſit, an hujuſmodi diviſio ſatis hac via explicetur, profecto res non eſt tanti momenti pro Tyronibus, ut in ea diſcutienda amplius immorandum ſit.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntra concluſionem iſtam argnitur primò: membra bonę diviſionis debent inter ſe oppoſitionem habere; ſed membra præfatæ diviſionis non habent oppoſitionem: ergò non benè dividitur ſubſtantia in primam, & ſecundam. Prob. min. Dum membra diviſionis habent oppoſitionem, nequit unum de altero prædicari; ſed in præfata diviſione unum membrum de altero prædicatur: ergò membra prędictæ diviſionis non habent oppoſitionem. Prob. min. Secunda ſubſtantia prędicatur de prima, ut in hac propoſitione, *Petrus eſt homo*: ergò unum membrum prędictę diviſionis de altero prædicatur.

Reſp. neg. 1. & 2. minorem, ad cuius probationem diſt. ant. ſecunda ſubſtantia primo intentionaliter ſumpta, conc. ant. ſecundò intentionalitèr accepta, neg. ant. & conſeq. Licet namque ſecunda ſubſtantia materialitèr, & primò intentionaliter ſumpta prædicetur de prima, ut in propoſitione prædicta; non tamen ſecundò intentionaliter accepta, vel conſi-

derata pro formali: nam hæc propoſitio, *prima ſubſtantia eſt ſecunda* falſa eſt. Undè membra ſumpta formaliter ad invicem opponuntur, quod ſufficit, ut diviſio in præfata membra exacta, & bona ſit.

Secundo arguitur: diviſum prędictæ diviſionis continetur ſub aliquo ex membris dividentibus: ergò prædicta diviſio bona non eſt. Prob. ant. Diviſum huius diviſionis eſt ſubſtantia completa in cōmuni; ſed hæc, cum ſit genus, eſt ſecunda ſubſtantia: ergò diviſum prædictæ diviſionis continetur ſub aliquo ex membris dividentibns.

Reſp. neg. ant. & ad probat. dicimus, diviſum eſſentialitèr conſideratum abſtrahere à prima, & ſecunda ſubſtantia, & ſolùm accidentalitèr, aut denominativè eſſe ſecundam ſubſtantiam, quatenùs denominatur ab intentione univerſalis, & ita ſolum accidentalitèr contineri ſub aliquo membro dividente, quod non implicat: ſicut terminus dividitur in univocum, & æquivocum, & tamen terminus ſic diviſus univocè dividitur, & univocus denominatur, & denominative ſub membro dividente cōtinetur. Quod ut facilius intelligas, recole ea, quę dicta ſunt in lib. Prædicabilium, q.1. art.2. in reſp. ad 2. argum.

§. IV.

Subſtantiæ proprietates aſſignantur.

SUbſtantia ergò ſuas habet proprietates, quarum *prima eſt, in ſubiecto non eſſe*; quod quidem intelligendum eſt de ſubiecto inhęſionis, quod eſt ſubiectum completum ex materia, & forma compoſitum: & hoc modo *non eſſe in ſubiecto* eſt commune omni ſubſtantię tàm completæ, quàm incompletæ, ſive primæ, ſive ſecundæ, nulla enim ex his in ſubiecto completo exiſtit.

Secunda proprietas eſt, *quod univocè prædicetur de ſubiecto.* Hæc autem proprietas non convenit primę ſubſtantiæ, quæ quidem de nullo ſubiecto prædicatur, ut hic inquit Ariſt. ſed ſolum ſecundis ſubſtantijs, quales ſunt ſpecies, & genera: ſpecies enim prædicantur de individuis, & genera de ſpeciebus, & individuis.

Tertia proprietas eſt, quod *prima ſubſtantia ſignificat hoc aliquid*, quod quidem indubitabile, & verum eſt, ut hic inquit Ariſt. *Nam hoc aliquid*, cum ſit compoſitum ex ly *hoc*, importat quoddam demonſtrabile per ſenſum, quod quidem de-

debet eſſe aliquod particulare, nam univerſale per ſenſum demonſtrari non poteſt; & ly *aliquid* ſubſtantiam importat: nàm ſicut *aliquantum* notat quantitatem, & aliquale *qualitatem*, ita *aliquid* ſubſtantiam notat. Unde *hoc aliquid* nihil aliud eſt, quam ſubſtantia particularis, ſeu demonſtrabilis, & cum prima ſubſtantia ſignificet aliquam ſubſtantiam particularem, propterea in dubium eſt omni, & ſoli primæ ſubſtantię convenire hoc aliquid ſignificare. Secunda verò ſubſtantia *ſignificat quale aliquid*, *vel quale quid*, eo quod prędicatur de prima per modum ſuperioris, & de ratione prędicati eſt eſſe formam ſubiecti, de ratione verò formæ eſt ſubiectum qualificare: & hoc modo non eſt proprium quarto modo reſpectu ſubſtantiæ ſecundæ, quia etiam prædicata ſuperiora accidentis ſignificant *quale quid*. Si verò *quale quid* non accipiatur ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, ſcilicet, qualem quandã ſubſtantiam, convenit ſolis ſubſtantijs ſecundis: nàm genera, & ſpecies circa ſubſtantiam qualitatem determinant, ut dicit Ariſt. qualem enim quãdam ſubſtantiam ſignificant.

Quarta proprietas eſt, *ſubſtantijs nihil eſſe cõtrarium*, nàm contraria ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto mutuo ſe expellunt, & una ſubſtantia non expellit aliam à ſubiecto, ſiquidem ſubſtantia in ſubiecto non eſt. Nihil tamen prohibet ſubſtantias inter ſe contrariari ratione contrariarum qualitatum, ſicut ignis pugnat cum aqua ratione frigoris, & caloris, humiditatis, & ſiccitatis. Debet tamen intelligi hæc proprietas de contrarietate vera, non de lata comprehendente quamlibet oppoſitionẽ, quia ſubſtantiæ v. g. formæ ſubſtantiali privativè opponitur formæ carentia. Hęc autem contrarietas non eſt proprium quarto modo reſpectu ſubſtantiæ, quia etiam quantitati determinatæ, *bicubitæ* v. g. nulla alia contrariatur: quidquid ſit de quantitate incerta, & indeterminata.

Quinta proprietas eſt, *ſubſtantiam non ſuſcipere magis, & minus*, quia non eſt in ſubiecto, in quo poſsit intendi, & remitti. Undè licet aliquę ſubſtantiæ ſint perfectiores alijs, ſicut Angeli hominibus, homines brutis, & inter animas rationales una ſit alia, ſaltim individualitèr, perfectior, eadem tamen ſubſtantia non eſt modo magis, modo minus ſubſtantia: ſicut idem calor eſt modo maior, modo minor. Hæc autem proprietas

etiam convenit quantitati, & relationi.

Sexta proprietas eſt, ſolam ſubſtantiam eſſe ſuſceptivam contrariorum, quia ſola poteſt recipere accidentia contraria. Hoc autem intelligendum eſt de ſubſtantia creata, quæ ſemper, & ſola hoc habet; ſiquidem Angeli ſuſcipiunt diverſas inclinationes, cœli diverſos motus, elementa contrarias qualitates: & ſubſtantias corruptibiles paſſim qualitates recipere contrarias ſatis cum diſpendio noſtro experimur, dum langorem ſuſcipit, & ſanitatem, idemque numero homo aliquando quidem eſt albus, aliquando autem niger, quandoque calidus, quandoque frigidus, nunc ſtudioſus, & poſtea pravus. Ex quibus conſtat prędictam proprietatem debere intelligi de receptione contrariorum non ſimul, ſed ſucceſsivè. Proprietates autem enumeratæ non ſunt phiſicę, ſed ſolùm attributales, non enim ſunt aliquid realiter diſtinctum à ſubſtantia, ſed ſolùm quędam notiones ſecundariæ, quæ ſubſtantiæ attribuuntur.

Inſtabis contra ultimam proprietatem: recipere contraria convenit alijs à ſubſtantia: ergò non eſt proprietas quarto modo reſpectu ſubſtantię. Prob. ant. Eadem propoſitio poteſt tranſire de vera in falſam, nàm hæc propoſitio, Petrus ſedet, eſt vera, eo ſedente, & illo ſurgente, falſa; ſed verum, & falſum ſunt contraria: ergò recipere contraria convenit alijs à ſubſtantia.

Reſp. neg.ant. & ad probationem dicimus cum Ariſtotele in hoc cap. ſubſtantiam recipere contraria cum intrinſeca mutatione, amittendo aliquid intrinſecũ,& aliud de novo adquirendo. Et hoc modo non convenit orationi, quæ tantum recipit verum, & falſum abſque intrinſeca mutatione per ſolam extrinſecam mutationem obiecti. Quapropter ſubdit Philoſ. quod proprium ſolùmmodo ſubſtantiæ eſt recipere contraria, eo quod ſecundùm mutationem ſuam ſuſceptiva eſt contrariorum.

Secundò inſtabis: virtutes, & vitia contrariantur, & tamen non recipiuntur immediatè in ſubſtantia, ſed ſolùm in potentijs animæ; ut docet D. Th. q.1. de virtutibus, art. 3. ergo recipere contraria convenit alijs á ſubſtantia.

Reſp. virtutes, & vitia ſolùm recipi in potentijs animæ tanquam in ſubiecto *quo*, ſubiectum vero *quod* eſſe ſolùm ſubſtantiam, & hoc eſſe pro-

proprium illius. Hoc autem non obſcurè docet Præcept. Ang. art. 3. cit. in corpore, ubi ait: quod cum nullum accidens per ſe ſubſiſtat, non poteſt alteri ſubſtentamentum præbere, niſi fortaſſe dicatur, quod in quantum eſt à ſubjecto ſubſtentatum, aliud accidens ſuſtentat.

ART. III.

Utrum Deus ponatur in prædicamento ſubſtantiæ.

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis, ſtatuitur noſtra concluſio.

AD intelligentiam iſtius difficultatis primo ſupponendum eſt, omnes ſubſtantias completas, finitas, & limitatas in prædicamento ſubſtantiæ collocari, quia genus generaliſsimum, videlicet ſubſtantia completa, finita, & limitata de omnibus prædicatur, etiam de cœlo, & de Angelica ſubſtantia: & conſequenter omnia hæc ſub tali genere continentur, & in eius prædicamento ponuntur.

Secundo præmittendum eſt contra Scotum, & Duran-dum, Chriſtum Dominum *abſolutè* in prædicamento ſubſtantiæ collocari; ſiquidem componitur ex genere, & differentia, & eſt perfectus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens, univoceque conveniens cum cæteris hominibus: & ità, ſicut omnia alia individua humana, ponitur Chriſtus in prædicamento ſubſtantiæ.

Inſtabis: ſolum ſubſtantia creata abſolutè eſt in prædicamento ſubſtantiæ; ſed Chriſtus Dominus abſolutè non eſt creatura: ergò abſolutè non ponitur in prædicamento ſubſtantiæ. Min. prob. ex D. Th. 3. p. q. 16. art. 8. in corp. ubi ait: *quod non eſt abſolutè dicendum, quod Chriſtus ſit creatura; ſed cum determinatione, ſcilicet ſecundum humanam naturam*: ergò.

Reſp. conceſſa maj. & min. negand. conſeq. Licet enim abſolutè dicendum non ſit, quod Chriſtus ſit creatura, ſed cum determinatione, ſcilicet ſecundùm humanam naturam, ne videamur favere errori Hæreticorum Arianorum, qui dixerunt Chriſtum eſſe creaturam, non ſolùm ratione humanæ naturæ, ſed etiam ratione divinæ perſonæ, & cum hæreticis nec nomina debemus habere communia: abſolutè ta-

tamen dici poteſt, quod Chriſtus ponitur in prædicamento. Nàm *poni in prædicamento* eſt verbum appellativum, & applicat ſuum ſignificatum ſupra formam, vel naturam, ratione cuius convenire poteſt, & ideo appellat naturam humanam, ratione cuius Chriſtus capax eſt, ut in prędicamento ponatur, propterea que abſolutè verùm eſt, quod Chriſtus ponitur in prędicamento ſubſtantię.

Tandèm ſupponimus Deum non poſſe poni in prædicamento accidentis, quia Deus non eſt accidens, nec accidentia ſubſtentat, ut docet D. Aug. lib. 4. confeſ. cap. 16. & Aug. Præcept. in 1. ad Annib. diſt. 8. q. 3. art. 3. Nec etiam eſt genus generaliſsimum prędicamenti ſubſtantiæ, quia non prædicatur in recto de omni ſubſtantia completa.

An verò contineatur ſub tali genere, & ut ſic in prędicamento ponatur, præſens difficultas eſt. In qua affirmant plurimi extra Scholam D. Th. ſed negant omnes Thomiſtæ cum Ang. Doct. cum quibus hęc erit.

§. II.

Noſtra concluſio.

Deus nec ſimpliciter, & propriè, nec etiam per reductionem continetur in prędicamento ſubſtantiæ.

CConcluſionem iſtam docet Div. Aug. lib. 4. confeſ. cap. 16. ubi dolens de eo, quod ſcripſerat in lib. categoriarum, quem, annos natus fermè viginti, transtulit pro filio ſuo, in hæc verba prorrumpit: *quid hoc mihi proderat, quando & oberat, cum etiam te, Deus meus, mirabiliter ſimplicem, atque immutabilem, illis decem prædicamentis putans quidquid eſſet omnino comprehenſum, ſic intelligere conare, quaſi & tu ſubiectus eſſes magnitudini tuæ, & pulchritudini, ut illa eſſent in te quaſi in ſubiecto, ſicut corpore, falſitas enim erat, quam de te cogitabam, non veritas, & figmenta miſeriæ meæ, non firmamenta beatitudinis tuæ*: ergò falſum eſt, & figmentum miſeriæ hominum Deum in prædicamento ſubſtantiæ collocari. Idem cenſent reliqui SS. Patrum, præſertim D. Thomas Aquinas, omnium Patrum epitome, in 1. p. q. 3. a. 5. & 1. ad Annib. diſt. 8. q. 3. art. 2. ex cuius doctrina ſic quoad primam partem.

Concluſio noſtra probatur: illud eſt ſimpliciter, & propriè in aliquo genere, quod ſub

ſub eō cōtinetur ſicut ſpecies; ſed Deus nequit eſſe ſpecies alicuius generis; ergò non poteſt contineri ſimpliciter, & propriè in prædicamento ſubſtantię. Prob. min. ſpecies cuiuslibet generis debet eſſe cōpoſita ex genere, & differentia; ſed Deus nequit componi ex genere, & differentia: ergò nequit eſſe ſpecies alicuius generis. Prob. min. Compoſitio ex genere, & differentia requirit unum conceptum eſſe in potentia ad alterum; ſed potentialitas, & determinabilitas omni divino prædicato repugnat, ſiquidem potentialitas opponitur cum ratione actus puriſſimi, quę omni divino prædicato communis eſt: ergò Deus nequit componi ex genere, & differentia. Minor conſtat, nam in actu puriſſimo nec veſtigium quidem potentialitatis debet apparere. Maior verò prob. 1. Quia genus ex conceptu proprio eſt in potentia vera, & riguroſa ad differentias, & per illas vere, & rigoroſè determinatur: ergò compoſitio ex genere, & differentia requirit unum conceptum eſſe in potentia ad alterum, & per illum determinari.

Secundò prob. maj. Compoſitio ex genere, & differentia requirit neceſſariò unum conceptum non continere etiā implicitè alium, quia genus eſt extra conceptum differentię, & differentia ſimiliter eſt extra conceptum generis, ut docet Ariſt. ergò prædicta compoſitio neceſſariò requirit unum conceptum eſſe in potentia ad alterum, & per aliū determinari.

Reſpondebis: ad rationem genetis ſatis eſſe quod ſit potentiale ex parte modi concipiendi, aut ex parte noſtri intellectus, non tamen requiri, potentiale eſſe ex parte obiecti, vel ex parte rei conceptæ: potentialitas autem ex parte noſtri intellectus, cum ſumma actualitate ex parte obiecti, Deo repugnare non poteſt.

Sed contrà eſt: quia genus debet eſſe Metaphiſicè, & eſſentialiter potentiale, ſiquidem ex genere, & differentia reſultat Metaphiſica compoſitio, quæ neceſſariò requirit genus eſſe Metaphiſicè potentiale, & differentiam Metaphiſicè actualem, & determinātem genus, ſed prędicatum Metaphiſicè, & eſſentialiter potentiale non eſt tale ſolùm ex parte noſtri intellectus, ſed etiam ex parte obiecti: ergò genus etiam ex parte objecti verè potentiale eſt.

Dices: potentialitas Metaphiſica in hoc ſolùm conſiſtit, quod duos diſtinguamus con-

conceptus, quorum unus per alium perficiatur, & determinetur: quos quidem conceptus Deo tribuere possumus.

Contra tamen est: quia conceptus per alios perfectibiles Deo attribuere non possumus, nam dùm aliquem conceptum Deo attribuimus, ipsum tribuere debemus remotis imperfectionibus, & prout dicit ultimam actualitatem suę lineæ, conceptus autem potentialis, & ulteriùs perfectibilis imperfectionem dicit, & non importat ultimam actualitatem suæ lineæ: consequenterque Deo attribuere non possumus.

Secundo probatur conclusio: quidquid ponitur in prędicamento debet esse limitatum, & finitum, siquidem clauditur terminis, eo quod omne prædicatum determinatis terminis comprehenditur: ergò Deus infinitus, quem totus non capit orbis, non potest poni in prędicamento substantię.

Quantum ad secundam verò partem sic probatur nostra conclusio: quod ponitur reductivè in aliquo prædicamento, debet pertinere ad ipsum, vel sicut motus ad prædicamentum sui termini, vel sicut privatio ad prædicamentum sui habitus, aut sicut imperfectum ad perfectum, sicut potentia ad prædicamentum actus, vel sicut actus ad prædicamentum potentiæ, qualiter existentia reducitur ad prędicamentum essentiæ, vel tandem sicut principium ad principiatum, qualiter unitas pertinet ad quantitatem discretam, & punctum indivisibile ad quantitatem continuam; sed nullo ex his modis potest Deus reductivè pertinere ad prædicamentum substantiæ: ergò Deus nec etiam per reductionem continetur in prædicamento substantiæ. Min. quantum ad tres primas partes apud omnes est manifesta: quo ad ultimam verò sic probatur ex D. Th. loco supra cit. 1. part. in calce corp. Principium, quod reducitur ad aliquod genus, non se extendit ultrà illud genus, sicut punctum non est principium nisi quantitatis continuæ, & unitas nisi quantitatis discretę; sed Deus se extendit ad omnia genera, cum sit principium totius esse: ergò non pertinet reductivè ad prędicamentum substantię principium.

§. III.

Solvuntur argumenta.

ARguitur primo contra primam partem conclusionis: nàm Div. Aug.

Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 9. aſſerit, quædam prædicamenta, *ſubſtantiam, videlicet, relationem, & actionem* propriè dici de Deo: ergò Deus propriè ponitur in his tribus prædicamentis.

Reſp. talia prædicamenta propriè dici de Deo per analogiam proportionalitatis propriè, ad differentiam aliorum prędicamentorum, quę non proprie, ſed translatè, ac per ſimilitudines in Deo dicuntur, ut cap. prędcedenti ait ipſe D. Aug. Ex hoc autem nō ſequitur, quod Deus ponatur in iſtis prædicamentis; ad hoc enim neceſſe erat, quod univocè dicerentur de Deo, & creatura: quod aſſerendum non eſt.

Quod autem hæc ſit mens Magni Par. Aug. ex contextu eius doctrinæ deducitur manifeſtè. Ipſe namque lib. 5. cit. cap. 2. ait: quod *Deus eſt ſine dubitatione ſubſtantia, vel ſi melius hoc apellatur eſſentia.* Et cap. 9. in fine, (in memoriam revocans, quæ dixerat prius de ſubſtantia, relatione, & actione) ſic ait: quod non translatè, aut per ſimilitudinem, ſed propriè dicuntur de Deo, ſi tamen de illo propriè aliquid dici ore hominis poteſt. Et tandem lib. 7. de Trinit. cap. 5. inquit: quod nefas eſt dicere, ut ſubſtat, & ſubſit Deus bonitati ſuę. Unde manifeſtum eſt Deum abuſivè ſubſtantiam vocari, ut nomine uſitatiore intelligatur eſſentia, quod verè, ac propriè dicitur, ita ut fortaſſe ſolùm Deum dici oporteat eſſentiam: ergò juxta Div. Aug. Deus non eſt ſubſtantia univocè nobiſcum. Similiter relatio in nobis eſt accidens, in divinis autem non eſt accidens, ſed ipſa eſſentia divina, in loc. cit. docet Aug. & Div. Th. 1. p. q. 29. art. 4. in corp. Idemque de actione dicendum; ac proinde hùiuſmodi non univocè, ſed ſolùm analogicè de Deo, & nobis dicuntur.

Secundò arguitur: Chriſtus ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, ut dictum eſt in 2. notabili; ſed Chriſtus eſt Deus: ergò Deus ſimpliciter ponitur in prędicamento ſubſtantię.

Reſpond. negand. conſeq. Quia variatur appellatio, nàm in minori verificatur eſſe Deum de Chriſto ratione ſuppoſiti, in maiori vero poni in prędicamento ratione naturæ humanæ; nàm poni in prædicamento eſt prędicatum ſecundæ

æ intentionis, & appellat ſupra naturam humanam, ratione cuius Chriſtus eſt capax, ut in prędicamento ponatur: in conſequenti verò poni in prædicamento appellat ſupra naturam divinam.

Inſtabis: ſola natura non ponitur in prædicamento, ſed etiam ipſum ſuppoſitum; ſed ſuppoſitum Chriſti eſt Divinum: ergò, vel Chriſtus non ponitur in prædicamento, vel etiam ipſe Deus ponitur.

Reſp. naturam Chriſti, ut completam per ſuppoſitum, poni in prædicamento, ſuppoſitum autem in prædicamento non ponitur, ſed ſolùm complet naturam, ut poſsit in prædicamento poni. Quo circa D. Th. 3. p. q. 2. art. 3. ad 3. argumentum ſimile ſolvens, ait: *ſic ergo dicendum eſt, quod Chriſtus eſt in ſpecie humana, ratione naturæ aſſumptæ, non ratione ipſius hypoſtaſis.*

Dices: ex prædicta ſolutione ſequitur, ſuppoſitum divinum ſaltim reductivè pertinere ad prædicamentum ſubſtantię, ſed hoc non conſonat cum doctrina data in ultima ratione probativa concluſionis: ergò ſolutio vera non eſt. Prob. mai. Complementum eius, quod pertinet ad prædicamentum ſubſtantię ad hoc reducitur; ſed ſuppoſitum divinum, juxtà datam ſolutionem, complet naturam humanam Chriſti, quæ ponitur in prędicamento ſubſtantiæ: ergò reductivè pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ.

Reſp. neg. mai. & ad probat. diſt. mai. complementum *ordinatum ad talem naturam*, conc. mai. *ſolum ſupernaturaliter ad talem naturam ſe extendens*, neg. mai. Quia ſuppoſitum divinum non ordinatur naturaliter ad naturam humanam, ſed ſolùm ſupernaturaliter ſe extendit ad illam perficiendam, propterea que non debet etiam reductivè pertinere ad prædicamentum cum ea. Solùm enim reducuntur ad prædicamentum naturæ humanę modi pertinentes ad ipſam compoſitionem, vel complementum ipſius, ut modi ſubſtantiales ſubſiſtentiæ propriæ, unionis, & ſimiles.

Tertiò arguitur: Deus componitur ex genere, & differentia: ergò eſt ſpecies, conſequenterque ſimpliciter, & propriè ponitur in prædicamento. Prob. ant. Sicut Deus eſt purus actus, ità materia eſt pùra potentia, & tamen materia componitur ex genere, & differentia: ergò etiam Deus.

Reſp. neg. ant. & ad probat. neg. mai. ly *fiunt* in omni-

nibus patificante. Quia Deus non ſolùm phiſicè, ſed etiam logicè eſt purus actus, & omnem logicam potentialitatem excludit: materia verò ſolùm phiſicè pura potentia eſt.

Dices: ergò ſicut Deus eſt purus actus, ita materia eſt pura potentia, ly *ſicut* in genere phiſico patificante; ſed hoc ſtante, poteſt Deus Metaphiſicè componi ex genere, & differentia: ergò. Prob. min. ſicut Deus non eſt phiſicè compoſitus, ità nec materia; & tamen materia componitur Metaphiſicè ex genere, & differentia: ergò etiam Deus.

Reſp. neg. min. ſubſumptam, & ad probationem neg. mai. quia materia phiſica, quamvis non ſit compoſita ut *quod*, & ex partibus præcedentibus, eſt tamen compoſita *ut quo*, vel extremum phiſicæ compoſitionis, ſicut ſubſiſtentia, & exiſtentia, & huiuſmodi alia: Deus autem neque *ut quo* compoſitus eſt, nec ullo modo in compoſitionem aliorum venire poteſt. Non enim eſt anima mundi, ut dixit Varro citatus à Div. Aug. lib. 7. de Civit. Dei, cap. 6.; nec etiam eſt principium formale omnium rerum, qualis fuit opinio Almarianorum: nec materia prima, ut poſuit David de Dinando, nàm, ut inquit D. Th. 1. p. q. 3. art. 8. *hæc omnia manifeſtam continent falſitatem, neque eſt poſsibile Deum aliquo modo in compoſitionem alicuius venire, nec ſicut principium formale, nec ſicut principium materiale, propter rationes, quas in corp. adducit Præcept. Angelicus.*

Quarto arguitur: non repugnat Deo compoſitio ex genere, & differentia: ergò non repugnat illi in prædicamento ſubſtantiæ collocari. Prob. ant. primò. Non repugnat Deo univoca convenientia cum creaturis in aliquo prædicato: ergò nec compoſitio ex genere, & differentia. Prob. ant. ſcientia univocè dicitur de creata, & increata, nàm utraque ſimpliciter talis eſt: ergò non repugnat Deo univoca convenientia cum creatis in aliquo prædicato.

Secundò prob. ant. Sicut Deus eſt ſummè unus, ità eſt ſummè ſimplex; ſed ſummæ illius ſimplicitati non repugnat diſtinctio rationis, quæ vere reperitur inter attributa divina: ergò nec unitati divinæ repugnabit compoſitio rationis ex genere, & differentia.

Reſp. ad arg. neg. omnia ant. ſcientia namque analoga eſt ad creatam, & increatam, ut docet D. Th. q. 2. de verit. art. 1. & 11. Eo quod quam-

quamvis scientia creata sit talis simplicitet absolutè, comparativè tamen ad divinam stultitia est, & talis secundum quid, sicut substantia creata est talis secundùm quid comparativè ad divinam: & propterea sicut substantia inæqualiter participatur a creata, & à divina, ita etiam scientia, inęqualis autem participatio rationis communis sufficit ad analogiam.

Ad 2. probationem ant. dist. min. distinctio rationis penes implicitum, & explicitùm, conc. min. excludentis, & excluſi, neg. min. & conſeq. Quia nos balbutiendo, ut possumus, excelsa Dei resonamus, & ideò per unum conceptum exprimimus *misericordiam*, & per alium explicitè concipimus *iustitiam*, eo quod per unum conceptum non possumus exprimere omnia divina propter excessum eorum supra intellectum nostrum: sicut sol, licet sit maximè visibilis, videri non potest à Vespertilione propter excessum luminis suprà huius obtutum. Unde distinctio penes implicitum, & explicitum, quam formamus, provenit ab eminentia Dei, & illius unitate, per quam unitissimè continet omnem perfectionem possibilem. Quapropter distinctio prędicta non opponitur cum summa Dei unitate: sed distinctio excludentis, & excluſi, quę requiritur ad compositionem ex genere, & differentia, fundatur in vera potentialitate obiecti, & ideo tollit summam eius simplicitatem.

Instabis: distinctio reperta inter attributa divina est distinctio excludentis, & excluſi: ergo sufficit, ut Deus componatur ex genere, & differentia. Prob. ant. distinctio prędicta supponit fundamentum in re: ergò est distinctio excludentis, & excluſi, quia si esset penes explicitum solum, dumtaxat, se haberet ex parte nostri intellectus.

Resp. neg. ant. & ad probat. dist. ant. fundamentum, *eminentiæ*, *& excessus*, conc. ant. excluſionis virtualis, neg. ant. & conſeq. Quia fundamentum prædictæ distinctionis non est excluſio unius conceptus ab alio, quę repugnat cum ratione actus puri, nàm hoc ipso, quod aliquid Dei concipitur cum potentialitate, & additione unius ad aliud, destruitur conceptus actus puri; sed solùm est divina eminentia, quæ unico conceptu non potest à viatoribus adęquari, & hoc fundamentum sufficit, ut distinctio prædicta non se habeat unice ex parte nostri intellectus; sic igi-

igitur Deo non convenit diſtinctio rationis, quæ fundatur in potentialitate unius extremi, & additione alterius ad illud, ſed in maiori, & minori explicatione eiuſdem.

Quintò arguitur: illud continetur ſimpliciter, & propriè in prædicamento ſubſtantiæ, cui convenit diffinitio ſubſtantiæ prædicamentalis, ſed Deo convenit diffinitio ſubſtantiæ prædicamentalis: ergò Deus ſimpliciter, & propriè continetur in prædicamento ſubſtantiæ. Prob. min. ſubſtantia prædicamentalis eſt *ens per ſe ſubſiſtens*; ſed hoc maximè convenit Deo: ergò Deo convenit diffinitio ſubſtantiæ prædicamentalis.

Reſp. negand. min. & ad probationem dicimùs cum D. Th. tum locis ſupra cit. art. 1. cum 1.p. q.3. art. 5. ad 1. ubi id ipſum ſolvit argumentum, quod ſubſtantia prædicamentalis non diffinitur *ens per ſe ſubſiſtens*, quia hoc quod eſt eſſe, non poteſt per ſe eſſe genus, nam omne genus habet differentias, quę ſunt extra eſſentiã generis, & nulla differẽtia inveniri poteſt, quę ſit extra ens: ſed ſubſtantia eſt *res, cui quidditati debetur ſic eſſe, id eſt per ſe eſſe*, quod tamen eſſe non eſt ipſa eius eſſentia, ſicut ſubſiſtere Dei eſt eſſentialiter ipſum eſſe divinum. Unde eſſe *ens per ſe ſubſiſtens* diverſo modo convenit Deo, ac creaturæ, ac proindè Deus non continetur in prædicamento ſubſtantię. Quam doctrinam pluribus alijs in locis tradit Præc. Ang.

Sexto arguitur contra ſecundam partem concluſionis: Deus pertinet ad prędicamentum ſubſtantiæ tanquam principium: ergò ponitur reductivè in prædicamento ſubſtantiæ. Prob. ant. Deus eſt principium cuiuſcumque ſubſtantiæ: ergò pertinet ad prædicamentum ſubſtantię, tanquam principium.

Reſp. negand. ant. & ad probationem, neg. conſeq. Nàm principium, quod reducitur ad aliquod genus, non ſe extendit ultra ipſum, Deus autem non eſt principium ſolius ſubſtãtię, ſed totius entis, ut ſuprà diximus ex D.Th. ac proinde nequit pertinere ad prædicamentum ſubſtantiæ, tanquam illius principium.

Inſtabis D. Th. q.7. de Potent. ar.3. ad 7. ait: *quod licet Deus non pertineat ad genus ſubſtantiæ, quaſi in genere contentum, ſicut ſpecies, vel individuum ſub genere continentur, poteſt tamen dici, quod ſit in genere ſubſtantiæ per reductionem ſicut principium, & ſicut punctum eſt in genere quantitatis continua, & unitas in genere numeri*; ſed punctum, & unitas reductivè pertinent

ad prędicamentum quantitatis: ergò etiam Deus reductivè pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ. Quod idem aſſerit Præcept. Ang. in 1.diſt. 8.q. 4. art. 2. ad 3. & cum verum vero conſonat, non debemus exiſtimare D. Th. in 1. p.oppoſitum ſentire.

Reſponderi poteſt, nullum eſſe inconveniens dicere, Angelicum Doct. opinionem, quam ſubſtinuit in diſputatis, retractaſſe loc. cit. 1.p. Nàm ſi de puero Ieſu dicitur Lucę 2. v. 52. quod *proficiebat ſapientia, & ætate .... apud Deum, & homines*, cum D. Th. adhuc adoleſcens quæſtiones diſputatas ſcripſiſſet: re melius inſpecta, dum erat ſapientia, & ætate provectior, potuit oppoſitum in ſua ſumma ſentire. Verum quia Eminentiſsimus Cajetanus ſup. 1. p.q. 3.art.5. verba D. Th.mirum in modum conciliat, cum eo.

Aliter reſp. quod eſſe in genere ut *principium*, poteſt ſtare dupliciter: uno modo ut principium contentum in illo genere, & ſic utrobique negatur, Deùm eſſe in genere, ut principium. Alio modò, ut principium continens ipſum genus, & hoc modo Deus eſt quodammodo in omnibus generibus, & per appropriationem in genere ſubſtantiæ tanquam ſibi magis appropinquante, & hoc concedit in locis prędictis. Advertendo, quod id, quod in q. de Pot. tacuit, in 1. ſent. ſupplevit, dicens: quod Deus ſolum eſt in genere ſubſtantię *ſicut principium habens in ſe omnes perfectiones generum.* Unde dicimus D.Th. non ſentire, Deum eſſe in genere, ſicut principium, quod reducitur ad genus, ſed ad quod ipſum genus reducitur. Et propterea loco cit. 1. p. ſic concludit corp. art. Unde non continetur in aliquo genere ſicut principiū. Dicēdo enim non continetur, prędervavit ſe ab eſſe in genere ſicut principium continens, ad quod reducitur ordine quodam omne genus.

Tandem arguitur: ſubſiſtentia Chriſti Domini pertinet reductivè ad prædicamentum ſubſtantiæ: ergò etiam ipſe Deus, quia ſubſiſtentia Chriſti eſt verè prædicatum divinum. Prob. ant. ſubſiſtentia Chriſti facit quidquid faceret ſubſiſtentia creata; ſed hęc pertinet reductivè ad prędicamentum ſubſtantię: ergò etiam ſubſiſtentia Chriſti Domini.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. ant. quidquid faceret ſubſiſtentia creata, ſublatis imperfectionibus, conc. ant. imperfectionibus retentis, neg. ant. & conſeq. Quia reduci ad

præ-

prædicamentum imperfectionem importat. Nam ideo ſubſiſtentia creata reducitur ad prędicamentum ſubſtantię, quia eſt aliquid incompletum, quod indiget alterius conſortio, & modus quidam ſubſtantialis, quod totum repugnat ſubſtantię divinæ: ac proinde ſubſiſtentia Chriſti quantũ ad hoc, quod eſt ad prędicamentum reduci, non facit quidquid faceret ſubſiſtentia creata.

QUÆST. II.

De Prædicamento quantitatis, & in ea.

ART. I.

Quodnam ſit conſtitutivum quantitatis?

§. I.

Quibuſdam præſupoſitis, ſtatuitur concluſio.

AD articuli intelligentiam præmittendum eſt primò cum Aug. Præc. 1. p. q. 42. ar. 1. ad 1. duplicem dari quantitatem, unam quidem *molis*, & aliam *quantitatem virtutis*. Quantitas *virtutis* eſt gradus perfectionis, vel activitatis alicuius naturæ, vel formæ, & hęc convenit etiam rebus ſpiritualibus: in quo ſenſu ait D. Aug. quod *in his, quæ non molle magna ſunt, hoc eſt maius eſſe, quod eſt melius eſſe*, & per hunc modũm etiam Deus dicitur magnus, & laudabilis nimis, & quod magnitudinis eius non eſt finis. Attenditur autem iſtiuſmodi quãtitas, vel quantum ad præſtãtiam naturę, vel quantum ad durationem ſui eſſe, vel quãtum ad virtutem agendi, quæ omnia complexus eſt Aug. in lib. de fide ad Petrum, cap. 1. cum ait: *æqualitas reperitur in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto in quantum nullus horum alium, aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut ſuperat poteſtate.* Quantitas *molis*, vel extenſiva, quæ in ſolis rebus corporalibus eſt, eſt accidens materiale, & corporeũ, ratione cuius partes ſubſtantię corporeæ extenduntur, & magnitudinem faciunt: & de hac ſolũm in prędenti diſputamus.

Hanc verò in concreto 5. Metaph. text. 18. Ariſt. diffinivit, dicens: *quantum dicitur, quod eſt diviſibile in ea, quę inſunt, quorum utrumque, aut ſingulum, unum aliquid, & hoc aliquid aptum natum eſt eſſe.* In qua deſcriptione, quantum (ut inquit D. Th. ibid. lect 15.) dicitur *diviſibile in ea, quæ inſunt; diviſibile* quidem ad excludendas res ſimplices: *& in ea, quæ inſunt*, quia conſtat ex partibus formaliter exiſtentibus in toto, ad differentiã di-

viſionis mixtorum. Nàm corpus mixtum reſolvitur in elementa, quæ non ſunt actu in mixto, ſed virtute tantum. Per ultimam denique particulam, *quorum utrumque, aut ſingulum eſt natum eſſe verum aliquid* (hoc eſt aliquid demonſtratum, ut vertit D.Th.) denotatur quamcumque partem quãtitatis ſeparatam ab alia exiſtere poſſe, ad removendũ diviſionem in partes eſſentiales, quæ ſunt materia, & forma. Nàm neutrùm eorum aptum natum eſt eſſe unum aliquid per ſe.

Dices: cœlum, & minimum naturale ſunt quanta, & tamen diviſibilia non ſunt: ergò deſcriptio prędicta bona non eſt.

Reſp. cœlum, & minimũ naturale non eſſe diviſibilia per realem ſeparationẽ unius partis ab alia, eſſe tamen diviſibilia mathematicè, & per intellectum: quatenus in omni quanto poteſt intellectus unã, & aliam partem concipere, & unam extrà alteram deſignare.

Secundò notandum eſt, quantitatem plures effectus habere, quia quantitas communicat ſubſtantię extenſionẽ partium in ordine ad ſe, conſtituendo unam partem extrà aliam, ità ut non uniantur ſecundum ſe totas, ſed ſolum ſecundum extremitates. Rurſus communicat ſubſtantiæ extenſionem in ordine ad locum, vel capacitatem eſſendi in loco modo diviſibili, & extenſo. Præſtat etiam illi impenetrabilitatem, id eſt, eſſe incompatibilem cum altero corpore in eodem loco. Et tandem præſtat diviſibilitatem, vel aptitudinem, ut ſubſtantia dividatur in partes. Et inſuper habet quantitas eſſe menſuram per quam cognoſcimus magnitudinem rerum, & illarum parvitatem. Si tamen quantitas comparetur ad alias res exteriores, dicitur extrinſeca menſura, ſicut per ulnam telam extrinſecè menſuramus.

Quiſnam verò inter effectus prædictos primarius ſit, & in quo eſſentia quantitatis cõſiſtat, inquirimus in præſenti. In qua parte, omiſſa ſententiarum varietate, cum communi doctrina hęc erit.

§. II.
Noſtra concluſio.

Ratio formalis quantitatis conſiſtit in extenſione partium in ordine ad ſe.

DOcuit ſententiam noſtrã D.Ang. 1.p.q.14.ar.12. ad 1. ubi ait: *quod de ratione quantitatis eſt ordo partium*, & 4.contr. gent. cap.55. inquit: *poſitio quæ eſt ordo partium*

in

In toto, in ratione quantitatis includitur. Quod idem docet opusc. 70. q. 5. art. 3. ad 3. ubi manifestè iudicat, quod ordo partium in toto includitur in ratione essentiali quantitatis, tanquam differentia constitutiva ipsius: ergò iuxtà D. Th. in extensione partium in ordine ad se sita est essentia quantitatis.

Ratione verò probatur conclusio nostra: omnes effectus quantitatis supponunt extensionem in ordine ad se: ergò extensio in ordine ad se primo in quantitate intelligitur, & consequenter est differentia illius constitutiva, nam differentia, quæ primò intelligitur in re, est constitutiva rei. Prob. ant. Ideò quantitas est impenetrabilis, quia est extensa in ordine ad locum, & modo divisibili occupat ipsum, & ideo est mensura, quia habet determinatam extensionem; & ideò divisibilis est, quia partes habet extensas, & tandem priùs est esse extensam in ordine ad se, quam in ordine ad locum, quia res prius intelligitur in se, quam in ordine ad aliud: ergò omnes effectus quantitatis supponunt extensionem partium in ordine ad se.

Addo: differentiam essentialem rei esse inseparabilem ab ipsa, etiam de potentia absoluta; sed sola extensio in ordine ad se est inseparabilis à quantitate, nam impenetrabilitas separatur à corpore quanto, ut constat in corpore Christi, quod quidem penetratum est cum lapide sepulchri, & cum utero virginali, & etiam ipsa extensio in ordine ad locum separatur à corpore Christi in Sacramento, quod idem de alijs effectibus verius est: ergò sola extensio in ordine ad se potest constituere quantitatem.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntra conclusionem istam arguitur primò: essentia quantitatis consistit in ratione mensuræ: ergò non in extensione partium in ordine ad se. Prob. ant. ex D. Th. 1. p. q. 28. art. 2. ubi ait: *quod propria ratio quantitatis accipitur secundum comparationem ad subiectum, nam quantitas dicitur mensura substantiæ*: ergò in ratione mēsuræ consistit essentia quantitatis.

Reſp. neg. ant. & ad probationem dicimus : D. Thomam loqui de quantitate quatenùs conſideratur à Logico, à quo ſolùm attenditur ſecundùm rationem menſuræ, non tamen loqui de quantitate ſecundùm metaphiſicam eſſentiam, aliàs, cum illud ſit quantitas, cui convenit ratio quantitatis, & unitati conveniat ratio menſuræ, etiam unitas eſſet quantitas, quod tamèn eſt falſum : nàm omnis quantitas eſt diviſibilis, ſive diviſibilitas ſit ejus ratio, ſive ſit eius proprietas, unitas autem eſt indiviſibilis, ut dicit Ariſtotel. 5. Metaph. text. com. 12. & docet D. Th. ibidem lect.8.

Dices : ex prædicta ſolutione nullatenùs ſequitur, quod unitas ſit quantitas : ergò nec ſuadetur, quod eſſentia metaphiſica quantitatis non conſiſtat in ratione menſuræ. Prob. ant. Ratio menſuræ ſolùm convenit unitati, ut principio quantitatis, non tamen ut quantitati ; ſed ex hoc non ſequitur, quod unitas ſit quantitas : ergò ex prædicta ſolutione nullatenùs ſequitur, quod unitas ſit quantitas.

Reſp. neg. ant. & ad probationem dicimus, quod licet ratio menſuræ ſolùm conveniat unitati, ut principio quantitatis, nihilominùs ipſa unitas erit quantitas ; nàm hæc propoſitio, cuicumque convenit ratio quantitatis, ipſum eſt quantitas, infallibiliter vera eſt, & tenet per locum à diffinitione ad diffinitum ; ratio autem menſuræ convenit unitati, ut docet D. Th. 10. Metaph. lect.2.

Secundò arguitur : diviſibilitas eſt differentia eſſentialis quantitatis : ergò non extenſio partium in ordine ad ſe. Prob. ant. Tùm, quia quãtitas diffinitur per diviſibilitatem, ut conſtat ex diffinitione priùs data. Tùm etiam, quia D. Th. in 1. ſentent. diſt. 19. q. 1. art. 1. ad 1. ſic ait: *æqualitas conſequitur rationem quantitatis in communi, quæ conſiſtit in quadam diviſibilitate* ; ſed diffinitio explicat eſſentiam rei, eſt ratio in qua aliquid conſiſtit, & differentia eſſentialis illius : ergò diviſibilitas eſt differentia eſſentialis quantitatis.

Reſp. neg. ant. & ad probationem dicimus, diffinitionem ſuprà datam non eſſe eſſentialem, ſed ſolùm deſcriptivam, & dari per paſsiouem magis notam quantitatis, & D. Thom. loc. cit. ſolùm loqui de diviſibilitate radicali, ſumpta pro radice, & aptitudine ad diviſibilitatem ; diffinitionem verò eſſentialem ſo-

ſolùm eſſe ſequentem. *Quantitas eſt accidens completum habens partes extenſas in ordine ad ſe.* Quod utiquè de extenſione actuali intelligendum eſt inter partes quantitatis, ſed comparativè ad ſubſtantiam ſolùm de extenſione aptitudinali, & exactiva: quatenùs quantitas eſſentialiter eſt apta, ut ſit in ſubſtantia, & illius partes extendat.

Inſtabis: diffinitio ſumpta ſuprà tradita eſt eſſentialis: ergò nulla eſt data ſolutio. Prob. ant. Prædicta diffinitio explicat illud, in quo diverſæ quantitates eſſentialiter diſtinguuntur, *nàm linea, ſuperficies, & corpus*, eo differunt, quia *linea* eſt diviſibilis ſecundùm longitudinem, & *ſuperficies* ſecundùm latitudinem, *corpus* verò ſecundùm profunditatem: ergò diffinitio ſuprà tradita eſſentialis eſt.

Reſp. neg. ant. & ad probationem dicimus, lineam, ſuperficiem, & corpus, ſolùm eſſentialiter differre per diverſam extenſionem in ordine ad ſe, quę à poſteriori explicatur per diviſibilitatem, ut paſsionem magis notam: verùm hæc diviſibilitas diſtincta ex diverſa extenſione tanquàm à radice dimanat.

*** ***
*** ***

§. IV.

Corollaria ex dictis.

EX dictis colligitur, *quantitatem realiter entitativè à re quanta diſtingui*; & ratio eſt: quia ſi quantitas non diſtinguitur realiter entitativè à re quanta, tot eſſent quantitates in ſuppoſito, v.g. in ligno, quot ſunt illic res corporeę, & ita materiæ ligni eſſet ſua quantitas, & forma ſua quantitas, & color item ſua quantitas, &c.; conſequens eſt falſum: ergò & quod quantitas non diſtinguitur realiter entitativè à re quanta, conſequènterque quantitas à re quanta realitèr entitativè diſtinguitur. Sequelam ipſimet Adverſarij concedunt. Min. verò prob. Si plures eſſent quantitates in eodem ſuppoſito, nulla poſſet aſsignari ratio naturalis, cur duo diſtincta corpora non poſſent ſe naturaliter penetrare in eodem loco; ſed hoc eſt falſum, nàm ratio, quarè *lapis*, & *lignum* v. g. non poſſunt ſimul ſe penetrare in eodem loco, nulla alia eſt, niſi quia dùæ quantitates non poſſunt eſſe ſimul in eodem loco: ergò etiam erit falſum, tot eſſe quantitates in ſuppoſito, quot ſunt illic res corporeæ.

Inſuper, diſtinctio realis entitativa quantitatis à ſubſtantia conſtat ex Sacramento Euchariſtię, in quo converſa tota ſubſtantia panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti, manet quantitas realiter à ſubſtantia ſeparata, ut docet Trident. ſeſſ. 13. can. 2.; ſed quę realiter ſeparantur realiter diſtinguuntur: ergò.

Dices: etiam quantitatem converti in quantitatem corporis Chriſti, & conſequenter non manere ibi ſeparatam à ſubſtantia.

Sed contra eſt: quia Concilium aſſerit ibi manere accidentia nulla facta excluſione quantitatis: ergò quantitas ibi manet. Et inſuper converſio illa ab Eccleſia Catholica aptiſsimè appellatur tranſubſtantiatio, non verò tranſaccidentatio: ergò nullum accidens convertitur.

Objcies primò: fruſtrà eſt pluralitas ſine neceſsitate; ſed omnia, quę de quantitate dicuntur, optimè ſalvari poſſunt ſine diſtinctione quantitatis à ſubſtantia, & qualitate, dicendo, quod *ſubſtantia eſt ſua magnitudo*, & qualitas ſimiliter ſua: ergò inter quantitatem, & rem quantam non eſt huiuſmodi diſtinctio aſſerenda. Prob. min. Primum munus quantitatis eſt extendere partes ſubſtantiæ, & facere eas loco diſtare; ſed hoc totum ſubſtantia per ſe habere poteſt: ergò abſque diſtinctione quantitatis à ſubſtantia optimè poteſt ſalvari, quod ſubſtantia ſit ſua magnitudo. Prob. min. Poteſt Deus ſeorſim ſervare ſubſtantiam, ſeparata quantitate, nàm ſicut in Sacramento Altaris ſervatur quantitas ſine pane, poteſt Deus ſine quantitate ſervare panem ſicut anteà erat; ſed tunc ſubſtantia panis eſſet una, & haberet partes continuas, & diſtantes loco, & ſitu, atque ideò eſſet diviſibilis ſecundùm extenſionem, & occuparet locum: ergò ſine diſtincta quantitate ſubſtantia poterit per ſe habere quidquid quantitati tribuitur.

Reſp. neg. 1. & 2. min. & ad probationem admiſſa mai. diſt. min. eſſet diviſibilis *miraculosè*, tranſeat min. *naturaliter*, neg. min. & conſeq. Quantitas enim diſtincta non ſuperfluè ponitur, imò neceſſaria eſt, ut partes ſubſtantiæ extendat in loco; quia non poſſumus rem corpoream ab incorporea aliter diſtinguere, niſi quia corporea eſt capax quantitatis, incorporea verò capax quantitatis non eſt, quo circà Div. Aug. lib. 5. de Trin. cap. 10. ait: quod

in

in rebus, quæ participatione magnitudinis magnæ ſunt, quibus eſt aliud eſſe, aliud magnas eſſe, ſicut magna domus, & magnus mons, in his ergo rebus aliud eſt magnitudo, aliud, quod ab ea magnitudine magnum eſt, & prorſus non eſt hoc magnitudo, quod eſt magna domus. Undè licet Deus poſsit ſine quantitate conſervare ſubſtantiam, & tunc partes eius maneant in eodem ſitu, quo anteà erant, indè tamen non ſequitur quantitatem eſſe fruſtraneam; (nos enim loquimur ſecundùm naturam rerum, cui non repugnat Deum per miraculùm ſupplere vicem quantitatis, ut inquit Magiſt. Soto) ſicut non ſequitur, Deus poteſt ſine Sole mundum miraculosè illuminare: ergò fruſtraneus eſt Sol. Itaque licet quantitas ſit naturalis ratio extendendi partes ſubſtantiæ, & ponendi eas in loco, & remota ſupernaturaliter quantitate, partes ſubſtantiæ maneant in eodem loco, & ſitu, ſicut antea, non tamen occupabunt locum, imò aliud quantùm poterit penetrativè ſe habere in eodem loco cum illa ſubſtantia. Nec etiam illa ſubſtantia poterit dividi naturaliter, ſed à ſolo Deo per miraculum.

Obijcies ſecundò: implicat quantitatem realiter ſeparari à ſubſtantia: ergò quantitas non diſtinguitur realiter à re quanta. Prob. ant. ſi quantitas ſepararetur à ſubſtantia, partes ſubſtantię reducerentur ad punctum; ſed hoc implicat, quia non poſſunt ad punctum reduci, niſi per motum localem, & talis motus ſine quantitate impoſsibilis eſt: ergò implicat quantitatem realiter à ſubſtantia ſeparari.

Reſp. neg. ant. & ad probationem neg. mai. Nàm quantitate ſeparata, partes ſubſtantiæ non reducerentur ad punctum, ſed potius manerent entitativè diverſæ, licet indiviſibiliter exiſtentes, propter rationem in ſolutione præcedenti inſinuatam.

Obijcies tertiò: quælibet res poteſt intelligi abſque eo, quod non eſt idem cum ipſa: ſed ſubſtantia corporea non poteſt intelligi abſque quantitate: ergò quantitas eſt idem, quod ſubſtantia corporea; conſequenterque quantitas non diſtinguitur à re quanta. Prob. min. Nihil poteſt intelligi abſque eo, quod ponitur in eius diffinitione;

ſed in diffinitione cuiuslibet ſubſtantiæ corporeę, v.g. *hominis, vel animalis*, ponitur quantitas: ergò ſubſtantia corporea non poteſt intelligi abſque quantitate. Prob. min. in diffinitione cuiuslibet talis ponitur corpus; ſed corpus eſt quantitas, ut articulo ſequenti dicemus: ergò in diffinitione cuiuslibet ſubſtantiæ corporeæ ponitur quantitas.

Reſp. neg. 1. & 2. min. ad cuius probationem, diſt. mai. Corpus, *quod eſt ſubſtantia*, conc. mai. *quod eſt quantitas*, neg. mai. & diſt. min. Corpus, *quod eſt ipſa trina dimenſio*, conc. min. *quod eſt ſubiectum trinæ dimenſionis*, neg. min. & conſeq. Corpus namque dupliciter accipitur: uno modo, ut eſt de genere ſubſtantiæ, alio modo, ut eſt de genere quantitatis. Corpus, quod eſt quantitas, eſt ipſa trina dimenſio, nam ut docet D. Th. 5. Metaph. lect. 8. Corpus, quod eſt in genere quantitatis, eſt diviſibile ſecundùm tres dimenſiones, ad differentiam lineæ, quę eſt diviſibilis ſecundam unam dimenſionem tantùm, & ſuperficiei, quæ eſt diviſibilis ſecundùm duas, & hę deſcriptiones convertuntur, ùt inquit D. Th. Corpus autem, quod eſt ſubſtantia, eſt ſubiectum trinę dimenſionis. Sic igitur ſubſtantia corporea poteſt intelligi ſimplici apprehenſione abſque trina dimenſione, non tamen abſque corpore, quod eſt ſubſtantia; quia iſtud includitur in conceptu quidditativo cuiuslibet ſubſtantię corporeę. Quidam autem, (ut refert D. Th. 5. Metaph. lect. 15.) exiſtimabant corpus, quod eſt quantitas, eſſe ſubſtantiam, eo quod quantitas inter alia accidentia propinquior eſt ſubſtantiæ, & quia ſola quantitas habet diviſionem in partes proprias poſt ſubſtantiam.

ART. II.

De diviſionibus quantitatis.

§. I.

Variæ diffinitiones explicantur.

IN ſecundo prędicamentorum capite meritò agit Ariſtoteles de quantitate, quę eſt prædicamentum proximum ſubſtantię. Nàm quantitas inter omnia accidentia priùs convenit ſubſtantiæ corporeæ, eo quod ratio corporis conſiſtit in hoc, quod eſt habere trinam dimenſionem, ratione cuius corpus eſt ſubiectum cæterorum accidentium; & quia cognitio noſtra

tra incipit à ſubſtantia corporea, ordine congruo quantitas reliquis prędicamentis præponitur. Dividitur autem quantitas *incontinuam*, & *diſcretam*. Quantitas *continua eſt cuius partes copulantur aliquo termino communi*, id eſt uniuntur medio indiviſibili, quod dicitur terminus communis, quia eſt terminus unius partis, & principium alterius: & præter hoc datur aliud indiviſibile, in quo incipit pars, & initiativum appellatur, & aliud in quo pars finitur, quod terminativum dicitur.

Quantitas *diſcreta eſt, cuius partes non copulantur termino communi*, ſicut numerus, cuius partes non uniuntur per indiviſibile, ſed ordine primæ, & ſecundæ ſe habent ad numerum componendum.

Quantitas *continua*, *dividitur in permanentem*, & *ſucceſſivam*. Quantitas *continua permanens eſt, cuius partes ſimul exiſtunt*, *ut magnitudo corporea*. Quantitas *continua ſucceſſiva, eſt cuius partes non ſimul exiſtunt, ſed aliæ prius, aliæ poſterius*, ſicut dies extenditur in horas, quæ non ſunt ſimul, ſed ſibi ſuccedunt.

Rurſus quantitas *permanens* ſubdividitur in quantitatem *multitudinis*, & quantitatem *magnitudinis*. Quantitas *multitudinis eſt, quæ eſt ut viſibilis ſecundum potentiam in partes non continuas*. Quantitas autem *magnitudinis*, quæ *diviſibilis eſt in partes continuas*. Quantitas continua permanēs, dividitur in *lineam*, *ſuperficiem*, *corpus*, & *locum*. *Linea* eſt diviſibilis ſecundùm longitudinem, & partes eius copulantur punctis; *ſuperficies* eſt diviſibilis ſecundùm latitudinem, & partes eius copulantur lineis; *corpus* eſt diviſibile ſecundùm profunditatem. Locus verò eſt ultima ſuperficies corporis continentis locatum.

Quantitas continua ſucceſſiva dividitur *in motum*, & *tempus*. Motus *eſt actus entis in potentia ſecundum quod in potentia*. Tempus *eſt numerus motus ſecundum prius*, & *poſterius*: nàm motus menſuratur per tempus, & ille dicitur brevis, qui brevi tempore fit, ille verò ſpatioſus, qui longo tempore menſuratur.

Ulterius quantitas dividitur *in quantum per ſe*, & *in quantum per accidens*. Quantum per ſe eſt, *quod ratione ſui eſt quantum*, ſicut *linea*, &c. Quantum verò per accidens eſt, *quod ratione alterius eſt quantum*, ſicut *Muſicum*.

Rurſus. Quantùm *per ſe*, (ut docet D. Th. 5. Metaph. lect. 15.) dupliciter accipi poteſt.

teſt. Quædam enim ſignificantur per modum ſubſtantiæ, & ſubiecti, ſicut *linea*, *ſuperficies*, & *numerus*, quorum quilibet ſubſtantialiter eſt quantum, quia in diffinitione cuiuslibet ponitur quantitas. Nàm linea eſt quantitas continua ſecundum longitudinem diviſibilis, & ſimiliter de alijs. Quædam verò per ſe pertinēt ad genus quantitatis, & ſignificantur per modum paſsionis talis ſubſtantię, v. g. *linea*, quę eſt ſubſtantialiter quantitas, vel aliarum ſimilium quātitatum, ſicut *multum*, & *paucum*, ut paſsiones *numeri*: *productum*, & *breve*, *ut paſſiones. Lineæ*; *Latum*, & *ſtrictum*, ut paſsiones: *ſuperficiei*, *profundum*, & *humile*, *ſive altum*, ut paſsiones *corporis*. Grave verò, & leve, licet ſint paſsiones corporis ſecundùm opinionem illorum, qui dicebant multitudinem ſuperficierum, vel atomorum eſſe cauſam gravitatis in corporibus, paucitatem verò eorumdem, cauſam levitatis; tamen ſecùndùm veritatem non ad quantitatem, ſed ad qualitatem pertinent, ut loc. cit. inquit D. Th. Quædam etiam ſunt, quæ communiter cuiuſlibet quantitatis continuæ paſsiones ſunt, ſicut *magnum*, & *parvum*, *majus*, & *minus*, ſive hæc dicantur abſolutè, ſive reſpectivè. Hęc autem nomina transferuntur etiam ad alia, quàm ad quantitates, dicitur enim albedo magna, & parva, & alia huiuſmodi.

Quantum per accidens, etiam duobus modis accipitur. Uno modo aliqua dicuntur quanta per accidens ex hoc ſolo, quod ſunt accidentia alicuius quanti, ſicut *album*, & *muſicum*. Alio modo, dicuntur aliqua quanta per accidens, non ratione ſubiecti in quo ſunt, ſed ex eo, quod dividuntur ſecundùm quantitatem ad diviſionem alicuius quantitatis, ſicut *motus*, & *tempus*. Tempus enim eſt diviſibile, & continuum propter motum, motus autem propter magnitudinem ejus, in quo aliquid movetur; ex eo enim quod illa magnitudo eſt quanta, & motus eſt quantus: & propter hoc, quod motus eſt quantus, ſequitur tempus eſſe quantum.

Ex prædictis ſpeciebus, *linea*, *ſuperficies*, & *corpus*, eſſentialiter diſtinguuntur in ratione quantitatis, ſiquidem habent extenſionem diverſam, videlicet ſecundùm longitudinem, latitudinem, & profunditatem: ùnde oritur, quod habeant diſtinctas proprietates, ſic *linea* eſt brevis, vel producta, *ſuperficies* ſtricta, vel lata, quadrata, vel circu-

la-

faris, corpus verò profundum, vel altum, piramidale, vel ſphericum.

De alijs autem ſpeciebus, aſſerimus *locum* non eſſe ſpeciem diverſam à ſuperficie, eo quod locus, & ſuperficies eandem extenſionem habent, ideoque 5. Metaph. lect. 15. apud D. Thomam, non ponitur à Philoſ. inter ſpecies quantitatis, quia non habet aliud eſſe quantitatis à ſuperficie. In prædicamentis autem locus annumeratur cum ſuperficie, quia ſuperficies ſecundùm ſe eſt menſura intrinſeca corporis, cuius eſt ſuperficies: locus verò eſt menſura extrinſeca corporis locati, quòd continet. *Motus* ſimiliter, *& tempus*, non ſunt verè ſpecies quantitatis per ſe, non enim habent extenſionem diverſam à quantitate permanente; quia tempus non habet niſi extẽſionem motus, & motus non habet niſi extẽſionem ſpatij: & ità non differunt in extenſione á quantitate permanente, ſed tantùm accidentaliter, quatenus partes motus, & temporis ſunt tranſeuntes, & partes ſpatij permanentes ſunt.

Dices: Ariſt. in præſenti cap. numerat locum, & tempus tanquam ſpecies diſtinctas quantitatis continuæ: ergò, eſſentialiter diſtinguuntur in ratione quantitatis.

Sed neg. conſeq. Quia Ariſt. in præſenti cap. ſolùm diſtinguit ſpecies quantitatis ſecundùm diverſas rationes menſuræ, & ità ſolùm intendit locum, & tempus differre in ratione menſuræ, quatenùs locus eſt menſura extrinſeca corporis locati ſecundũ diſtantiam ad polos mundi, & centrum terræ, & tempus ſecundùm priùs, & poſteriùs.

Inſtabis contra doctrinam datam. Linea, & ſuperficies non ſunt ſpecies contentæ ſub genere quantitatis. Perperam ergò quantitas dividitur in lineam, & ſuperficiem. Prob. ant. Linea ſecundùm quòd unit partes ſuperficiei, eſt indiviſibilis ſecundùm latitudinem, & ſuperficies, ſecundum quod unit partes corporis, eſt indiviſibilis ſecundum profunditatem, & conſequenter ſunt aliquid incompletum; ſed ſpecies contentæ ſub genere debent eſſe aliquid completum: ergò linea, & ſuperficies non ſunt ſpecies contentę ſub genere quantitatis.

Con-

Confirmatur: linea, & ſuperficies includuntur in corpore; ſed una ſpecies non poteſt in altera contineri: ergò non ſunt ſpecies eſſentialiter à corpore diverſæ.

Reſp. ad argumentum, neg. ant. & ad probationem diſt. mai. aliquid incompletum, *ſecundum quod ſunt indiviſibiles*, conc. mai. *ut diviſibiles ſunt*, neg. mai. & conc. min. neg. conſeq. Quamvis enim linea, & ſuperficies, quatenùs uniunt, ſin indiviſibiles, & incompletæ, & prout ſic ſolùm reductivè pertineant ad genus quantitatis, abſolutè tamen propriam habent extenſionem, & diviſibiles ſunt, & completæ; quia tàm linea, quàm ſuperficies ſecundùm proprias rationes, & independenter à corpore, ſunt extenſæ, & diviſibiles in partes. Linea enim conſtat ex partibus longitudinis, & ſuperficies partibus latitudinis, & has extenſiones à corpore non participant, imò potiùs à linea, & ſuperficie corpus habet longitùdinem, & latitudinem, & ità abſolutè conſideratæ eſſentialiter participant rationem quantitatis, non enim eſt de ratione quantitatis in communi, quod ex omnibus partibus diviſibilis ſit, conſequènterque linea, & ſuperficies independenter à corpore ſunt ſpecies completæ ſub genere quantitatis contentæ.

Dices: ergò ſub ratione, qua indiviſibiles ſunt, non ſunt ſpècies quantitatis, ſicut punctum non eſt ſpecies quantitatis, quia indiviſibile eſt.

Reſp. ita eſſe, nec nos oppoſitum affirmare, ſed ſolùm aſſerimus eſſe ſpecies quãtitatis ea ratione, qua extenſæ, & diviſibiles ſunt: de puncto autem non tenet ſimile, quia omninò caret partibus, ideoque nullo modo rationem quantitatis participat.

Ad confirmationem reſp. diſt. mai. includuntur *præſupoſitive, & materialiter*, conc. mai. *formaliter*, neg. mai. & diſt. min. contineri *formaliter*, conc. min. *materialiter*, neg. min. & conſeq. Corpus enim formaliter acceptum, non eſt diviſibile ſecundùm longitudinem, aut latitudinem, ſed ſolùm ſecundùm profunditatem, licet de materiali prærequiratur longitudo, & latitudo, ut corpus propriam extenſionem participet. Adeſt exemplum in nũmero binario, qui materialitèr includitur in ternario, nàm duę unitates ſupponuntur ad tres, & tamen ternarius non includit formaliter binarium; quia ternarius de formali dicit tres unitates, & non plures, neque pauciores

importat ſicut etiam una propoſitio includit aliam, & domus includit partes.

Inſtabis: ſuperficies formaliter continetur in corpore: ergò nulla eſt ſolutio. Prob. ant. ſuperficies formaliter copulat partes corporis: ergò formaliter in corpore continetur.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. ant. ſuperficies *ut indiviſibilis*, conc. ant. *ut diviſibilis*, neg. ant. & conſeq. Licet namque ſuperficies, ut indiviſibilis copulet partes corporis, & ſub conſideratione prædicta formaliter in corpore contineatur, non tamen prout ſic conſtituit ſpeciem diverſam quantitatis, ſed ad ſpeciem corporis reducitur, ſicut punctum ad ſpeciem lineæ: cæterùm quatenùs ſuperficies diviſibilis eſt ſecundùm latitudinem, non copulat partes corporis, nec in illo formaliter continetur, ſed conſtituit ſpeciem eſſentialiter diſtinctam à corpore.

Dices: ſuperficies formaliter copulat partes corporis, ut diviſibilis eſt: ergò ſolutio non tenet. Prob. ant. ſuperficies copulat partes corporis quatenùs eſt ſuperficies; ſed ſuperficies eſt diviſibilis, ut ſuprà diximus: ergò formaliter copulat partes corporis, quatenùs diviſibilis eſt.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. mai. ſuperficies *inadæquatè ſumpta, & ut caret extenſione ſecundum profunditatem*, conc. mai. *adæquatè accepta*, neg. mai. Quia ſuperficies ſolùm ſub ratione, qua indiviſibilis eſt in profunditate copulat partes corporis, non tamen ſub illo conceptu, quò diviſibilis eſt ſecundùm latitudinem, ſecundùm quem conſtituitur in ratione quantitatis eſſentialiter diſtinctæ à linea, & corpore.

Inſiſtes: implicat, quod ſuperficies ſit diviſibilis, & indiviſibilis: ergò implicat ſolutio. Prob. ant. eadem res non poteſt eſſe diviſibilis, & indiviſibilis, ſed ſuperficies ſub aliquo conceptu eſt diviſibilis: ergò ſub nullo eſt indiviſibilis, conſequenterque implicat, quod ſit diviſibilis.

Reſp. neg. ant. & ad probationem diſt. mai. eadem res *re*, & *ratione*, conc. mai. eadem re, *ratione tamen diverſa*, neg. mai. & conceſſa min. neg. conſeq. Quia eadem ſuperficies, ut diſtincta per rationem, poteſt eſſe diviſibilis, & indiviſibilis; ſicut idem punctum ſola diſtinctione rationis habet eſſe principium, & finis: principium quidem, quatenùs initiat partem, & finis, quatenùs terminat illam.

§.

§. II.

Statuitur diviſio quantitatis diſcretæ.

DIſcreta quantitas, cuius partes (ut ſuprà diximus) non copulantur aliquo termino communi, innumerum, & orationem dividitur. Numerus *eſt multitudo numerata per unum, v. g. quatuor homines* numerati per numerum quaternarium, aut ultimam unitatem illius. Ad intelligentiam autem prædictæ diffinitionis, ſciendum eſt, quod duplex eſt numerus: alius numerãs, & alter numeratus: nũmerus nũmerans ille eſt, quo aliqua numerantur, v. g. *duo, tres, vel quatuor*, numerus numeratus, ſunt res ipſe numeratæ, v. g. *tres homines, quatuor equi*. Hic autem adhuc eſt duplex *formalis*, & *materialis*, ſeu (quod idem valet) numerus *abſtractus à rebus*, & *numerus rebus applicatus*. *Primus* eſt ipſa ratio numeri â rebus abſtracta, ut cum dicimus, *duo, tria, quatuor*, non determinantes, an dualitas, ternitas, vel quaternitas ſit hominum, vel lapidum, & per characteres exprimimus. *Secundus* eſt numerus concretus rebus ipſis, ſicut *duo lapides, tres homines*.

Sciendum tamen eſt, quod ly *unum* duobus modis accipitur: eſt enim *unum*, quod convertitur cum ente, & *unum*, quod eſt principium numeri. *Unum*, quod convertitur cum ente, non addit ſuprà ens rem aliquam, ſed tantùm negationem diviſionis. *Unum* verò, quod eſt principium numeri addit aliquid ſuprà ens, ad genus quantitatis pertinens, ſicut 1. p. q. 11. docet D. Th. contra Pytagoram, & Platonem.

Multitudo etiam eſt duplex, *tranſcendentalis*, videlicet, *& prædicamentalis*. Multitudo *tranſcendentalis*, eſt quæ cõſtat unitatibus tranſcendentalibus, quę convertuntur cũ ente: & hæc per omnia genera divagatur, ſicut cum dicimus multos Angelos, multas ſpecies ſubſtantiarum, qualitatum &c. Multitudo prędicamentalis eſt, quæ conſtat ex unitatibus ex diviſione quantitatis provenientibus, ſicut multitudo Apoſtolorum conſtat ex duodecim unitatibus, vel ex unitate duodecies repetita. Hinc, numerus ulteriùs dividitur *in tranſcendentalem, & prædicamentalem*. Numerus *tranſcendentalis* eſt, multitudo compoſita ex quibuſcumque rebus, etiam ſpiritualibus. Numerus verò *prędicamentalis* eſt multitudo ex rebus

bus quantis compoſita : & de hoc ſolo loquimur in præſenti.

Oratio vero *eſt menſura entis ſucceſſivi diſcreti ſecundum longitudinem , aut brevitatem* , ut ſiquis profetat tres ſyllabas , vel tres ſonos , aut *diapente , diateſſaron , vel diapaſſon* , ex quibus ſyllabis , tonis , vel ſemitonis reſultat oratio à numero diſtincta in ratione menſuræ , eo quod oratio menſurat multitudinem rerum , ſecundùm longitudinem , vel brevitatem , ſicut *temporis* , & *ſermonis* differunt in ratione orationis , quia penultima primi brevis eſt , alteriùs verò penultima longa , & ſyllaba longa duplo, brevis autem uno tempore fertur: non tamen differunt in ratione numeri , quia numerus tantum menſurat ſecundùm multitudinem , & ſicut ly *temporis* eſt triſyllabum , ità etiam *ſermonis*.

Ad huius diffinitionis pleniorem intelligentiam, animadvertere oportet , quod oratio in præſenti non accipitur pro ſola oratione vocali , licet in ea , utpotè magis nota , exemplum poſuerit Ariſtoteles ; ſed etiam pro menſura , ſeu quantitate nedum vocis prolatæ , verum etiam cuiuſcumque motus aliquibus mortalis interrupti, ſicut tres ſonitus tubæ , aut Cytharę, imò tres ſaltationes ordinatæ habent rationem orationis , quatenùs menſurantur ſecundùm longitudinem, aut brevitatem , acuitatem, vel gravitatem , & per hunc modum ponitur oratio ſpecies quantitatis diſcretę. Quantitatis quidem , quia menſurę rationem habet: diſcretę verò , quia (ut inquit hic Caietanus) diſcretorum oportet menſuram diſcretam eſſe , ut ſit homogenea menſurato. Conſtat autem locutionem ipſam, quę menſuratur , & ſonitum tubæ , vel ſaltationes eſſe quid diſcretum , eo quod ad nullum terminum communem partes ejus copulantur.

An verò oratio propriam , & veram quantitatis ſpeciem conſtituat à numero condiſtinctam ſecundum eſſe quantitatis , reverà negotij Metaphiſici eſt: nihilominùs tamen conſuetum morem Logicorum ſequentes , cenſemus orationem in ratione quantitatis à numero

non

non diſtingui. Tùm, quia Ariſt. 5. Metaph. lect. 15. apud D. Th. ubi ex profeſſo ſpecies quantitatis enumerat, orationis non meminit. Tùm etiam, quia oratio non addit ſpecialem extenſionem; oratio enim nihil aliud eſt, quàm vox aggregata ex pluribus ſonis diſtinctis, & ſibi ſuccedentibus, talis autem vox ſpecialem extenſionem non addit: nàm omnis extenſio, quę reperitur in voce ex pluribus ſyllabis, vel ſonis ſuccedentibus conſtante, vel eſt extenſio multitudinis, in quãtum ſylabæ ſunt multæ, ut *ſermonis* v. g. & ſic oratio reducitur ad numerum; vel eſt extẽſionis durationis, in quantum una ſyllaba, vel ſonus velociùs, aut tardiùs præ alijs præfertur, & ſic oratio ad tempus reducitur: ergò oratio non habet ſpecialem extenſionem, conſequenterque non erit vera, & propria ſpecies quantitatis ab alijs condiſtincta, ſed potius tres ſyllabæ v. g. ordinatè prolatę habebunt extenſionem orationis, & extenſionem numeri, vel temporis, & rationem utriuſque.

Numerus autem, qui ex unitatibus quantitativis componitur, eſt vera, & propria ſpecies quantitatis à reliquis condiſtincta, & ratio eſt; tùm quia id docet Philoſ. lect. ſupra cit. Tùm etiam, quia numerus addit ſpecialem modum extenſionis in partes, habet enim extenſionem multitudinis, & in partes diſcretas; ſed hæc extenſio eſt diverſa ab extenſione magnitudinis, eo quod aliqua poſſunt eſſe parvæ magnitudinis, & tamen magnæ multitudinis, *ut grana ſinapis*, quędam verò magnæ mollis, & parvæ multitudinis, *ut duo montes*, *vel duæ rupes*: ergò numerus eſt verá, & propria ſpecies quantitatis ab alijs diſtincta.

Obijcies primò contra doctrinam iſtam: Numerus non eſt ens per ſe, ſed per accidens: ergò non eſt vera, & propria ſpecies quantitatis. Prob. ant. Ex pluribus entibus in actu completis non fit unum per ſe, iuxtà commune proverbium; ſed numerus conſtat ex pluribus entibus in actu completis, v. g. quaternarius hominum, ex quatuor hominibus: ergò non eſt ens per ſe, ſed per accidens.

Reſp. neg. ant. & ad probationem explico maj. non fit unum per ſe, *unitate formæ*, conc. mai. *unitate ordinis*, & *menſuræ*, ſubdiſt. *quando compoſitum ſortitur ſpeciem à multitudine partium collectarum*, conc. mai. *quando ſortitur ſpe-*

ſpeciem ab aliquo uno, quod ſit vel compoſitio, vel ordo, neg. mai. & diſt. min. ex pluribus entibus &c. *ad invicem ordinatis*, conc. min. *non ordinatis ad invicem*, neg. min. & conſeq. Quia ut docet Div. Thom. 7. Metaph. lect. 17. §. *oſtendit cuiuſmodi cauſa*, quandoque ex multis fit compoſitio, ità ut totum compoſitum ex multis ſit unum ſimpliciter, ſicut domus compoſita ex ſuis partibus, & corpus mixtum ex elementis. Quandoque verò ex multis fit compoſitum, ità ut totum compoſitum non ſit unum ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid, ut patet in cumulo, vel acervo lapidum, cum partes ſunt in actu, cum non ſint continuæ. Undè ſimpliciter quidem eſt multa, & ſolùm ſecundùm quid unum, prout iſta multa aſſotiantur ſibi in loco. Ratio autem huius diverſitatis eſt, quia compoſitum quandoque ſortitur ſpeciem ab aliquo uno, quod eſt, vel forma, ut patet in corpore mixto, vel compoſitio, ut patet in domo, vel ordo, ut patet in ſyllaba, & numero. Et tunc totum compoſitum eſt unum ſimpliciter. Quandoque verò ſortitur ſpeciem ab ipſa multitudine partium collectarum, ut patet in acervo, & populo, & alij huiuſmodi. Et in talibus totum compoſitum non eſt unum ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid. Sic igitur numerus eſt unum ſimpliciter, cùm ſpeciem ſortiatur ab aliquo uno, quod eſt ordo, ac proinde eſt unum unitate ordinis conſtans ex pluribus rebus completis, ut ab invicem ordinatis, conſequenterque non eſt ens per accidens, ſed per ſe, ſicut una domus, unum convivium, & unum Sacramentum ſunt entia per ſe, quia partes eorum ad invicem ordinantur. Quæ doctrina præ oculis ſemper habenda eſt, ùt diſcernere poſsimus varios modos unitatis ſimpliciter, & per accidens.

Inſtabis: iuxtâ datam ſolutionem numerus ſortitur ſpeciem ab aliquo uno, quod eſt ordo; ſed unitas ordinis non ſufficit, ut numerus ſit ens per ſe unum: ergò non eſt unum per ſe, ſed per accidens. Prob. min. Populus, & exercitus habent unitatem ordinis, & tamen non ſunt unum per ſe, ſed per accidens: ergò idem dicendum eſt de numero.

Reſp. neg. min. & ad probationem diſt. mai. unitatem ordinis *phiſice*, conc.

mai. *physici*, neg. mai. & dist. min. unum per se *in esse physico*, conc. min. *in esse politico*, neg. min. & conseq. eo enim modo, quo aliqua habent unitatem ordinis, sunt unum per se. Plures autem homines in uno exercitu, vel populo aggregati, cùm non habeant inter se, nisi ordinem politicum, non faciunt unum per se, nisi in esse politico, in esse verò physico sunt unum per accidens: & in hoc sensu intelligendus est Div. Thom. ubi suprà, cum ait, quod populus non est unum simplicitèr, sed solum secundùm quid. Cæterùm inter plures unitates numerum componentes reperitur ordo quantitativus, eo quod ultima unitas modum extensionis cæteris præfigit, easqua determinat ad hanc numeri speciem, undè constituunt: unum per se in esse quantitatis: etiam si numerus, acceptus pro aggregato ex unitatibus, & ordine, sit ens per accidens, sicut & alia concreta accidentalia, dùm accipiuntur pro subiecto, & forma, utrisque in recto ingredientibus.

Objicies secundo. Non est dabilis aliqua forma, à qua numerus sumat, unitatem: ergó numeros non est unum per se, ac proindè nec verà species quantitatis. Prob. ant. Si dabilis esset aliqua forma à qua numerus suam unitatem acciperet, maximè ultima unitas; sed ab hac nequit accipere unitatem: ergò non est dabilis aliqua à forma qua numerus sumat unitatem. Prob. min. Ultima unitas non dat speciem número: ergó numerus nequit ab illa accipere unitatem. Prob. ant. illa ultima unitas vel dat speciem numero, quia unitas, vel quia ultima, non primum, aliâs quælibet unitas, etiam prima numero speciem daret, nec etiam secundùm, nàm unitatem esse ultimam, dependet ex beneficio intellectus nùmerantis, quia ex natura rei hæc unitas non est magis determinata, quam illa: ergò ultima unitas nequit numero speciem præstare.

Resp. neg. ant. & ad probationem neg. min. ad cuius

pro-

probationem neg. ant. Nam (ut inquit D. Th. 8. Metaph. lect. 3. §. ultim.) *numerus est per se unum, in quantum ultima unitas dat numero speciem, & unitatem, sicut etiam in rebus compositis ex materia, & forma per formam est aliquid unum, & unitatem, & speciem sortitur. Et propter hoc loquentes de unitate numeri, ac si numerus non esset unus per se ipsum, non possunt dicere quo est unus, si est unus.* In quibus verbis manifestè docet Ang. Præcept. quod ultima unitas dat unitatem, & speciem numero, & si illa huiusmodi unitatem, & speciem non tribuit, non est dare aliquid, quod numero speciem præstare possit. Nâm cum numerus componatur ex multis unitatibus, aut non est unus simpliciter, sed unitates aggregantur in eo per modum coacervationis, quæ non facit simpliciter unum, & per consequens nec ens in aliqua specie constitutum, & sic numerus non est aliqua species entis; aut si numerus est unus simpliciter, & non per se ipsum, dicendum est, quid facit eum unum ex multis unitatibus, quod non est assignare, ut subdit D. Th. igitur sola ultima unitas est differentia tribuens numero speciem, & unitatem.

Ad probationem autem superadditam, dicimus cum Mag. à S. Thoma, illam ultimam unitatem numero speciem præbere, non solùm quia unitas, sed quia unitas ultima. Et licet ratio ultimæ dependeat ab intellectu numerante quantum ad materialem designationem, & præut sic non constituat formalitèr numerum, nec illi tribuat speciem; tamen quantum ad effectum, & formalitatem ultimationis, scilicet, quod omnes unitates claudantur sub termino determinato, ità ut numerus non maneat indeterminatus, & indecisus, & in re datur: & per hunc modum præstat speciem numero. Adest aptissimum exemplum in circulo, qui, cum sit finitus, & determinatę extensionis, necessariò debet habere principium, medium, & finem, aliàs non esset finitus; & tamen in circulo neutra pars determinatè est principium, medium, vel finis. Itaque formalitas principij, medij, & finis determinatè reperitur in circulo, licet quantum ad materiale suprà quod cadit formalitas principij, medij, & finis, hoc non sit determinatum, sed indifferenter cadat suprà quamlibet partem. Idem pariformitèr judicium de numero faciẽdum est.

Inſtabis: ſine forma determinata non reducitur ſpecies determinata; ſed ultima unitas numeri determinata non eſt: ergò nequit ſpeciem numero præſtare.

Reſp. diſt. mai. ſine forma determinata, *ſaltem formaliter*, conc. mai. *materialiter*, neg. mai. & diſt. min. determinata *materialiter*, conc. min. *formaliter*, neg. min. & conſeq. licet enim materialis deſignatio ultimæ unitatis ſit indeterminata, quia tamen formalitas ejus (ut ſuprà diximus) eſt determinata, ſimpliciter datur in re ſpecies determinata numeri. Adeſt exẽplum in fluvio *Piſuerga* v. g. qui eſt unus in re, licet materialiter aqua non ſit eadem, ſed modò iſta, modò illa: verùm quia fluit ſub eadem habitudine, & ſucceſsione ad alveum, manet idem fluviùs. Sic etiam unitates diverſę poſſunt ſibi invicem ſuccedere per deſignationem intellectus in eadem ratione ultimæ, & ita licet materialiter in re non habeant unitatem, formaliter tamen in re habent unitatem, ut mira perſpicuitate docet Mag. Bartholomæus Eſpina, fidelis D. Thomę interpres ſup.8. lib. Metaph. lect. 3. defenſione 20. ad quem ſtudioſum mittimus pro enodatione argumentorum, quæ doctiſſimam noſtram in hac parte labefactare nituntur.

§. III.

Proprietates quantitatis aſſignantur.

CErtum eſt, quantitatem ſuas proprietates habere, quarum *prima eſt, quantitati nihil eſſe contrarium*, eo quod una non expellit alteram ab eodem ſubiecto: & hæc proprietas etiam convenit ſubſtantiæ.

Dices: magnum, & parvum ſunt contraria, & tamen ſunt quantitates: ergò quantitati aliquid eſt contrarium.

Reſp. neg. mai. idem namque homo, *adoleſcens* v. g. reſpectu Pygmęi, magnus eſt, & parvulus reſpectu Gigantis; unde hæc duo non ſe expellunt ab eodem ſubiecto, nec verè contraria ſunt: & hæc eſt ultimata ſolutio Ariſtotelis pro hac replica, quam ſibimet objicit in præſenti cap.

Secunda proprietas eſt, quod quantitas *non ſuſcipit magis, & minus*, & quod non radicatur magis, & minus in eadem parte ſubiecti: quæ proprietas etiam convenit ſubſtantię, & relationi.

Dices: quando quantitas rarefit, redditur maior: ergò ſuſcipit magis, & minus; conſe-

ſequenterque non ſuſcipere magis, & minus, nequit quantitati competere.

Reſp. quantitatem per rarefactionem non fieri maiorē intenſivè, ſed ſolùm extendi ad novas partes ſubiecti, vel loci, non verò radicari in eadem parte ſubiecti: qualitèr requiritur ad ſuſcipiendum magis, & minus.

Inſtabis: quantitas per rareſactionem fit maior intenſivè: ergò nulla eſt ſolutio. Prob. ant. ex D. Th. 1. 2. q. 52. art. 2. ad 1. ubi ait: quod *in quantitate contingit dupliciter augmentum; uno modo per additionem ſubiecti ad ſubiectum: alio modo per ſolam intenſionem abſque omni additione, ſicut & in his, quæ rarefiunt*: ergò iuxtà D. Th. quantitas per rarefactionem fit maior intenſivè.

Reſp. neg. ant. & ad probationem dicimus D. Th. non intendere, quantitatem habere augumentum intenſionis propriè ſumptum, eo quod huiuſmodi augumentum ſolum fit per maiorem radicationem accidentis in eadem parte ſubiecti, ut initio corporis art. cit. docet Præc. Ang.; quantitas autem per rarefactionem non magis radicatur in eadem parte ſubjecti, ſed ſolùm extenditur ad novam ſubjecti partem: & ideò ejus augmentum reverà eſt ſolius extenſionis. Nihilominùs huiuſmodi augmentum aſſimilatur à D. Th. augmento intenſionis, quia fit ſine additione novę quantitatis, non ſecus ac intentio ſine novę qualitatis additione.

Tertia proprietas quantitatis eſt, quod *ſecundum illam dicantur res æquales, vel inæquales*, quæ proprietas convenit omni quantitati, ſoli, & ſemper: ut in præſenti ab Ariſt. per inductionem probatur. *Corpus* enim æquale dicitur, & inęquale; *tempus* æquale, & inæquale; *numerus* æqualis, & inæqualis; & ſimiliter de alijs: unumquodque enim æquale, & inęquale dicitur. Alia verò, quæ quantitates non ſunt, non propriè dicuntur æqualia, & inęqualia, ſed ſolùm tranſumptivè, ſeu metaphoricè, admodum quo perfectè, & imperfectè ſimilia, æqualia, & inęqualia dici ſolent. Undè æqualitas propriè dicta, & ſimiliter inęqualitas, ſolum ſequitur ad quantitatem propriè dictam, qualis eſt quantitas mollis, & ità eſt proprietas quarto modo reſpectu quantitatis. Huiuſmodi autem proprietates ſolum ſunt attributales, ut ſuprà diximus de proprietatibus ſubſtantiæ, proprietates enim phiſicæ potius ſunt extenſio in ordine ad

locum, impenetrabilitas divisibilitas, & mensurabilitas.

Dices: duo Angeli sunt etiam inæquales; & tamen non habent quantitatem: ergò non est proprium quarto modo respectu quantitatis, quod secundum illam dicantur res æquales, vel inæquales.

Resp. Angelos esse inæquales in perfectione, ut indicavimus initio articuli 1. §. 1. non tamen in extensione partium: de qua inæqualitate solùm in præsenti disputamus.

§. IV.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in articuli discursu, colligitur primò, quod, quando partes quantitatis separantur punctum indivisibile non manet identificatum cum utraque separata, ut per se patet, nec cum hac, vel alia determinatè, cum non sit maior ratio unius, quàm alterius: ergò realiter separatur ab utraque, & consequenter realiter ab utraque distinguitur.

Secundò colligitur unitatem, quæ est principium numeri, non distingui realiter à quantitate continua, sed dumtaxat per rationem, quatenus eadem quantitas continua considerari potest ut divisibilis continuè, & ut indivisibilis discretè, & secundùm multitudinem, qua ratione numeri principium est.

Tertiò colligitur, quod numerus prædicamentalis est verum ens reale non dependens ab anima, eo quod habet extensionem realem, & ex partibus realiter componentibus, & ultima unitas, quæ est forma numeri, & illi dat speciem ternarij, vel quaternarij, quo ad formalitatem ultimationis, etiam realis est, nullatenùs dependens ab anima. Ratio autem ea est; quia omnis multitudo finita rerum quantarum est numerus; sed, ut aliqua multitudo si talis, non requiritur actus animæ, ut per se patet, nihil enim facit intellectus ad hoc, quod 10. lapides sint decem: ergò numerus nullatenùs pendet ab anima.

Tandem infertur, numerum esse ens per se, eo quod ens per accidens nequit esse per se scibile ab aliqua scientia, & numerus est obiectum per se scibile ab Arismetica, quæ verè de illo proprietates demonstrat.

)(o)(

AR-

ART. III.

Utrum ſubſtantia corporea pro priori ad quantitatem habeat partes actualiter diſtinctas.

§. I.

Difficultas aperitur, & ſtatuitur noſtra concluſio.

IN præſenti difficultate ſermo non eſt de partibus phyſicè eſſentialibus ſubſtantiæ, quas certum eſt realitèr entitativè diſtinguì: nàm materia, & forma, quę ſunt partes eſſentiales, & formales ſubſtantiæ independenter à quantitate realiter diſtinguuntur.

Undè ſolùm eſt difficultas de partibus integralibus ſubſtantiæ corporeæ, an videlicet ſubſtantia prędicta habeat partes materiales integrales actualiter diſtinctas independenter à quantitate, ità ut ſi quantitatem non habeat, ſicut poteſt fieri de potentia abſoluta, adhuc tamen partes actualiter diſtinctę in ſubſtantia perſeverarent.

Verùm pro majori luce præmittendum eſt, diſtinctionem dupliciter ſumi poſſe; primò, ut oppoſitam confuſioni, qua ratione dicuntur eſſe diſtincta, quæ ſunt debitè ordinata: ſecundò, ut oppoſitam identitati, ſecundum quam rationem ea, quorum unum non eſt alterum, dicuntur eſſe diſtincta, & in hoc ſenſu procedit difficultas præſens.

In qua parte plurimi negant, & hi ſunt Venerandi Complutenſes, Flandria, cum alijs. Plurimi verò affirmant, cujuſmodi ſunt Lerma, Lince, Prado, Hortiz, & alij, cum quibus hæc erit.

§. II.

Noſtra Concluſio.

Subſtantia corporea pro priori ad quantitatem habet partes actualiter diſtinctas diſtinctione oppoſita identitati.

CONcluſionem iſtam non obſcurè docuit Ang. Præcept. 1. 2. q. 17. ar. 4. in corp. per hęc verba: *Totum in genere ſubſtantiæ compoſitum ex ſuis partibus, vel integralibus, vel eſſen-*

tia-

tialibus, eſt unum ſimpliciter; ex quo clariſsimè cõſtat, quod, ſicut in genere ſubſtantiæ datur totum compoſitum ex partibus eſſentialibus, etiam datur totum integrale compoſitum ex partibus integralibus; ſed totum eſſentiale ſubſtantiale componitur ex partibus ſubſtantialiter diſtinctis independenter à quantitate: ergò totum integrale componitur etiam ex partibus integralibus actualiter independenter à quantitate diſtinctis.

Hoc utique confirmamus ex eo, quod totum integrale conceſſum à D. Th. eſt totum ſubſtantiale, nàm ipſe aſſerit eſſe in genere ſubſtantię: ergò debet eſſe compoſitum ex partibus ſubſtantialibus actualiter diſtinctis, quia compoſitio eſt diſtinctorum unio, ac proindè totum compoſitum ſubſtantiale debet eſſe ex partibus ſubſtantialiter diſtinctis, ſicut totum reale reſultat ex partibus realibus, & realiter diſtinctis.

Ratione tamen probatur concluſio noſtra: diſtinctio ſubſtantialis entitativa non poteſt à quantitate provenire, ſiquidem effectus ſubſtantialis ab accidenti provenire non poteſt; ſed ſubſtantia habet partes ſubſtantialiter entitativè diſtinctas: ergò habet illas diſtinctas independenter à quantitate. Prob. min. quę realiter ſeparantur, realiter diſtingnuntur, nàm idem entitativè non poteſt à ſe ipſo ſeparari; ſed partes ſubſtantiæ realiter entitativè ſeparantur, ſiquidem quando ab homine abſcinditur manus, ſeparatur à ſubſtantia capitis: ergò ſubſtantia habet partes ſubſtantialitèr entitativè diſtinctas.

Reſpondebis: quando manus abſcinditur, non ſeparatur ſubſtantia manus à ſubſtantia capitis, ſed ſola quantitas manus à quantitate capitis ſeparatur.

Sed contrà eſt, quia quando manus abſcinditur ipſa manus, à capite ſeparata, eſt verè ens ſubſtantiale; & ſi tale non eſſet, ſimul cum quantitate manus non ſeparetur ſubſtantia, nam quantitas ſine ſubſtantia ſolum eſt ens accidentale: ergò ſubſtantia ſimul cum quantitate ſeparatur.

Reſpondent contrarij ad doctrinam noſtram, quod ex ſeparatione reali ſolum infertur diſtinctio potentialis, id eſt, partes ſubſtantię eſſe in potentia, ut facta diviſione, vel ſeparatione, ratione quantitatis diſtinguantur: non tamen quod à ſe ipſis, & ratione ſui diſtinguantùr actualiter.

Sed

Sed solutionem istam, sola VV. PP. Complutensium authoritate fulcitam efficaciter impugnamus: quia partes, quæ sunt unum pro priori ad quantitatem, non possunt adveniente quantitate entitativè distingui: ergò partes substantiæ, quæ adveniente quantitate distinguuntur, etiam ante quantitatem erant, non solum in potentia, sed etiam actualiter distinctæ. Prob. ant. Partes, quæ pro priori ad quantitatem sunt unum, & idem, non possunt non esse unum, & idem adveniente quantitate: ergò non possunt, adveniente quãtitate, entitativè distingui. Prob. ant. Unitas non potest destrui, entitate non destructa, quia est passio identificata cum ipsa entitate; sed quãtitate adveniente, non destruitur entitas, aliàs non prior substantia, sed alia nova sub quantitate poneretur: ergò non tollitur unitas, consequenterque, quæ pro priori ad quantitatem sunt unum, & idem, non possunt non esse unum adveniente quantitate.

Ulteriùs impugnatur prędicta solutio: quia ex separatione reali, benè infertur distinctio realis actualis pro priori ad ipsam separationem, nâm ex separatione reali quãtitatis à re quanta, animæ rationalis à materia, unius partis quantitatis ab altera, & substantiæ â natura, unanimiter, & efficaciter, probant Philosophi distinctionem actualem eorumdem: ergò ex separatione reali partiũ substantię, adveniente quantitate, infertur actualis distinctio, & non solum potentialis, inter partes substantiæ ante ipsam quantitatem.

Ad rationem istam respondent contrarij, hoc ità esse, quando inter ea, quę separantur invenitur specifica distinctio, qualis datur inter materiam, & formam, quantitatem, & rem quantam, &c. non tamen quando talis distinctio non datur, sicut contingit inter partes substantiales.

Contrà tamen est: quia ex separatione reali inter partes ipsius quantitatis, benè infertur actualis distinctio inter illas pro priori ad realem separationem; & tamen partes quantitatis non distinguũtur specie: ergò ex separatione reali benè infertur actualis distinctio, quamvis non detur distinctio specifica.

Secundò probatur conclusio nostra ratione: substantia corporea habet partes substantiales correspondentes partibus quantitatis; sed quãtitas habet partes realiter enti-

titative diſtinctas: ergo illas etiam habet ſubſtantia corporea pro priori ad quantitatem. Min. cum conſeq. conſtat, & maj. prob. Si ſubſtantia corporea non haberet partes diverſas correſpondentes diverſis partibus quantitatis, eſſet tota ſub tota quantitate, & tota ſub qualibet parte, ſicut anima rationalis eſt tota in toto corpore, & tota in qualibet parte, quia indiviſibilis eſt, & non habet partes correſpondentes partibus corporis; ſed ſubſtantia corporea non eſt tota ſub tota quantitate, & tota ſub qualibet parte, aliàs non eſſet extenſa per quantitatem, ſicut anima rationalis non eſt per quantitatem extenſa, quia eſt tota in toto, & tota in qualibet parte: ergò ſubſtantia corporea habet partes ſubſtantiales diverſas correſpondentes diverſis partibus quantitatis.

Reſpondebis, ſubſtantiam habere partes diverſas correſpondentes diverſis partibus quantitatis, diſtinctionem tamen illarum à quantitate provenire, ut à ratione formali.

Sed contrà eſt: quia una pars ſubſtantiæ per ſe ipſam ab alia parte diſtinguitur: ergò diſtinctio inter partes illas provenit ab illarum entitate, tanquam à ratione formali, & non ab illarum quantitate. Prob. ant. una pars ſubſtantiæ per ſe ipſam eſt una, & non alia, eo quod unitas eſt prædicatum tranſcendens ad omnia genera entium: ergò per ſe ipſam ab alia parte diſtinguitur, nàm quod per ſe ipſum eſt unum per ſe ipſum à quocumque alio diſtinguitur, ſiquidem unum eſt indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio.

Dices: quamvis una pars ſubſtantiæ per ſe ipſam ab altera diſtinguatur, non infertur indè, diſtinctionem prædictam eſſe ſubſtantialem; ſicut forma rationalis Petri per ſe ipſam diſtinguitur à forma Pauli: & tamen prædicta diſtinctio formarum non eſt diſtinctio formalis.

Contrà tamen eſt: quia diſtinctio proveniens à forma ſubſtantiali, tanquàm à cauſa formali, & diſtinctio ſubſtantialis, ſiquidem effectus formalis formæ nihil aliud eſt, quam ipſa forma ſubiecto cōmunicata formaliter; ſed diſtinctio inter partes ſubſtantiæ reperta provenit formaliter ab illarum entitate, ut probatum relinquimus: ergò ſubſtantialis eſt.

Impugnatur ulteriùs Adverſariorum reſponſio: quia ſi una forma diſtingueretur ab alia per ſe ipſam, ut com-

mu-

municantem gradum specificum, prędicta distinctio esset distinctio formalis: ergò si una pars substantiæ per se ipsam, quatenus talis substantia est, distinguitur ab altera parte, talis distinctio erit verè substantialis. Per quod etiam patet ad contrariorum exemplum; quia forma rationalis Petri non distinguitur à forma Pauli per se ipsam, ut communicantem gradum specificum, & formalem, sed solùm per se ipsam, ut communicantem gradum individualem, & idcircò distinctio illa non formalis, sed materialis est: una verò pars substantiæ per se ipsam, ut est substantia, ab alia parte distinguitur, & ità distinctio prædicta debet esse substantialis.

§. III.

Solvuntur argumenta,

COntra conclusionem istam arguitur primo: distinctio reperta inter partes substantiæ est accidentalis: ergò à quantitate provenit, & non habetur independenter ab illa. Prob. ant. Compositio, vel unio unius partis cum altera accidentalis est, nàm sola compositio ex actu, & potentia est essentialis, & partes prędictæ non se habent sicut actus, & potentia, ut infrà dicemus: ergò etiam distinctio inter partes accidentalis est, alias compositio non esset accidentalis.

Resp. neg. ant. & ad probat. dist. ànt. accidentalis *prædicabiliter*, conc. ant. *prædicamentaliter*, neg. ant. & cons. sub eadem distinctione. Talis namque distinctio, & compotio solum est accidentalis prędicabiliter, siquidem non convenit substantiæ secundum se, sed illi, ut connotanti quãtitatem; entitativè tamen, & prædicamentaliter substantialis est: sicut existentia, & subsistentia sunt quid accidentale prædicabilitèr, & tamen sunt modi entitativè substantiales.

Secundò arguitur: substantia corporea, remota quãtitate, manet omninò indivisibilis: ergó independentèr â quantitate non habet partes substantiales realitèr entitativè distinctas, nàm omnis distinctio divisibilitatem facit. Prob. ant. ex D. Th. 1. p. q. 50. ar. 2. in corp. ubi ait: *materiam dividi in partes non convenit nisi secundum quod intelligitur sub quantitate, qua remota remanet substantia indivisibilis, ut dicitur* 1. *Physic.* quod idem asserit D. Ang. 4. contr. gent. c. 65. propè finem, & denique quodlib. 9. q. 4. art. 1. id ipsum asserit per hæc verba: *impossibile est, quod una ma-*

materia contrarias, & diſparatas formas recipiat, niſi ſecundum diverſas partes, diverſitas autem partium non poteſt intelligi in materia non intellecta diviſione, nec diviſio non intellecta dimenſione, quia ſubſtracta quantitate ſubſtantia remanet indiviſibilis : ergò per priori ad quantitatem, & independenter ab illa, non poteſt intelligi in ſubſtantia corporea aliqua diverſitas partium, conſequenterque omnino indiviſibilis manet, & abſque ulla diſtinctione.

Reſp. neg. ant. & ad probat. explico D. Th. ſubſtantia remanet indiviſibilis, remota, vel ſubſtracta quantitate *radicaliter*, conc. ant. *actualiter*, neg. ant. & conſeq. Quia ſubſtantia, remota quantitate radicaliter, remanet indiviſibilis, ſubſtantia namque ſolum eſt diviſibilis, in quantum radicat diverſas partes quantitatis: eſt tamen diviſibilis, & habet partes diſtinctas ante quantitatem actualem, aut illa remota, & hoc ſolum affirmamus, quod non negat D. Aug.

Addimus D. Th. in locis cit. procedere contra Avicebron, qui in lib. fontis vitæ aſtruere nititur Angelos eſſe ex materia, & forma compoſitos, ponens, quod eadem eſt materia univerſalis ſpiritualium, & corporalium; cuius poſitionis impoſibilitatem oſtendit Præc. Aug. ex eo, quod non eſt poſsibile formam ſpiritualem, & corporalem recipi in una parte materiæ, quia ſic una, & eadem res numero eſſet corporalis, & ſpiritualis; unde relinquitur, quod alia pars materiæ ſit, quæ recipit formam corporalem, & alia, quę recipit formam ſpiritualem. Ad verificandam autem huiuſmodi alietatem, & improbandam poſitionem Avicebron, ſufficit, quod materia intelligatur ſub quantitate radicali, vel, ut eſt radix quantitatis: nàm materia ſpiritualium, etiam ſi eſſet, non eſt ſubſtantia alicui quantitati ſubiecta, ut ibidem excludit D. Th. Præterquamquod ipſe S. Doct. in 5. Metaph. lect. 15. aſſerit, quod *ſola quantitas habet diviſionem in partes proprias poſt ſubſtantiam*: ergò ſupponit ſubſtantiam eſſe diviſibilem, ſaltim in quantùm diverſas quantitatis partes radicat.

Inſtabis: remota quantitate actùali, ſubſtantia remanet indiviſibilis: ergò nulla eſt ſolutio. Prob. ant. D. Th. loquitur de quantitate, quæ poteſt à ſubſtantia ſeparari; ſed ſolùm quantitas actualis poteſt ſeparari à ſubſtantia, non tamen quantitas radicalis,

lis, quę est ipsa substantia, ut radicat quantitatem : ergò remota sola quantitate actuali, substantia indivisibilis manet.

Resp. neg. ant. & ad probationem dist. min. potest separari *separatione physica*, conc. min. *Logica*, neg. min. & conseq. Quia etiam quantitas radicalis potest separari à substantia Logicè, & per intellectum ; nam benè potest intelligi substantia secundum prędicata essentialia, & in ordine ad se, quin intelligatur, ut est radix quantitatis, & de separatione ista loquitur D. Th. non tamen de separatione physica, & materiali, qua sola quantitas actualis potest à substantia separari.

Dices : esse radicem quãtitatis est de essentia substantię : ergò quantitas radicalis etiam Logicè, & per intellectum non potest à substantia separari. Prob. ant. Conceptus radicis quantitatis, est conceptus naturæ ; sed conceptus naturæ est de essentia substantiæ, nec virtualiter adæquatè ab ea distinguitur, siquidem conceptus naturę, & essentiæ non differunt adæquatè : ergò esse radicem quãtitatis est de essentia substantię.

Resp. conceptum radicis quantitatis esse de essentia substantiæ, & ideo non posse abilla pro implicito præscindere, posse tamen præscindere pro explicito ; & hoc D. Th. intendit : quod, videlicet, si substantia intelligatur, non intelligendo pro explicito, quod sit radix quantitatis, non intelligetur etiam pro explicito divisibilis in partes, licut non intelligitur pro explicito cum ordine ad partes quantitatis actualiter distinctas.

Tertiò arguitur : substantia corporea est tota sub tota quantitate, & tota sub qualibet parte : ergò indivisibilis est, & absque ulla distinctione partium. Prob. ant. Nâm ideò D. Th. 3. p. q. 76. art. 1. ad 3. probat Corpus Christi esse totum in toto pane, & vino consecrato, quia est ibi admodum substantiæ, & non per modum quantitatis : ergò substantia est tota sub tota quantitate, & tota sub qualibet parte, alias consequentia D. Th. bona non esset.

Resp. dist. ant. tota *totalitate naturæ, & essentiæ*, conc. ant. *totalitate integrali*, neg. ant. & conseq. Quia licet substantia sit tota sub qualibet parte quantitatis totalitate essentiæ, eo quod tota essentia substantiæ salvatur sub qualibet parte quantitatis, non tamen substantia est sub qúalibet parte quantitatis totali-

ta-

tate integrali, sed potius una pars substantiæ est sub altera quantitatis, & alia sub alia: undè D. Th. in loco cit. probat Corpus Christi esse totum sub qualibet parte, quia est ibi per modum substantiæ, id est, ad eum modum, quo substantia totalitate essentiæ salvatur in qualibet parte.

Instabis primò: nulla ratio suadere potest, D. Thomam intelligendum esse de totalitate essentiali, non autem de integrali, & entitativa: ergò non est intelligendus D. Th. de totalitate essentiali.

Secundò instabis: esse totam in tota, & tota sub qualibet parte totalitate essentiali, etiam convenit quantitati; sed D. Th. probat Corpus Christi esse totum sub qualibet parte, non quia ibi sit per modum quantitatis, sed solum quia ibi est per modum substantiæ: ergò idem, quod prius.

Resp. ad 1. instantiam, neg. ant. & rationem assignamus ex ipso Ang. Præcept. in eadem quæst. art. 3. in corp. ubi asserit, quod *natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur, sicut sub qualibet parte aëris est tota natura aeris, & sub qualibet parte panis, est tota natura panis.* Ex quibus infert, quod totus Christus est sub qualibet parte specierum panis, cum ibi sit per modum substantiæ, & non per modum dimensionum, ut præmittit initio corpor. sed natura idem sæpè significat, quod essentia, nàm idcircò dicitur, quod diffinitio, per quam explicatur essentia rei, est oratio naturam rei explicans: ergò intelligendus est de totalitate essentiali, vel naturę, & essentiæ, maximè cum entitatem substantię, vel totalitatem integralem nec nominet D. Th.

Ad secund. instant. resp. dist. mai. etiam convenit quātitati *dependenter à substantia*, conc. mai. *per se primo*, neg. mai. & conc. min. neg. cons. Quia omne accidens in sua essentia, & natura dependet à substantia, ipsamque supponit compositam ex materia, & forma, vel ut totam totalitate formali; undè essentialis totalitas soli substantiæ convenit per se primò: propterea-que D. Th. probat Corpus Christi esse totum sub quacumque parte, non quia ibi sit admodùm quantitatis, sed quia est ibi admodum substantiæ, cui esse totam sub qualibet parte totalitate essentiali convenit per se primò.

Quartò arguitur: data distinctione partium, poterit sub-

substantia motum continuum terminare; sed substantia non potest aliquem motum terminare: ergo carere debet omni distinctione partium. mai. patet. Quia si substantia partes distinctas habet, poterit per partem motus produci una pars substantiæ, & per aliam alia, & per totum motum tota substantia. min. verò prob. ex D. Th. 11. Metaph. lect. 12. ubi ait: *quod cum prædicamenta dividantur per substantiam, qualitatem, & huiusmodi; & in alijs generibus, non possit esse motus, erunt tria genera entis, in quibus potest esse motus, quæ sunt quantitas, qualitas, & ubi*: ergo substantia non potest motum terminare.

Resp. dist. mai. motum continuum terminare *per se*, conc. mai. *per accidens*, neg. mai. & sub eadem dist. min. neg. conseq. Quia substantia etiam per nutritionem producitur, & nutritio motus continuus successivus est. Ratio autem ea est, quia quantitas per augmentationem producta, incipit in tempore, sicut omnis motus successibus, & si nutritio, quæ augmentationem comitatur, non esset motus successivus, sed instantaneus, daretur quantitas sine substantia, vel substantia sine quantitate; eo quòd, vel nutritio inciperet in instanti ante tempus, in quo incipit augmentatio, & ita substantia producta per nutritionem pro illo instanti esset sine quantitate; vel nutritio inciperet in instanti sequuto ad tempus augmentationis, & ità daretur quantitas tempore præcedenti producta sine ulla substantia. Quãdo verò asserit D. Th. solùm dari motum continuum ad quantitatem, qualitatem, & ubi, intelligitur per se, & propriè, non verò per accidens, ipse namque D. Ang. in eadem lect. asserit ad relationem dari motum per accidens; motus autem nutritionis est successivus per accidens, & ratione augmentationis, quia partes quantitatis per augmentationem producuntur: & ideò nè detur quantitas sine substantia, debet etiam substantia successivè per nutritionem produci.

Quintò arguitur: si substantia haberet partes distinctas independenter à quantitate, esset etiam individua prioriad quantitatem; sed prorali priori individua non est: ergo non habet partes distinctas independenter à quãtitate.

Resp. dist. mai. pro priori ad quantitatem *actualem*, cõc. mai. *radicalem*, neg. mai. min. & conseq. substantia namque est individua antè quantitatẽ actualẽ per hoc præcisè, quod

ſit radix quantitatis: unde argumentum ſolùm convincit, ſubſtantiam ante quantitatem radicalem non habere partes, quod nos etiam affirmamus.

Inſtabis: ex quo ſubſtantia habeat partes diſtinctas, ſequitur, quod ſit etiam individua independentèr à quantitate radicali: ergò ſolutio data non tenet. Prob. ant. ideó quantitas ratione ſui individua eſt, quia habet partes diſtinctas, & idcircò quantitas in Sacramento Euchariſtiæ eſt individua, etiam à ſubſtantia ſeparata: ergò ſi ſubſtantia habet partes diſtinctas, erit etiam individua ratione ſui, & indepenter à quantitate radicali.

Reſp. neg.ant.& ad probat. neg. cauſalem. Non enim ideò qnantitas eſt indìvidua independentèr à ſubſtantia, quia habet partes diſtinctas, ſed quia ratione ſui habet partes diſtinctas, & ordinatas in toto; quã tamen ordinationẽ partium non habet ſubſtantia, niſi ratione quantitatis: & ideò ſubſtantia ratione ſui, & independentèr à quantitate intellecta, & radicata, individua non eſt.

Sextò arguitur: materia prima non poteſt habere partes diſtinctas independentèr à quantitate actuali: ergò idem dicendum de quacumque alia ſubſtantia corporea, de qua quidem eadem ratio eſt. Prob. ant. primò. Omnis diſtinctio provenit ab aliquo actu, nàm actus eſt, qui diſtìnguit; ſed materia prima non habet aliquem actum phyſicum: ergò nequit habere partes phyſicè entitativè diſtinctas ante ipſam quantitatem.

Secundò prob. ant. materię primæ omnis compoſitio repugnat: ergò non poteſt habere partes, alias compoſita eſſet. Prob. ant. Materiæ primę repugnat compoſitio ex accidenti, & ſubſtantia; quia materia ante formam nequit accidentia recipere, aliũdè ei repugnat compoſitio ex actu, & potentia, quia materia ante formam nullum actũ phiſicum habet: ergò materiæ primæ omnis compoſitio repugnat.

Reſp.ad arg. neg. ant. & ad prob.diſt. mai. provenit *ab aliquo actu, vel ab ordine ad actum*, conc. mai. *ab aliquo actu intrinſecè recepto præciſè*, neg.mai. & conceſ. min. neg. conſeq. Quia quamvis materia in genere phyſico non habeat actum intrinſecè receptum, dicit tamen ordinem ad actum, videlicet ad formam, & quantitatem quod ſufficit, ut habeat partes actualitèr diſtinctas. Inſtantia eſt in duplici ſubſtantia totali, quarum una

una ab alia entitativè distinguitur propter ordinem ad diversam quantitatem totalem. Sicut etiam materia cœlestis, & materia sublunaris per ordinem ad formas specifice distinctas, ut docet D. Th. 1. p. q. 66. ar. 2.

Instabis: distinctio intrinseca nō potest à forma extrinseca provenire; sed quantitas dùm terminat habitudinem substantiæ corporeæ est forma extrinseca: ergò distinctio intrinseca partium substantiæ nequit provenire ab ordine ad quantitatem.

Resp. dist. mai. à forma extrinseca, *tanquam à ratione formali*, conc. mai. *ut à termino extrinsecè connotato*, neg. mai. & conc. min. neg. conseq. sub eadem distinctione. Licet namque distinctio intrinseca non possit à forma extrinseca provenire, tanquam à ratione formali, in quo sensu distinctio inter partes substantiæ provenit ab illarum entitatibus, ut dicentibus habitudinem ad diversam quantitatem; potest tamen provenire à forma extrinseca, ut à termino extrinsecè connotato: sicut distinctio actus liberi à necessario provenit à creatura, ut à termino extrinsecè connotato.

Ad 2. prob. ant. resp. dist. ant. omnis compositio *formalis*, conc. ant. *integralis*, neg. ant. & conseq. Quia materiæ primæ solum repugnat compositio formalis, facta ex actu, & potentia, non tamen compositio integralis, de qua loquimur in præsenti: & instantia est ipsa quantitate, quæ non est composita compositione formali, & tamen integraliter composita est.

Instabis: materia sine quantitate actuali, non habet partes distinctas: ergo repugnat illi etiam compositio integralis. Prob. ant. materia sine quantitate actuali, non per se dividitur in partes, nàm divisibilitas est proprius quantitatis effectus: ergò sine quantitate actuali non habet partes distinctas, aliàs posset saltim à Deo dividi in illas, nàm Deus potest unam partem ab alia distinctam, ab altera separare.

Resp. neg. ant. & ad probat. dicimus, divisibilitatem esse separationem partium habentium extensionem, & ità separatio formæ à materia nō est propriè divisio; cumque materia non habeat partes extensas, quamvis habeat illas distinctas, inde fit posse Deum unam partem ab altera separare: non tamen hæc separatio esset propriè divisio.

Septimò arguitur: ex quo substantia radicet diversas partes quantitatis, non

infertur, quod habet partes actualiter distinctas: ergò illas non habet. Prob. ant. substantia radicat partes extensas quantitatis, & tamen antè quantitatem actualem non habet partes extensas: ergò ex quo radicet partes diversas quantitatis, non infertur habere partes actualiter distinctas.

Resp. neg.ant.& ad probationem, neg. conseq. Ratio autem discriminis ea est, quia omnis extensio debet esse longitudo, latitudo, aut profunditas, quę omnia sunt species quantitatis; & cum effectus formalis quantitatis non possit reperiri sine quantitate actuali, indè fit non posse substantiam sine quantitate actuali habere partes extensas: distinctio verò non est proprius quantitatis effectus, sed est prædicatum transcendens ad omnia genera entis, nàm qualitas per se ipsam ab alia qualitate distinguitur, & relatio ab altera relatione, & propterea sinè quantitate actuali potest habere distinctionē. Et instātia est in duplici substantia totali, quarū una ab alia distinguitur, quia radicat quantitatem diversam: & tamen quamvis utraque radicet quantitatem extensam, nulla illarum extensa est.

Instabis: ideò extensio est effectus proprius quantitatis; quia primo, & per se convenit quantitati; sed etiam distinctio integralis per se primò convenit quantitati: ergó erit etiam proprius effectus quantitatis, & sine illa impossibilis.

Resp.neg. causalem maj. quæ adęquata non est, eo quod extensio debet esse longitudo, latitudo, vel profunditas, quæ omnia non possunt ab alijs à quantitate provenire, & ideò extensio est effectus proprius quantitatis, & alijs convenire non potest: non quia per se primò competat quantitati, sed quia illi convenit privativè, & ea sola facere potest longum, latum, & profundum.

Dices: sicut extensio est effectus accidentalis, ità distinctio: ergó si non datur extensio in linea substantiæ, sed est propria, & privativa quātitatis, ità nulla erit distinctio. Prob. ant. distinctio essentialis solùm reperitur intèr partes essentiales, videlicet inter materiam, & formam; sed partes integrales non sunt partes essentiales: ergó distinctio inter partes integrales, sicut & extensio, accidentalis est.

Resp. neg.ant. & ad probationem neg. min. Quia sicut materia, & forma respectu totius physici substantialis,

&

& formalis, sunt partes essentiales, ita partes integrales in ordine ad totum integrale essentiales sunt, & sine ipsis reperiri non potest, & ideò distinctio inter illas non accidentalis, sed essentialis est.

Tandem arguitur: si substantia ex se, & indepenter à quantitate actuali, haberet partes distinctas, illas etiam unitas haberet; sed substantia non potest habere partes unitas: ergò illas distinctas non habet. Mai. patet. Quia si partes non essent unitæ facerent unum per accidens, sicut acervus lapidum, quod tamen implicat, quia omne totum in linea substantiæ est totum per se. Min. verò probatur. Partes prædictæ non possunt uniri medio aliquo indivisibili, alias essent extensę, nàm ideò partes quantitatis extensæ sunt, quia per indivisibilia, & non se ipsis uniuntur; aliundè prędictæ partes non possunt uniri se ipsis: ergò substantia non potest partes unitas habere. Prob. min. ea, quæ se ipsis uniuntur, adinvicem comparantur, sicut actus, & potentia, qualiter comparantur materia, & forma, natura, & subsistentia, quę se ipsis uniuntur; sed partes substantiæ non possunt adinvicem comparari, sicut actus, & potentia, quia omnes sunt eiusdem rationis, & non est ratio quarè una determinatè sit actus, & altera potentia, & non cõtingat è contra: ergò partes prædictæ se ipsis uniri non possunt.

Resp. neg. 1. & 2. min. Partes enim substantię, ut uniantur, non indigent modo aliquo divisibili, vel indivisibili, sed seipsis immediatè uniuntur, tanquam partes ejusdẽ rationis per se ordinatè ad cõstituendum idem totum: nec necessarium est, unam esse potentiam, & alteram actum, sed satis est, omnes esse in potentia in ordine ad idem totum. Quam solutionem deducimus ex Ang. Præcept. 1. p. q. 3. ar. 7. in corp. ubi ait quod *in omni compositio oportet esse potentiam, & actum, ... quia vel una partium est actus respectu alterius, vel saltem omnes partes sunt sicut in potẽtia respectu totius.* Ex quo infert D. Th. Deum esse omninò simplicem, quia in Deo non est una pars in potentia ad aliam, nec plures partes in ordine ad idem totum.

Instabis: sicut partes substantiæ sunt eiusdem rationis, inâ etiam sunt eiusdem rationis partes ipsæ quantitatis: sed partes quantitatis non uniuntur per se ipsas: ergò nec partes substantię.

Reſp. neg. conſeq. & ratio diſcriminis eſt ; quia unio partium quantitatis ex natura ſua ordinatur ad faciẽdam magnitudinem , & ità partes quantitatis neceſſariò debent uniri mediante aliquo indiviſibili , per quod ſe tangant ſecundùm extremitates, & magnitudinem faciant: unio vero inter partes ſubſtantiæ, non ad hoc ordinatur , & ità non fit per modum indiviſibilem , ſed ſe ipſis uniuntur, & ſic unitæ manent tanquam partes univerſi ſinè ordine, & cum quadam confuſione , quę tamen confuſio tollitur adveniente quantitate , per quam partes prędictæ formaliter ordinantur.

§. IV.

Corollaria ex dictis.

EX dictis colligitur , diſtinctionem ſubſtantialem eſſe prędicatum ſubſtantiale , & à quantitate, ut a conditione dependere, ſicut individuatio ſubſtantialis , tanquàm a conditione , & termino connotato à quantitate dependet : & ſicut influxus realis , quo demonſtratio cauſat ſcientiam , tanquàm à conditione dependet ab ipſa forma rationis.

Secundò colligitur, illa, quæ ſunt unum per unionem, poſſe eſſe plura in potentia, ſicut partes ulnæ , quæ antea erant unitæ , poſſunt ſeparari, & fieri plura : & ſimiliter,quæ ſunt plura actu , poſſe fieri unum per unionem , ſicut duo vaſa aquę diſtincta , poſſunt continuari , & fieri unum. In quo ſenſu intelligendi ſunt D. Th. & Philoſ. qui quandoque aſſerunt, ea , quę ſunt actu unum , poſſe fieri plura in potentia ; & è contrà , ea, quę ſunt plùra in actu , eſſe unum in potentia , quatenus poſſunt uniri : & hoc modo explicari debent authoritates aliquæ quibus utuntur Adverſarii. Verùm tamen , quæ ſunt unum per identitatem , & ſimplicitatem , non poſſunt eſſe plura in potentia, niſi ſint unum per ſolam identitatem in genere intelligibili , quia talis unitas ſecundùm quid talis eſt.

QUÆST. III.

De Prædicamento relationis, & in ea.

ART. I.

Quid ſit relatio prædicamentalis , & quas habeat proprietates ?

§.I.

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis, ſtatuitur relationis diffinitio.

POſt prędicamentum quantitatis, merito agit Ariſt. de prædicamento *ad aliquid*, quod communi nomine dicitur *relatio*, *reſpectus*, *ordo*, *ſeu habitudo*, maximè cum hic diſputet de prædicamentis ſecundùm ordinem prędicandi, penes quem ad Logicam conſiderationem pertinet. De ſubſtantia autem poſt quantitatem, priùs prædicatur eſſe ad aliquid, quam eſſe quale: mox enim ut conſideratur ſubſtantia quanta, ſeclusa quacumque qualitate, & menſuratur quantitate, & eſt dupla ad ſuam medietatem, & tripla ad ſuam tertiam, quæ omnia relationem dicunt.

Ad intelligentiam tamen huius prędicamenti, notandum eſt primò ex Div. Th. 1. p. q. 13. art. 7. dari relationes reales, eo quod ipſæ res naturalem ordinem, & habitudinem habent adinvicem. Et quidem in divinis dari relationes reales, & fides docet, & ratio ipſa convincit: quia perſonę divinæ formaliter aliquid reale ſunt; ſed Perſonæ divinæ conſtituuntur, & diſtinguuntur per divinas relationes, nàm ut docet D. Th. 1. p. q. 30. art 2. ad 1. *paternitas eſt perſona Patris, filiatio perſona filij, proceſſio perſona Spiritus Sancti procedentis*, in prędicatis autem abſolutis nullam diſtinctionem habent, ut alibi ſæpiùs docet Præcept. Ang. ergo relationes divinæ aliquid reale ſunt.

De creatis autem relationibus id ipſum cenſent cōmuniter Philoſophi, ac Theologi unanimi conſenſu procedentes contrà nonnullos Antiquorum, ut Zeno, & Stoici, ac pleroſque Nominalium, qui cenſuere in creaturis nullam dari relationem realem, cujus oppoſitum etiam ratio ipſa convincit: nullo enim intellectu conſiderante, unum album dicit relationem ſimilitudinis ad alterum album ſimile, una quantitas dicit relationem æqualitatis ad aliam eiuſdem extenſionis; homo generans dicit relationem paternitatis ad filium à ſe genitum, ſicut enim Pater æternus realiter refertur ad filium, quia ex utero ante Luciferum genuit illum, ita Pater creatus, qui realiter gignit filium, reipſa refertur ad eum, ex ipſo enim *omnis paternitas in cœlo, & in terra numinatur*, ut dicitur ad Epheſ. 3. v. 15. ſi-

militer in rebus datur ordo, ut exercitus ordinatus, universum ordinatum, & alia similia: quibus omnibus negare existentiam in re, nullo intellectu considerante, est negare id, quod, vel rusticissimi homines in re dari cognoscunt, ut inquit Mag. à Sto. Thoma.

Secundò supponendum est contra Gilbertum Porretanum, qui (ut refert Div. Tho. 1.p. q.28. art.2.) post modum suum errorem revocavit in Concilio Rhemensi celebrato sub Eugenio 3. relationem realem, non esse formam assistentem, sive extrinsecus affixam, sed formam intrinsecam subiecto, quod per ipsam relationem refertur ad alterum: quia unum simile intrinsecè refertur ad aliud; sed non refertur intrinsecè per extrinsecam formam: ergò relatio non est forma assistens, sive extrinsecus affixa.

Rursus etiam probatur: quia denominatio relati provenit à forma intrinseca alicui subiecto, nàm omnis denominatio est in aliquo intrinseca entitativè, sicut denominatio visi provenit à visione, quæ quàvis sit extrinseca obiecto, & tamen intrinseca videnti; sed denominatio relati provenit à relatione, & non à forma absoluta, cum forma absoluta non possit unum ad alterum referre: ergò relatio intrinseca debet esse in aliquo subiecto.

Relatio in universum, nihil aliud est, quam ordo, seu respectus unius ad aliud. Dividitur autem *in realem, & rationis*. Relatio *realis* est respectus inter duo entia realiter distincta, qui habet esse in rebus ipsis, secluſa operatione intellectus, sicut respectus Patris ad filium. Relatio verò *rationis* est respectus, quem intellectus facit inter duo, quæ aut non sunt entia realia, aut non realitèr distinguuntur. Quod quidem tribus modis contingere potest, ut docet D. Th. 1. p. q. 13. art. 7. in corp.: primò modo, quando extrema non sunt verè entia, sed ex utraque parte est ens rationis tantùm: sicut habitudo inter chimeram, & chimeram. Secundò, quando extrema habent fundamantum in re, actu tamen non sunt nisi per operationem intellectus: sicùt relatio generis ad species, & speciei ad genus. Tertiò denique modo, quando relatio est inter res, quę non sunt duæ, nec distinctæ, nisi per operationem intellectus, sicut relatio ejusdem ad se ipsum: nàm secundùm quod

ra-

catio apprehendit bis aliquod unum, ſtatuit illud ut duo, & ſic apprehendit quandam habitudinem ipſius ad ſe ipſum. Ex quo manifeſtè colligitur perperam inferri à quibuſdam, benè valere: aliqua diſtinctio eſt relatio rationis: ergò extrema ſunt entia rationis: nàm iuſtitia, & miſericordia in Deo diſtinguuntur ratione, eo quod de ſe non ſunt duo, magis quàm ego, & ego, ſed ſola operatione intellectàs, & tamen entia rationis non ſunt.

Ulteriùs dividitur relatio in *increatam*, & *creatam*. Relatio *increata* eſt reſpectus unius divinę perſonæ ad aliã, & eſt quadruplex, ut docet D. Th. 1.p. q.28. art.4. videlicet Paternitas, Filiatio, Spiratio, & proceſsio. Relatio *creata* eſt reſpectus unius rei creatę ad aliam, vel etiam ad ipſum creatorem. Item relatio dividitur in relationem *ſecundum eſſe*, & in relationem *ſecundum dici*. Relativa *ſecundum eſſe* (ut docet D. Th. 1. p. q.13. art.7. ad 1.) ſunt illa, quæ ſunt impoſita ad ſignificandùm ipſas habitudines relativas, ut *Dominus*, *ſervus*, *Pater*, & *filius*, & huiuſmodi. Relativa vero *ſecundum dici*, (quę etiam dicuntur relativa tranſcendentalia) ſunt illa, quæ ſunt impoſita ad ſignificandas res, quas conſequuntur quędam habitudines, ſicut *movens*, & *motum*, *caput*, & *capitatum*, & alia huiuſmodi. Undè relativa ſecundùm eſſe primariò ſignificant ipſam habitudinem relativam, & ità tantùm habent ſuum eſſe in ordine ad terminum, quem reſpiciunt. Relativa verò ſecundùm dici, vel tranſcendentalia primariò ſignificant aliquid abſolutum, & ex conſequenti reſpectum dependentiæ cauſæ ad effectus, vel effectus à cauſa: & ità non reſpiciunt terminum, ut purum terminum, ſed ut cauſam, vel effectum.

Relatio autem tranſcendentalis,) quæ ideò dicitur talis, quia tranſcendit omnia genera) poteſt eſſe realis, qualis eſt illa, quam effectus realis dicit ad cauſam realem. Poteſt etiam eſſe rationis, qualis eſt illa, quam omnia entia rationis dicunt ad intellectum, ut ad cauſam efficientem. Relatio quidem ſecundum eſſe, alia etiam eſt realis, ſicut illa, qùa unum album refertur ad aliud, & Pater ad ſuum filium. Poteſt inſuper eſſe rationis, ut relatio ſpeciei ad individua & generis ad ſpecies. Quod totum apertiſsimè docet Præc Ang. q. 7. de Potent. art.

10.

10. ad 11. per hæc verba: *Diſtinctio relativorum ſecundum eſſe, & ſecundum dici, nihil facit ad hoc, quod ſit relatio realis. Quædam enim ſunt relativa ſecundum eſſe, quæ non ſunt realia, ſicut dextrum, & ſiniſtrum in columna. Et quædam ſunt relativa ſecundum dici, quæ tamen important relationes reales, ſicut patet de ſcientia, & ſenſu. Dicuntur enim relativa ſecundum eſſe, quando nomina ſunt impoſita ad ſignificandas ipſas relationes, relativa verò ſecundum dici, quando nomina ſunt impoſita ad ſignificandas qualitates, vel aliquid hujuſmodi principaliter, ad quæ tamen conſequuntur relationes. Nec quantum ad hoc differt, utrum ſint relationes reales, vel rationis tantum.* Ex quibus omnibus ſola relatio realis creata ſecundum eſſe Speciale prædicamentum conſtituit.

§. II.

Diffinitio relationis prædicamentalis explicatur.

HÆc autem relatio prædicamentalis eſt *forma accidentalis realis, cujus totum eſſe eſt in ordine ad terminum.* Per eſſe formam, convenit cum omni forma tam reali, quam rationis. Per eſſe accidentalem, diſtinguitur à relatione divina, quæ eſt ſubſtantia, ut docet D. Th. 1. p. q. 28. art. 2. Per eſſe realem, diſtinguitur à relatione rationis. Et demum per ultimam particulam diſtinguitur à relatione tranſcendentali, vel ſecundum dici, quæ non habet totum ſuum eſſe in ordine ad terminum, nec ipſum reſpicit, ut purus terminus eſt.

Inſtabis: Relationes rationis etiam ponuntur in prædicamento relationis: per eam ergò excluduntur ab hoc prædicamento per illam particulam *realis*. Prob. ant. ex D. Th. 1. p. q. 28. art. 1. in corp. ubi ait: *quod ſolum in his, quæ dicuntur ad aliquid inveniuntur aliqua ſecundum rationem tantum*: ergo relationes rationis tantùm, etiam ponuntur in predicamento relationis.

Reſp. neg. ant. & ad probationem dicimus cum Ferrarienſi 4. contrā Gent. cap. 14 §. *Ad primi dubii evidentiam*, quod cum D. Th. dicit ſolum in his, quæ dicuntur *ad aliquid*, inveniri aliqua ſecundum rationem tantum, quia ea, quæ dicuntur *ad aliquid*, ſignificant ſecundum propriam rationem, ſolùm reſpectum ad aliud,

pro

propria ratio relationis, quæ eſt *eſſe ad aliud*, dupliciter accipi poteſt: *uno modo* in generali, in quantum abſolutè importat dici ad aliud: *alio modo*, in ſpeciali in quantum importat dici ad aliud ex natura rei, ſivè habens fundamentum in re. Primo modo dicitur propria ratio prædicamenti relationis comparativè ad alia prædicamenta, in quantum ſcilicet ipſum *ad aliud* eſt abſolutè, alia verò non ſunt *ad aliud*: & hoc modo relationes rationis ſunt propriè relationes cum intellectus noſter verè, & propriè referat unum ad aliud, verum eſſe *ad aliud*, pro ut ſic non eſt propria ratio, ultimò completiva relationis prędicamentalis. Secundò modo eſt propria ratio prædicamenti relationis tanquam ultimum eius completivum; nam cum in ratione eius totali includatur, quod ſit accidens, & quod ad alterum, tanquam ad oppoſitum relativè, dicatur ex natura rei, in quantum includit rationem accidentis facit relationem differre à prędicamento ſubſtantię, in quantum verò importat ordinem ad alterum ex natura rei provenientem, facit ultimatè differre ab aliis prædicamentis accidentium: Et hoc modo relationes rationis non ſunt propriè relationes, cum ex natura rei non dicant ordinem ad aliud.

Addimus D. Th. loc. cit. loqui de relatione abſolutè, & ſecundum ſe non tamen de illa, ut determinatè eſt genus prędicamentale; quod patet ex ipſis verbis S. Doct. non enim dixit: ſolùm in his quæ ſunt in prędicamento *ad aliquid*, *&c.* ſed abſolutè dixit: *Solum in his, quæ dicuntur ad aliquid, inveniuntur aliqua ſecundum rationem tantum.* Ex quibus conſtat ſolùm loqui de relatione ſub formaliſſimo conceptu ad; & ſignificat, quod ex illa parte, qua conſideratur ad terminum, & poſitivè ſe habet, non eſt determinatè forma realis, ſed permittit, quod ſit ens reale, vel rationis, licet Ad prædicamentale, & fundatum reale ſit. Quæ quidem expoſitio conſonat cùm doctrina tradita ab ipſo S. Doct. ad Annib. diſt. 26. q. 2. art. 1. in corp. ubi ait: *Quod relatio dupliciter poteſt conſiderari. Uno modo quantum ad id, ad quod dicitur, ex quo rationem relationis habet, & quantum ad hoc non habet, quod ponat aliquid. Quamvis etiam ex hoc non habeat, quod nihil ſit. Sunt enim quidam reſpectus, qui ſunt aliquid ſecun-*

dum

dum rem, quidam verò, qui nihil: quod in alis generibus non invenitur. Alio modo, quantum ad id in quo eſt, & ſic quando habet cauſam in ſubjecto, realiter ineſt, & ipſe reſpectus eſt realis. Quando verò non habet cauſam in ſubjecto ſed in re alia, vel in ſola ratione, tunc non eſt reſpectus realis, ſed rationis tantum Quòd autem relatio rationis non ponatur in prædicamento ad aliquid expreſsè docet Præcept. Ang. q. 7. de Pot. art. 9. in corp. per hæc verba: *In nullo prædicamento ponitur aliquid, niſi res extra animam exiſtens. Nam ens rationis dividitur contrà ens diviſum per decem prædicamenta*, ut patet 7. Metaph. *Si autem relatio non eſſet in rebus extra animam, non poneretur ad aliquid unum genus prædicamenti.*

Secundò inſtabis: Diffinitio relationis prędicamentalis, convenit relativis tranſcendatalibus: ergò non rectè excluduntur per ultimam particulam prædictæ diffinitionis. Prob. ant. Relativa tranſcendentalia habent totum ſuum eſſe in ordine ad terminum: ergò illis convenit diffinitio relationis prædicamentalis. Prob. ant. tota eſſentia materię eſt ad formam & tota eſſentia actus, & habitus eſt ad objectum, cùm indè habeant totam ſpeciem; ergò relativa trandentalia habent totum ſuum eſſe in ordine ad terminum.

Reſp. diſt. ant. ad terminum, *ut cauſam, vel effectum*, conc. ant. *ut purum terminum*, neg. ant. & conſeq. Relativa namque tranſcendetalia ad diſtinctionē relativorum prędicamentalium: non ſunt primò, & per ſe ad aliud, licèt enim ab alio ſumatur tota eorum ſpecies, vel ab alio dependeat, non tamèn tota eorùm ſpecies, vel eſſentia eſt ad aliud: ſicut actus, & habitus dependent ab objecto, & materia, à forma, ſicut à cauſis, á quibus habent eſſe, & ſpecificationem, ex quo ſequitur, quod illa reſpiciant ut terminum, ſed quod primò, & per ſe ſit ad aliud, ut ad terminum, relationis prędicamentalis proprium eſt, quia reſpicit terminū, ut purum terminū; ideſt, tantū ut ad aliud (ut inquit Mag. â S. Th.) non ut ab alio, vel circâ aliud, vel quocumque aliò cauſalitatis modo, ſicut relatio tranſcendentalis.

***

§.

§. III.

Quotuplex sit relatio prædicamentalis.

EXplicata diffinitione relationis prædicamentalis, varias eius divisiones oportet examinare. Duplici autem modo potest dividi huiusmodi relatio; primò, penes conditiones accidentales relationis: Secundò, penes eius species, & essentiales differentias. *Primo modo* dividitur relatio prædicamentalis, *in mutuam & non mutuam.* Relatio *mutua* illa est, cui in utroque extremo correspondet relatio eiusdem ordinis, seù entitatis, sicut *relatio Patris & Filii Domini, & Servi.* Relatio *non mutua* ea est, cui in altero extremo non correspondet relatio eiusdem ordinis, seù entitatis, sicut *relatio potentiæ ad objectum, & scientiæ ad scibile.* Rursus: relatio mutua alia est *quiparantiæ*, quæ videlicet, est eiusdem denominationis in utroque extremo, sicut *relatio similitudinis* inter duo alba, utrumque denominat *simile est relatio æqualitatis* inter duo æqualia utrumque extremum *æquale* denominat. Alia verò est relatio *disquiparantiæ*, quæ diversam denominationem habet in utroque extremo, sicut relatio Domini, & Servi, vel Patris, & Filii, quæ diversam denominationem habent in utroque extremo.

Secundò autem modo sumitur divisio relationis prædicamentalis penes fundamenta relationum, quibus etiam correspondere debent diversi termini formales. Triplex autem fundamentum habet prædicta relatio, ut docet D. Th. q. 7. de Pot. art. 9. in corp. & 5. Metaph. lect. 17. *Quorum primum est, unitas, & numerus. Secundum est actio, & passio. Tertium est mensura, & mensurabile.* Et per hunc modum relatio prædicamentalis dividitur *in tria genera relationum.* Ex quibus relationes *primi generis* fundantur supra *unitatem, & numerum.* Per unitatem intelligitur convenientia, aut conformitas, per numerum disconvenientia, aut diversitas. Itaq; si convenientia fuerit in substantia, fundat relationem *identitatis*, nam eadem sunt, quorum substantia est una, accepta substantia pro essentia; si tantum in quantitate fundat relationem *æqualitatis*, nam æqualia sunt, quorum quantitas est una: si verò in qualitate fundat relationem *similitudinis*; similia enim sunt, quorum qualitas est una. Verum,

rum, ſi ſolùm fuerit unitas proportionis fundat relationem *numeri ad numerum*, ſicùt relatio, quâ numerus binarius refertur ad quaternarium, eſt relatio proportionis, nam ſicùt numerus quaternarius ſe habet ad quatuor unitates, ita numerus binarius ad duas unitates ſe habet, quod totum lect. cit. mirificè edidſerit Præcept. Ang.

Præoculis tamen habendum eſt, quod in *unitate* ſecundùm diverſas formalitates fundantur relationes diverſę ſicùt in albedine fundatur *ſimilitudinis* ad alterum album, & *diſſimilitudinis* ad nigrum; & in quantitate palmari fundatur relatio *æqualitatis* ad alteram quantitatem palmarem, & *inæqualitatis* ad majorem, vel minorem quantitatem: & ſimiliter in naturâ humana fundatur relatio *identitatis* comparativè ad Petrũ, & Paulum, & *diverſitatis* in ordine ad equum.

Relationes verò *ſecundi generis* fundantur ſupra potentiam activam, & paſſivam, aut ſuprà *actionem*, & *paſſionem*, ſicut relatio calefactivi ad calefactibile, fundatur ſuprâ potentiam activam, & paſſivam, nàm calefactivum eſt, quod poteſt calefacere, calefactibile verò, quod poteſt calefieri. Relatio verò calefacientis ad calefactum, fundatur ſuprà actûs prædictarum potentiarum. Similiter relatio Patris, & filii, ſuprà actionem, & paſſionem fundatur, nàm relatio Patris fundatur ſuprà generationem quæ actio eſt, relatio vero filii, ſuprà eſſe genitûm, quod paſſionem ſignificat. Probabiliùs tamen eſt, relationes ſecundi generis ſolùm ſuprà actionem, & paſſionem fundari, ut docet D. Th. 1. p. q. 28. art. 4. in corp. 4. contrà Gent. cap. 24. & in 3. diſt. 8. q. 1. art. 5. in corp.

Relationes autem *tertii generis*, fundantur ſuprà *menſuram*, & *menſurabile*, non quidem ſuprà menſuram pertinentem ad genus quantitatis; hæc enim potiùs eſt fundamentum relationum primi generis, videlicèt æqualitatis, aùt inæqualitatis, ſed ſuprà menſuram perfectionis eſſentialis, quale eſt ſpecificativum, à quo perfectio eſſentialis rei deſumitur: ſicùt relatio ſcientiæ ad ſcibile, ſenſus ad ſenſibile, vel relatio creaturę ad Creatorem. Ex quibus relatio menſurabilis eſt realis, quia ſcientia realiter menſuratur ab objecto, ſenſus realiter menſuratur à ſenſibili, & creatura realiter menſuratur à Deo. Ex parte tamen menſuræ non correſpon-

pondet altèra relatio realis, ſed ſola relatio rationis, objectum enim ad ſcientiam, & Deus ad Creaturam ſolùm dicunt relationem rationis, & rationem dedit D. Th. q. 7. de Pot. art. 10. & 1. p. q. 13. art. 7. in corp. quia quando extrema nõ ſunt unius ordinis, relatio in uno extremorum eſt res naturæ, & in altero, eſt res rationis tantum, & hoc modo (inquit S. Doct. ſenſus, & ſcientia referuntur ad ſènſibile, & ſcibile, quæ quidem, in quantum ſunt res quædam in eſſe naturali exiſtentes, ſunt extrà ordinem, ſenſibilis, & intelligibilis: ideò q̃ in ſcientia, & ſenſu eſt relatio realis, ſecundùm quod ordinatur ad ſciendum, vel ſentiendum res, ſed res ipſę in ſe conſideratæ ſunt extra ordinem hniuſmodi, undè in eis non eſt aliqua relatio realiter ad ſcientiam, & ſenſum, ſed ſecundùm rationẽ tantûm. Similitèr, Deus cum ſit extrà totum ordinem creaturę, & omnes creaturæ ordinentur ad ipſum, & non è converſo, manifeſtum eſt, quod creaturæ realitèr referuntur ad ipſum Deum, ſed in Deo non eſt aliqua realis relatio eius ad creaturas, ſed ſecundum rationem tantùm, in quantum creaturæ referuntur ad ipſum.

Quod autèm relatio prædicamentalis ſufficienter dividatur in hæc tria genera, ſicût genus in ſpecies, colligitur ex doctrina D. Th. 5. Metaph. lect. 17. & q. 7. de Pot. art. 9. ubi altiùs, quam alibi radices & fundamenta relationum diſcere poteteris. Tot enim ſunt fundamenta relationum, quot ſunt rationes ordinandi vnũ ad alterum; ſed rationes ordinandi unùm ad alterum ſunt tantùm tres: ergò tria tantûm ſunt relationum fundamenta. Mai. eſt D. Th. locis cit. min. verò prob. ratione ipſius S. Doct. omne, quòd ordinatur ad aliud, vel ordinatur ſecundùm convenientiam, aut diſconvenientiam, (quod Philoſ. vocat ſecundùm quantitatem) vel ſecundùm operationem, ſeù virtutem activam, & paſſivam, ſecundùm quod una res ab alia recipit, vel alteri confert aliquid; vel ſecundùm eſſe, proùt eſſe unius rei dependet ab alia. Si primum, eſt relatio primi generis, cujus fundamentum eſt *unitas, & numerus*: ſi ſecundùm relatio ſecundi generis, cujus fundamentum eſt *actio*, & *paſſio*: Et ſi tertium, eſt relatio tertij generis, cuius fundamentum eſt *menſura, & menſurabile*: Ergò tantùm ſunt

tres

tres rationes ordinandi unum ad alterum, ac subinde tria tantùm fundamenta.

Verùm animadvertere oportet relationes solum fundamentaliter, & causaliter distingui per diversa fundamenta, quatenùs unitas, vel distinctio fundamenti redundat in terminum relationis: formaliter verò solum per diversos terminos distinguuntur, quia relatio totum suum esse habet in ordine ad terminum & ab illo specificatur formaliter.

§. IV.

Proprietates relationis assignantur.

Prædicta relatio suas habet proprietates, quarum *prima est*, relationi *nihil esse contrarium*, nam ad formas contrarias datur per se motus, qui tamen non datur ad relationem. Ipsi tamen relationi ratione fundamenti aliquid est contrarium, & propterea relatio, quæ fundatur in albedine, ratione fundamenti contrariatur cum relatione in nigredine fundata, quia albedo, & nigredo, contrariè opponuntur, & mutuò se expellunt.

Secunda proprietas est, *relationem ratione sui non susci-* *cipere magis, & minus*, eo quod non habet contrarium, & suscipere magis, & minùs fit per admixtionem majorem, vel minorem formæ contrariæ. Dùm autem dicit Aristot. quod *æquale, & inæquale, magis, & minus dicitur*, intelligendus est de æquali secundum reputationem; reputatur enim æqualia non solùm, quæ nullo modo, se excedunt, sed quæ parùm quid excessus habent, & infra illam parvam latitudinem dicitur magis, vel minùs æquale: sicùt etiam virtus, quæ consistit in medio, si circà medium attingit, virtus nihilominùs dicitur. Potest tamen relatio ratione fundamenti suscipere magis, & minùs, quatenùs fundatur in albedine, aùt alia forma, quæ magis, & minùs suscipit. Hæ autem proprietates non sunt propriæ quarto modo respectu relationis, nam etiam substantiæ conveniunt: & hæc secunda convenit etiam quantitati.

Tertia proprietas est *relativa dici ad convertentiam*, quod quidem non est idem, ac mutuò se inferre, ut si dicatur: est servus: ergò Herus. Est Pater: ergò filius, &c. hoc enim aptiùs debet dici conversio, quæ est passio propositionum, & potiùs per-

tinet ad quartam proprietatem. Nec etiam eſt idem, ac terminos relativos eſſe convertibiles : convertibilitas enim eſt paſsio terminorum, quę conſiſtit in mutua eorum conſecutione. Sed relativum dici ad convertentiam, idem eſt, ac ipſum ita dici ad aliud quod convertat aliud ad dicendum ad ſe : *Sicut ſervus heri dicitur ſervus, & herus ſervi dicitur herus, Duplum dimidii, duplum, & dimidium, dupli dimidium dicitur.* Quæ proprietas etiam convenit relativis tranſcendentalibus: ſciẽtia enim dicitur ſcibilis ſcientia, & è contrà.

Quarta proprietas eſt, relativa prædicamentalia eſſe ſimùl natura, & cognitione. Quia illa ſunt ſimùl natura, quæ ſeſe mutuò inferunt, & tollunt per conſequentiam conditionalem, neutrum tamen eſt cauſa, vel effectus alterius. Relativa autem prædicamentalia, formaliter ut talia ſunt, mutuò ſe inferunt, & tollunt, & unum formaliter ut relativum, vel ut terminus relationis non eſt alterius cauſa, licèt res, quę denominatur relativa, ſit cauſa alterius rei, quæ correlativa dicitur. Quę quidem intelligentia eſt valdè conſona doctrinæ Ang. Præc. 1. p. q. 13. art. 7. ad 6. ubi ait: *Quod ad cognoſcendum utrum relativa ſint ſimul natura, vel non, non oportet conſiderare ordinem rerum de quibus relativa dicuntur, ſed ſignificationes ipſorum relativorum. Si enim unum in ſui intellectu claudat aliud, & è converſo, tunc ſunt ſimul natura. Sicut duplum, & dimidium, Pater, & filius.* Et cum aliundè unum relativum prædicamentale ſit in ordine ad aliud, & non poſsit ſine altero cognoſci, ſunt etiam ſimùl cognitione: quod etiam habẽt relativa tranſcendentalia. Sed eſſe ſimùl natura ſolis relativis prędicamentalibus convenit, & eſt proprium quarto modo.

§. V.

De conditionibus relationis prædicamentalis.

QUatuor quidem conditiones ad relationem prædicamentalem requiruntur, quarum *prima eſt*, quod ſubjectum ſit reale, & realitèr exiſtat, quia relatio cum ſit forma accidentalis realis non poteſt eſſe in ente rationis, nec in ente poſsibili, ſed tantùm poteſt recipi in ente realiter exiſtente.

Secundò requiritur, fundamentum eſſe reale, quia relatio prædicta di-

manat à fundamento per naturalem reſultantiam, & à fundamento rationis accidens reale dimanare non poteſt.

Tertiò requiritur, terminum eſſe realem & realiter exiſtentem, quia inter ſubjectum, & terminum datur oppoſitio realis relativa, quæ neceſſariò debet eſſe inter extrema realia: & inſuper mutuò ſe inferunt: ergò cum ſubjectum relativum exiſtat à parte rei, etiam terminus realiter exiſtere debet, aliàs non mutuò ſe inferent, nec erunt ſimùl natura. Et hoc utique conſtat ex eo, quod in uno, & in eodem albo darentur infinitę relationes ad infinita alba poſsibilia, ſi exiſtentia realis termini neceſſaria non eſſet.

Quartò, requiritur, rationem fundandi debere eſſe in utroque extremo diſtinctam realiter, qua ratione 1. p. q. 42. art. 1. ad 4. negat Ang. Doct. relationem realem ſimilitudinis, & æqualitatis inter Divinas Perſonas, quia fundamentũ eſt idem in tribus Perſonis, ſcilicet Divina eſſentia, ratione cujus aſsimilantur. Et inſuper, quia nihil eſt realiter ſibi ſimile, nec realiter convenit cum ſeipſo: Et conſequenter albedo, quæ fundat relationem ſimilitudinis, non eſt eadem realiter, cum albedine, quæ in termino reperitur. Quod utique in relatione diſsimilitudinis magis urget.

Si autem quęras, quid ſit ſubjectum, fundamentum, & terminus relationis? Dicimus, ſubiectum eſſe id, in quo eſt relatio, fundamentùm verò, id, quod eſt ratio reſpiciendi: terminum autem id, quod reſpicitur. Adeſt exemplum in relatione Paternitatis, in qua homo, qui filium genuit, eſt ſubjectum, filius genitus, eſt terminus: generatio verò eſt fundamentum. Et quia inter ſubiectum, & terminum eſt relatio, idcircò ſubjectum, & terminus extrema relationis dicuntur.

§. VI.

Corollaria ex dictis.

EX dictis colligitur, relationem individuari à ſubjecto, ſicut & cætera accidentia à ſubiecto individuantur, ut communiter docent Thomiſtæ. Quarè relatio albi, quæ reperitur in Petro, numericè diſtincta eſt ab ea, quæ in altero homine reperitur. De quo videatur Angelic. Pręc. 3. p. q. 35. a. 5. ubi docet, unde ſumatur unitas, vel

vel pluralitas relationis.

Secundò colligitur, unam relationem prædicamentalem, non posse suprà alterã fundari, quia fundamentũ reale habèt aliquam efficientiam in formã fundatam, quam efficientiam nequit habere relatio, quia est minimæ entitatis, & ens purè respectivum, ut docet D. Th. 3. Physic. lect. 1. per hæc verba: *Cum relatio habeat debilissimum esse, quia consistit tantum in hoc, quod est ad aliud se habere, oportet, quod super aliquod aliud accidens fundetur.* Quod utiqúe confirmamus ex eo, quod si ita contingeret, darentur infinitæ relationes, nàm ad unam relationem Paternitatis, resultaret relatio similitudinis ad alteram relationem Paternitatis, & ad istam altera, usque in infinitum, & ideò relationes infinitæ darentur.

ARTICULUS II.

Utrum relatio prædicamentalis realitèr à fundamento distinguatur?

§. I.

Quibusdam suppositis, statuitur affirmativa Conclusio.

IN præsenti Sermo non est de distinctione reali entitativa relationis à fundamento, qua differant tanquam res à re determinatè, vel tanquam modus, & res: hæc enim quæstio est pure de nomine, nec tollit intentum nostrum, qui in presenti solum intendimus, an realitèr distinguantur, sivè sit illa distinctio inter utrumque, tanquam res à re, vel tanquam modus, & res, Pro quo

Primò supponendum est fundamentum relationis aliquando distingui à subjecto relationis, sicut fundamentum relationis similitudinis inter duos homines albos, est albedo, quæ tamen realitèr entitative distinguitur ab ipsis hominibus, qui sunt relationis subiecta. Aliquando verò fundamentum non distinguitur à subiecto, sicut patet in relatione identitatis formalis inter duos homines reperta, quę fundatur in convenientia specifica utriusque & hæc convenientia non est distincta ab eorum substantia, quæ est subiectum relationis.

Secundò notandum est, quod quando fundamentum distinguitur entitativè à subjecto relationis, etiam ipsa relatio realiter ab eodem subjecto distinguitur. Difficultas

tamen eſt, an relatio diſtinguatur realiter à fundamento, ſive fundamentum ſit diſtinctum à ſubiecto, ſive ſit idem cum ſubiecto relationis.

In qua parte non modicum diſidium eſt inter Authores. Quidam enim exiſtimant relationem prędicamentalem, quę fundatur in ſubſtantia, realiter diſtingui à ſuo fundamento, ſecùs verò ſentiunt de relatione, quæ in quantitate, vel qualitate fundatur. Aliqui autem aſſerunt, relationem realiter diſtingui à fundamento remoto, non tamen à fundamento proximo. Alij vero, omnes relationes prædicamentales abſque ulla diſtinctione, realiter cum ſuo fundamento identificant.

§. II.

Noſtra Concluſio.

Relatio prædicamentalis realiter à fundamento diſtinguitur.

CConcluſionem iſtam docet Præcept. Ang. 4. contragen. cap. 14. in reſp. ad 7. rationem, ubi ſic ait: *In rebus creatis comparatur relatio ad abſolutum, ſicut accidens ad ſubiectum, non autem in Deo ſic, ſed per modum identitatis*, & in reſp. ad 9. inquit: quod *in nobis relationes habent eſſe dependens, quia earum eſſe eſt aliud ab eſſe ſubſtantiæ, unde habent proprium modum eſſendi ſecundum propriam rationem, ſicut & in alijs accidentibus contingit.* Idem aſſerit D. S. q.8. de Potent. art. 2. ad 1. per hęc verba: *nulla ſubſtantia, quæ eſt in genere, poteſt eſſe relatio, quia eſt diffinita ad unum genus, & per conſequens excluditur ab alio genere. Sed eſſentia divina non eſt in genere ſubſtantiæ, ſed eſt ſupra omne genus, comprehendens in ſe omnium generum perfectiones. Unde nihil prohibet id, quod eſt relationis in ea inveniri.* Quę omnia efficaciter ſuadent nullã ſubſtantiam creatam poſſe identificare ſibi relationem. Sed nè videatur Præc. Ang. ſolùm loqui de relatione, quę fundatur in ſubſtantia, non tamen de quacumque relatione; auſcultate verba ipſius 1.p. q.28.ar. 2.ad 2.quæ talia ſunt: *ſicut in rebus creatis, in illis quod dicitur relativè, non ſolum eſt invenire reſpectum ad alterum, ſed etiam aliquid abſolutum, ità eſt in Deo, ſed tamen aliter, & aliter. Nam id, quod invenitur in creatura præter id quod continetur ſub ſignificatione nominis relativi, eſt alia res. In*

Deo

Deo autem non est alia res, sed una, & eadem. Sed quod invenitur in creatura præter id, quod continetur sub significatione nominis relativi, est fundamentum tàm proximum, quam remotum, præscindens à substantia, quantitate, & qualitate: & aliundè sicut substantia est diffinita ad unũ genus, ita & quantitas, & qualitas: ergò omne fundamentum creatum realitèr à relatione distinguitur, & è contra.

Respondent contrarij: in his, & alijs locis docere D. Th. relationem esse accidens, & inhærere subiecto, & distingui realitèr à substantia, & ità relationes, quæ fundantur immediatè in substantia, realitèr à fundamento distingui; non tamen loqui D. Th. de relationibus, quæ immediatè in aliquo accidenti fundantur: nec de his docere realiter à fundamento immediato distingui, quamvis omnes realiter distinguantur à substantia.

Sed contrà est: nàm dum docet D. Th. relationem à fundamento realitèr distingui, constituit discrimen inter relationes creatas, & divinas: ergò loquitur de omni relatione creata, sivè fundetur in substantia, sive in alio realitèr à substantia distincto. Et rursus: quodcumque fundamentum est aliquid non contentum sub significatione nominis relativi; hoc ipso est alia res à relatione distincta, ut docet D. Th. ergò omne fundamentum est alia res à relatione distincta.

Probatur conclusio nostra ratione: implicat eandem entitatem habere totum suum esse in ordine ad terminum, & illud non habere, nàm habere totum suum esse in ordine ad terminum, & non habere illud, opponuntur contradictoriè; sed relatio habet totum suum esse in ordine ad terminum, quod tamen non habet fundamentum relationis: ergò relatio, & fundamentum realitèr distinguuntur. Ex qua ratione colligimus, vel funditus, everterendam esse diffinitionem ab Aristotele traditam, scilicet; quod relatio prædicamentalis *sit forma accidentalis realis, cuius totum suum esse est in ordine ad terminum*; vel asserendum ab Adversarijs, relationem esse purum connotatum extrinsecum, aut merum ens rationis, quod etiam ipsi Authores Societatis negant adversus eos, quos *Connotatores* appellant: aut nobiscum fatendum, relationem non identificari realitèr cum fundamento. Non enim est intelligibile quonam pacto entitas

fundamenti habeat totum ſuũ eſſe in ordine ad aliud, ac proinde entitas relationis, quæ tota ſita eſt in ordine ad aliud, entitas fundamenti eſſe nequit, ſed alia alterius ordinis, quę ſi ſit realis, ut Adverſarij fatentur, realitèr quoque à fundamento diſtinguitur.

Reſpondent contrarij: eandem entitatem fundamenti poſſe habere, & non habere totum ſuum eſſe in ordine ad terminum ſecundum formalitates diverſas abſoluti, ſcilicet, & reſpectivi.

Contrà tamen eſt: quia entitas relationis ſecundùm nullam formalitatem poteſt non eſſe ad terminum: ergò nulla eſt ſolutio. Prob. ant. habere totum eſſe in ordine ad terminum, eſt totam entitatem adæquatè ſumptam, & ſecundùm omnem formalitatem eſſe in ordine ad terminum, eo quod, ſi ſecundum aliquam formalitatem ad terminum non eſt, non habebit totum eſſe in ordine ad illum: ergò entitas relationis ſecundùm nullam formalitatem poteſt non eſſe ad terminum.

Secundò probatur concluſio noſtra ratione: quæ realitèr ſeparantur, realitèr diſtinguuntur; ſed fundamentum, & relatio, realitèr ſeparantur: ergò realitèr diſtinguuntur. Prob. min. deſtructo termino non manet relatio, quę totum ſuum eſſe habet in ordine ad terminum; ſed deſtructo termino poteſt fundamentum manere, ſiquidem deſtructo uno albo terminante relationem, poteſt aliud album manere, cuius albedo eſt fundamentum relationis: ergò fundamentum, & relatio realitèr ſeparantur.

Reſpondent contrarij: deſtructo termino, non manere relationem, quantùm ad denominationem ſecundariam referentis, manere tamen quantum ad entitatem, & primariam denominationem ipſius.

Sed contrà eſt: quia deſtructa eſſentia relationis, non manet relationis entitas; ſed deſtructo termino, non manet relationis eſſentia, ſiquidem non manet *ad aliud*, in quo relationis eſſentia conſiſtit: ergò deſtructo termino, non manet entitas relationis. Prætereà: deficiente denominatione primaria, non manet entitas relationis; ſed deficiẽtè termino deficit primaria denominatio relationis, ſcilicet denominatio referentis, nam termino deſtructo, relatio

tio non refert subiectum ad terminum : ergò non manet entitas relationis. Alioquin, dicant Adversarij, quid sibi volunt, dùm asseruut, destructo termino, non manere relationem quantùm ad denominationem referentis? Nàm denominatio referentis, vel est aliquid reale, vel non? si aliquid reale : ergò relatio reipsa à fundamento separabilis est, & consequenter reipsa ab eo distincta, nàm quæ realiter separantur, realiter distinguuntur. Si non; ergò non consistit relatio in aliquo reali intrinseco, cum deficere possit, nulla realitate deficiente, & ità solùm erit ens rationis, vel denominatio extrinsecus affixa, quod ipsi negant, & nos etiam cum D. Th. art. 1. §. 1. impugnavimus adversus Stoicos, Nominales, & Gilbertum Porretanum.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntrà conclusionem nostram arguitur primò: ex D. Th. 5. Physic. lect. 3. ubi de se ipso dicit: *nihil advenit mihi de novo per hoc, quod incipio esse alteri æqualis per eius mutationem.* & 3. p. q. 16. ar. 6. ad 2. ait: *ea, quæ relative dicuntur, possunt de novo prædicari de aliquo absque eius mutatione : sicut homo de novo fit dexter absque sui mutatione per motum illius, qui fit ei sinister*: ergò relatio non est distincta realiter ab ipsius fundamento, aliàs per adventum relationis subiectum mutaretur, quod negat Ang. Doct.

Resp. explicando D. Th. Nihil mihi advenit de novo &c. *per modum respectus*, neg. ant. *per modum physicæ mutationis*, subdist. si sermo sit de relatione æqualitatis *secundum conceptum ad*, conc. ant. *secundum quod est accidens*, neg. ant. & conseq. & eadem solutio aptari potest secundæ Authoritati D. Th. Relatio namque secundùm expressum ad, non inhæret subiecto, nec ipsum propriè, & physicè mutat, quia secundùm expressum ad, non facit compositionem cum subiecto, nec ad ipsum comparatur, nec illi inhæret, sed solùm comparatur ad terminùm : sicut actio ex modo significandi, & secundùm conceptum ab, nullam mutationem physicam inducit. Non tamen negat D. Th. relationem entitativè, & quatenùs accidens est, mutare subiectum. Et hæc quidem expositio consonat cum doctrina Ang. Præcept. q. 7. de Potent. art. 9. ad 7. ubi dicit:

quod ipsa relatio, quæ nihil aliud est, quam ordo unius creaturæ ad aliam, aliud habet in quantum est accidens, & aliud in quantum est relatio, vel ordo. In quantum enim accidens est, habet quod sit in subiecto, non autem in quantum est relatio, vel ordo, sed solum, quod ad aliud sit, quasi in aliud transiens, & quodam rei relatæ assistens. Et ita relatio est aliquid inhærens, licet non ex hoc ipso, quod est relatio.... Et ideo nihil prohibet, quod esse desinat huiusmodi accidens sine mutatione eius in quo est. Quia sua ratio non perficitur prout est in ipso subiecto, sed prout transit ad aliud, quo sublato ratio huiusmodi accidens tollitur quidem quantum ad actum, sed manet quantum ad causam, sicut & subtracta materia tollitur calefactio, licet maneat calefactionis causa. Hactenùs D. Th. qui suismet verbis clarissimè solutionem nostram expendit.

Secundò arguitur: si relatio esset realiter à fundamento distincta, darentur in eodem subiecto infinitæ ferè relationes; hoc non est dicendum: ergò nec quod relatio realiter à fundamento distinguatur. Prob. mai. si relatio esse realiter a fundamento distincta, quavis musca denuò producta, vel se movente, statim resultarent mutationes innumeræ in toto universo: ergò in eodem subjecto darentur ferè infinitę relationes. Prob. ant. Quavis musca denuò producta, statim in omnibus entibus universi producì debent novi modi relationum ad muscam, videlicet *coexistentiæ, distantiæ, similitudinis, inæqualitatis &c.* qui omnes modi repentè perire debent, musca pereunte, cum nequeant sine termino conservari: ergò in toto universo resultarent mutationes innumerę, quod quidem absurdum, & per se dissonùm apparet.

Confirmatur ex doctrina P. Lossada: si relatio realiter à fundamento distinguitur, & ab ipso dimanat, posito fundamento, poterit resultantia relationis à Deo impediri, quia si ità est, relatio erit effectus secundarius actionis producentis fundamentum, & posito effectu primario, potest secundarius impediri; sed hoc nequit dici: ergò idem quod prius. Prob. min. existente albedine in Petro, & Paulo, implicat utrumque non esse similem; sed hoc solùm habere possunt per ipsam relationem: ergo posito fundamento, resultantia relationis non potest à Deo impediri. Prob. maj. ex Arist. c. de Qualit. ubi ait: *quod si-*

similes, & dissimilia, per solas dicuntur qualitates; simile enim alteram alteri non est secundum aliud, nisi secundum illud quod quale est; sed albedo, quæ existit in Petro, & Paulo, est qualitas: ergò existente albedine in Petro, & Paulo, implicat utrumque non esse simile.

Hoc argumentum, quod jam pridem objecerat Sap. M. Soto, & cum eo communiter Nostrates, præcipuum est fundamentum, cui innititur P. Lossada, ad reijciendam sententiam nostram, quam ipse charam Thomistis, & Scotistis appellat. Ad ipsam tamen resp. neg. mai. & ad prob. neg. utrumque ant. Per eandem enim relationem, per quam respiciuntur aliæ muscæ præexistentes, respicitur etiam illa nova musca, nàm pro omnibus terrenis eiusdem rationis, solùm datur unica relatio. Et hoc ideò est, quia unitas, vel pluralitas relationis, non attenditur secundùm terminos, sed secundùm causam, vel subiectum: si enim secundùm terminos attenderetur, quilibet homo in se duas filiationes haberet, unam qua refertur ad Patrem, & aliam, qua refertur ad matrem. Sed rectè consideranti (ut docet D. Th. 3. p. q. 35. a. 5. in corp.) apparet eadem relatione referri unumquemque ad suum Patrem, & Matrem propter unitatem causæ, eadem enim nativitate homo nascitur ex Patre, & Matre, undè eadem relatione ad utrumque refertur. Et eadem ratio est (subdit D. Th.) de Magistro, qui docet multos discipulos eadē doctrina; & de Domino, qui gubernat diversos subiectos eadem potestate; & de Patre, qui genuit plures filios generatione naturali. Cumque in musca denuò producta non detur diversa causa referēdi, nullatenùs sequitur, quod in toto universo, vel in qualibet parte eius dentur innumeræ relationes, vel infinitę ferè mutationes. Et hoc asserere, non absurdum, nec disonum, sed potius doctrinę D. Th. valdè consonum apparet.

Ad confirm. resp. neg. min. & ad prob. dist. mai. non esse similem *causaliter, seu fundamentaliter*, transeat mai. *formaliter*, neg. mai. & dist. min. hoc, *scilicet esse similem formaliter solùm possunt habere &c.* concessa min. *causaliter, seu fundamentaliter*, neg. min. & conf. Posito enim fundamēto, Deus potest impedire resultantiam relationis, sed tunc casus Petrus, & Paulus solùm essent fundamentaliter similes, & nō formaliter, quia relatio deficeret: & in hoc sensu intelligendus est Arist. dum ait, quod *similia, & dissimilia per solas qualitates dicuntur.*

Inst-

Inſtabis: pro priori ad reſultantiam relationis ſuperadditę, vel relatione deficiente, quælibet albedo eſt alteri ſimilis in virtute producendi relationem ipſam, quia in tali virtute conveniunt, cum ad utramque poſsit reſultare relatio; ſed ſimilitudo prædicta non habetur per relationem, quam præcedit, vel ſubſequitur: ergò per aliam ab ipſa albedine non diſtinctam.

Urgetur ex doctrina P. Loſſada: impedita divinitùs reſultantia modi relativi, duo alba forent ſimilia in non habendo modum relativum; ſed hæc ſimilitudo non eſſet fundamentalis, ſed formalis: ergò ſtat ſimilitudo formalis ſine modo relativo ſuperaddito. Prob. min. ſimilitudo fundamẽtalis poteſt fieri formalis per adventum relationis ſuperadditæ; ſed prædicta ſimilitudo, quam haberent duo alba in non habendo modum relativum, non poteſt fieri formalis per ſuperadditam relationem, ſiquidem adveniente relatione, non carerent relatione ſuperaddita, in qua antea erant ſimiles: ergò ſimilitudo ſupradicta non eſſet fundamentalis, ſed formalis.

Ad inſtantiam reſp. virtutem productivam relationis eſſe ipſam entitatem albedinis, & ità ſicut per ſuas entitates tantùm fundamentalitèr ſunt ſimiles duę albedines, ità fundamentalitèr tantùm aſsimilantur in virtute producendi relationem.

Ad id, quo urgetur, reſp. neg. min. Quia negatio relationis ſuperadditæ nequit eſſe cauſa, & fundamentum relationis realis, quæ in negatione fundari non poteſt, & idcircò albedines, divinitus deſtitutæ relatione, ſolùm eſſent ſimiles fundamentalitèr per ordinem ad ſimilitudinem formalem, quàm intellectus fingere poteſt inter negationes illas apprehenſas ad modum entis, non tamen eſſent ſimiles fundamentalitèr comparativè ad ſimilitudinem formalem à parte rei exiſtentem, quę eſt relatio realis, & non poteſt fundari in carentia ſui ipſius: ideòque prædictę albedines â parte rei non eſſent formalitèr diſimiles, ſed ſimiles negativè, aut non diſimiles in carentia ſuperadditæ relationis.

Tertiò arguitur: Si Petrus ſit albus, & de novo producatur alterum album, Petrus importabit relationem ad ipſum; ſed hęc relatio non producitur de novo, ſed eſt ipſa tantum albedo Petri, ut connotat extrinſecum terminum: ergò relatio non eſt realiter à fundamento diſtincta.

Prob.

Prob. min. Nulla datur causa de novo productiva relationis; ergò relatio supradicta non producitur de novo, sed est ipsa albedo Petri, ut connotat extrinsecum terminum, aut album de novo factum. Prob. ant. Causa, quę produxit fundamentum, multoties jàm non existit; aliundè alia causa assignari non potest: ergò nulla datur causa de novo productiva relationis prædictæ.

Confirmatur: relatio prædicamentalis diversitatis inter hominem, & equum, est formaliter eorum distinctio; sed distinctio illorum nihil importat prętèr entitates ipsorum, quæ se ipsis distinguuntur: ergò relatio prædicta non distinguitur à fundamento, aut eorum entitate.

Resp. ad arg. neg. min. ad cuius prob. neg. ant. & ad eius prob. dist. mai. non existit *formaliter*, conc. mai. *virtualiter*, neg. mai. & conc. min. neg. conseq. Quia licet causa productiva fundamenti plerumque non existat formaliter, virtualiter tamen existit in effectu producto, videlicet in albedine, quod satis est, ut de novo possit resultare relatio: sicut motus lapidis semper tribuitur generanti, quod licet aliquando non existat formalitèr quando producitur motus, semper tamen in lapide virtualiter existit. Nec mirum esse debet, entitatem realem relationis ita fœcunde, ac facile ex fundamentis resultare, cum videamus entia longè perfectiora ex alijs resultare non minori fœcunditate: propriæ namque passiones resultant ad productionem substantiæ, vel essentiæ; sonus ex pulsato aere: & ex modica candela, seu lucerna lucente, magna lucis, & illuminationis copia satis latè diffunditur.

Instabis: ex fundamento nequit resultare relatio: ergò nulla est data solutio. Prob. ant. Posita causa, statim ponitur effectus; sed posito fundamento, non statim ponitur relatio: ergò quia relatio nequit ex fundamento resultare.

Resp. neg. ant. & ad probat. dist. mai. posita causa, *& alijs conditionibus*, conc. mai. *illis deficientibus*, neg. mai. & dist. min. fundamento *solo*, conc. min. fundamento *simul, & termino*, neg. min. & conseq. fundamentum namque solùm est causa relationis, terminus verò est conditio sine qua non potest resultare relatio. Et hoc ideò est, quia *fieri* ordinatur ad *esse*, undè si relatio in *esse* dependet à termino, etiam dependebit *in*

fie

fieri. Relationem autem dependere *in esse* à termino, clarissimè docet D. Th. tùm loco citato in resp. ad 1. argumentum, cum 4. contra gent. cap. 14. ubi statuens discrimen inter relationem creatam, & divinam, de relatione creata ait: *propria relationis ratio, consistit in eo, quod est ad alterum: unde esse eius proprium, quod substantiæ superadditur, non solum dependet ab esse substantiæ, sed etiam ab esse alicuius exterioris.*

Ad confirmationem resp. neg. mai. Nam homo, & equus formaliter distinguuntur per formas diversæ rationis, referuntur autem formaliter per relationem accidentalem superadditam: & ideò distinctio illorum formalis, non est formaliter relatio diversitatis, sed solùm fundamentum illius.

Instabis: juxtà datam solutionem utraque forma hominis, videlicet, & equi, est diversa formaliter à relatione diversitatis, quam fundat; sed non per aliam relationem diversitatis, aliàs ab hac differret per alteram, & idem de alijs, & sic usque in infinitum; ergò utraque forma per se ipsam, & non per aliud distinguitur à relatione diversitatis, quam fundat, ac proindè, cum hæc diversitas formalis sit relatio prædicamentalis, utraque forma per se ipsam erit relatio, aut à relatione indistincta.

Resp. dist. mai. diversa formaliter, *absolute, & negative*, conc. mai. *relative*, neg. mai. & suppositum min. utraque namque forma hominis scilicet, & equi, solum est distincta à relatione diversitatis, quam fundat formaliter absolutè, quatenùs differentia utriusque formę, non est differentia relationis fundatę, quæ quia modo non est, solùm negativè distinguitur: non tamen utraque forma est diversa à relatione diversitatis formaliter relativè, hoc enim solum haberi potest per superadditam relationem. Et instantia est in Deo, qui estó realiter distinguatur à creaturis, non tamen refertur ad illas relatione reali diversitatis: pariter ergo, licet homo, & equus realiter distinguantur penès formas diversæ rationis; hæc distinctio realis non erit formaliter relatio realis diversitatis.

Dices: ergò superadditа relatione diversitatis uniùs formæ ad alteram formam, altera etiam debet resultare relatio diversitatis ad primam relationem. Patet conseq. Quia utraque forma nedum adinvicem, verùm

etiam

etiam â prima relatione diversitatis formalitèr diversa est, posito, autem fundamento, â termino statim debet resultare relatio, ut suprà diximus.

Resp. neg. conseq. Quia per eandem relationem diversitatis, qua utraque forma refertur adinvicem refertur etiam ex consequenti ad ipsam relationem diversitatis, consideratam ut quod, & ut diversam ab utraque forma, nàm per eandem relationem diversitatis refertur subiectum ad omnia diversa essentialitèr ab ipso: sicut per eandem relationem convenientię formalis refertur subiectum ad omnia formalitèr convenientia.

Quàrtò arguitur: duæ quantitates æquales eandem habent æqualitatem, quamvis non resultet relatio: ergò per se ipsas referuntur relatione æqualitatis absque alia superaddita distincta, & de uno resultante. Prob. ant. duæ quantitates æquales, quâvis non resultet relatio, eandem semper extensionem habent: ergò & habent eandem æqualitatem.

Confirmatur: duæ relationes Paternitatis sunt similes formaliter per se ipsas, secluſa altera relatione superaddita: ergò etiam duæ albedines, & consequentèr non dabitur relatio superaddita, per quàm duæ albedines formalitèr sint similes, & adinvicem referantur. Prob. ant. si duæ relationes Paternitatis essent similes per superadditam relationem, illa relatio superaddita esset similis alteri per alteram novam, & hęc per aliam, & sic usque in infinitum: hoc non est dicendum: ergò duæ relationes Paternitatis sunt similes formalitèr per se ipsas absque altera relatione superaddita.

Resp. ad argumentum dist. ant. æqualitatem *fundamentaliter*, conc. ant. *formaliter*, neg. ant. & conseq. Quia duæ quantitates, bicúbitę v. g. independentèr à superaddita relatione, solùm sunt æquales fundamentalitèr, quatenùs eandem extensionem habent; non tamen formalitèr, nàm æqualitas formalis est effectus relationis: & in hoc sensu intelligendi sunt Div. Thom. & Philos. dùm asserunt, quod *æqualia sunt, quorum quantitas est una*, ibi enim explicant æqualitatem per fundamentum ex quo resultat, non verò per formam, in qua consistit.

Ad

Ad confirmationem reſp. conceſſo ant. neg. conſeq. Nàm ut inquit D. Th. q. 7. de Potentia art. 9. ad 2. ſimile argumentum ſolvens, *relationes ipſæ non referuntur ad aliud per aliam relationem, ſed per ſe ipſas quia eſſentialiter relationes ſunt. Non eſt autem ſimile de his, quæ habent ſubſtantiam abſolutam, undé non ſequitur proceſſus in infinitum.* Quarè, ſicut exiſtentia eſt ratio formalis, ut ſubiectum exiſtat, & per ſe ipſam exiſtit, ità relatio eſt ratio formalis referendi unum ad aliud, & per ſe ipſam etiam refertur ad aliam ſimilem relationem: unius enim rationis formalis non datur alia, iuxtà commùne proverbium.

Inſtabis: ſi ſemel alia ſunt ſimilia per ſuperadditam relationem, etiam duæ relationes Paternitatis: ergò nulla eſt ſolutio. Prob. ant. Relatio Paternitatis non eſt ratio formalis aſsimilandi unum alteri, ſed ſolùm referendi Patrem ad filium: ergò ex hoc capite non eſt ſimilis per ſe ipſam alteri relationi Paternitatis, ſed hoc debet habere ab altera relatione ſuperaddita, ſi alia ſimilia ſunt per ſuperadditam relationem, nàm una ratio formalis benè poteſt accipere ab alia effectum, quem ipſa ſubiecto non præſtat.

Reſp. neg.ant.& ad probationem diſt. ant. non eſt ratio formalis aſsimilandi *per ſe primò*, conc. ant. *ſecundariò, & ex conſequenti*, neg. ant. & conſeq. Licet namque relatio Paternitatis non ſit ratio formalis aſsimilandi Patrem filio, ſed ſolum formalitèr referendi unum ad aliud per ſe primò; ex conſequenti tamen eſt ratio formalis aſsimilandi unum alteri, & diverſificandi unum ab alio: quia ad eſſentiam Metaphyſicam rei conſequitur unitas, & convenientia cum aliquibus, & diſtinctio ipſius ab alijs: ideòque ad eſſentiam Paternitatis, quæ eſt reſpectus ad filium, conſequitur ſimilitudo, & diverſitas: quapropter relatio prædicta per ſe primò eſt ratio referendi Patrem ad filiũ, & ex conſequenti ratio aſsimilandi ad alteram relationem Paternitatis, & diverſificandi à relatione filiationis. Nec inconveniens eſt, unam formam non præſtare alicui ſubiecto unam denominationem, quam alteri præſtat, & maximè ſi utraque denominatio ſit eiuſdem generis relativi, qualiter in præſenti contingit.

Quintò argùitur: eo relatio eſſet realiter â fundamento diſtincta, quia poteſt deficere denominatio relati, quin deficiat fundamentum; ſed

hoc

hoc non probat distinctionem realem fundamenti à relatione: ergò relatio non distinguitur realiter à fundamento. Prob. min. Potest deficere denominatio relati, & perseverare relatio: ergò ex quo deficiat denominatio relati, perseverante fundamento, non infertur inter utrumque distinctio. Prob. ant. quando materia separatur à forma, deficit denominatio uniti; & tamen non deficit entitas, à qua provenit prædicta denominatio, in sentētia asserente, unionem inter materiam, & formam non esse realiter ab utraque distinctam: ergò poterit etiam deficere denominatio relati, & perseverare relatio, à qua provenit prædicta denominatio. Hoc etiam suadent altera exempla, quia potest in Patre deficere denominatio relati ad secūdū filiū, & perseverare relatio: & in albedine potest deficere denominatio fundantis relationem, albedine perseverante: & quando intellectus obliviscitur alicuius conclusionis Logicæ, non denominatur habitus extensus ad conclusionem prædictam, & tamen habitus manet.

Resp. neg. ultim. cons. quia denominatio uniti inter materiam, & formam est denominatio secundaria, nàm denominatio primaria in materia, est denominatio puræ potentiæ, & in forma denominatio actus primi; & potest benè deficere secundaria denominatio, perseverante entitate denominatio verò relati, est denominatio primaria, eo quod relationi, ut distinctę formaliter ab omni prędicato absoluto, nulla alia denominatio prętер istam potest per se primò convenire, & ideò non potest deficere denominatio hęc, & perseverare relatio. Hoc idem de alijs exemplis dicimus, nàm denominatio relati ad secundum filium, etiam secundaria est, terminata ad terminum materialem, terminus enim formalis solùm est filius secundùm rationem filij: similitèr effectus primarius albedinis, est facere album, fundare verò relationem, est denominatio secundaria: denominatio etiā extensi in habitu Logicæ, vel in alio, ad veritatem determinatam præter primam, est denominatio secundaria, & in ordine ad obiectum materiale, quare non parificant cū relatione.

Instabis: potest in aliqua forma dari duplex denominatio primaria, & una deficiente, altera perseverare cum entitate formæ; ut constat, si Deus assumeret naturam irratio-

tionalem, quam quidem ſubſtantia divina denominaret ſubſiſtentem, & non perſonatam, quamvis perſonam denominare ſit in ſubſiſtētia divina primaria denominatio; & defacto naturam humanam denominat perſonaram, non tamen relatam, licet hoc etiam ſit primaria denominatio divinæ ſubſiſtētiæ: ergò paritèr poterit in eadem albedine dùplex denominatio primaria reperiri, altera facientis album, & altera referentis, & hæc ſecunda deficere perſeverante entitate.

Reſp. neg. conſeq. quia illud primum eſt verum, quādo in ſubiecto non invenitur capacitas ad utramque denominationem, qualitèr natura humana eſt incapax, ut denominetur relata, & natura irrationalis, ut denominetur perſona: cæterùm ſubiectum eſt capax, ut denominetur relatum, & ideó, ſi hæc denominatio primaria eſt, illa deficiente, ſignum eſt entitatē deficere.

§. IV.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in articuli diſcurſu colligitur, quod, licet quandoque fundamentum, & relatio mutuò ſeparari non poſsint, nullatenùs ſequitur, non dari diſtinctionem realem inter relationem, & fundamentum, nàm materia in ſententia D. Th. non poteſt ſeparari ab omni forma, & tamen realiter diſtinguitur à forma: quantitas terminata non poteſt ſeparari ab omni figura, & tamen figura, ut fatentur Adverſarij, eſt accidens realitèr diſtinctum à quantitate.

Secundò colligitur, relationem habere diſtinctum *eſſe* ab eſſe ſubſtantię, & ipſius fundamenti, nàm ut docet D. Th. 3. p. q. 17. art. 2. in corp. unum accidens habet diverſum eſſe, nedùm à ſubſtantia, ſed etiam ab alijs accidentibus, aliud enim eſt eſſe, quo ſortes eſt albus, & quo ſortes eſt muſicus. Inſuper etiam, eſſe ſubſtantiæ, eſt eſſe per ſe, & eſſe cuiùſcumque accidentis, eſt ſpecialis inhærentia, vel ſpeciale eſſe in alio: ergó relatio habet eſſe ſpeciale, cum importet eſſe in alio, & etiam ſpecialem inhærentiam.

)(o)(

ART. III.

Utrum omnis relatio terminetur formaliter ad relativum?

§. I.

Quibusdam suppositis statuitur nostra conclusio.

CUm constat ex præcedentibus, relationi mutuæ correspondere ex parte termini alteram relationem ejusdem ordinis, seu entitatis, & relationi non mutuæ aliam non correspondere, non modicum dissidium est inter Authores, circa assignandum terminum utriusque relationis, & quidem, tanquàm certum in præsenti supponimus, omnem relationem terminari ad aliquid absolutum, si sermo sit de termino relationis denominativè accepto. Pater enim non respicit filiationem pro termino denominato, sed substantiãà se genitã, & unus homo non est similis relationi, quæ est in altero, sed ipsi individuo hominis, qui est Petrus, & Paulus. Verùm si sermo sit de ratione formali, a qua res aliqua denominatur esse terminus relationis, de qua solùm loquimur in præsenti, difficultas insurgit; an omnis relatio, tàm mutua, quàm non mutua tendat ad terminum sub ratione alicuius absoluti, vel ratione alicuius relativi.

In qua parte, aliqui asserunt, omnes relationes, sive mutuas, sive non mutuas, terminari ad aliquid absolutum sub ratione talis: ità Scotus cum discipulis suis, & Suarez, & Vazquez cum sodalibus suis. Alij verò censent, relationes non mutuas terminari ad absolutum; mutuas verò terminari ad relativum: ità Collegium Sto. Thomæ Complutensis cum alijs. Alij verò tuentur omnes relationes, sive mutuas, sive non mutuas terminari ad aliquid relativum, sub ratione talis, cum hoc tamen discrimine, quod relationes mutuæ terminãtur ad aliquid intrinsecè, & subiectivè relativum, non mutuę verò, solùm terminantur ad relativum extrinsecè, & terminativè. Ità Caietanus 1. p. q. 13. art. 7. §. Ad ultimam, quæ terret novitios. Soncinas, 5. Metaph. q. 30. Lerma cum alijs, & cum illis hæc erit.

§. II.

Nostra conclusio.

Omnis relatio terminatur formaliter ad relativum.

CONclusionem istam expressit Arist. cap. de Relatione, inter explicandam tertiam proprietatem relationis, quàm suprà cum ipso dedimus art. 1. §. 4. & Ang. Præcept. pluribus in locis, præsertim 1.p. q. 40. art. 2. ad 4. per hęc verba: *Cum dicitur, quod relativi esse, est ad aliud se habere, per ly aliud intelligitur correlativum, quod non est prius, sed simul natura.* In quibus verbis loquitur D. Th. de quocumque relativo, cum ibi nullam exclusionem faciat, & verba ipsius in omni relativo salventur: ergò cuicumque relativo correspondet correlativum, *quod non est prius, sed simul natura*; sed omne absolutum repertum in termino, non est simul natura, sed priùs, quàm relativum formaliter: ergò sentit D. Th. omnem relationem terminari formaliter ad aliquid relativum.

Probatur conclusio nostra ratione: in quocumque termino relationis prædicamentalis, ut formaliter terminante, debet dari aliqua relatio: ergò omnis relatio prędicamentalis terminatur formaliter ad relativum. Prob. ant. Relativum prædicamentale, & terminus illius consideratus formaliter, opponuntur relativè, ut indicat D. Th. 1. ad Annib. dist. 30. q. unic. art. 1. ad 3. dicens: *quod cuilibet relationi opponitur illa relatio quæ quandoque est in re, ad quam relatio terminatur, quandoque est in intellectu tantum*; sed non possunt relativę opponi, nisi in termino formaliter, ut terminante, sit aliqua relatio, quæ sit ratio terminandi: ergò in quocumque termino relationis prædicamentalis, ut formaliter terminante, datur aliqua relatio. Prob. min. non possunt relativè opponi, nisi in utroque extremo sit forma relativę oppositionis, sicut non possunt aliqua opponi contrariè, nisi in utroque sit forma contraria; sed forma per quam opponuntur relativè, debet esse relatio, nàm si relatio non est, non prętstabit effectum relativę oppositionis: ergò non possunt relativè opponi, nisi in termino, ut formaliter terminante, detur aliqua relatio.

Respondebis: Rélativam oppositionem non consistere in eo, quod in utroque extremo detur aliqua relatio, sed in eo, quod unum respiciat, & alterum respiciatur: & hoc secundùm haberi posse ratione alicuius absoluti.

Sed contrà est: quia terminus non potest opponi relativè cum aliquo extremo, ni-

nisi per formam existentem in genere relativo, sicut non potest aliquid opponi contrariè cum albo, nisi per formam contrariam; sed prædicatum absolutum non existit in genere relativo formaliter: ergò non potest terminus opponi relativè cum alio, ratione alicuius absoluti.

Secundò probatur conclusio nostra: Relatio prædicamentalis, respicit terminũ, ut purum terminum, & in hoc differt à transcendentali, quę respicit terminum, ut causam, vel ut effectum; sed relatio, quę terminatur ad aliquid absolutum, non respicit terminum, ut purum terminum, quia relatio nihil respicit absolutum, nisi ut causam formalem, materialem, vel efficientem: ergó nulla relatio terminatur formaliter ad aliquid absolutum.

Confirmatur ratio prædicta: Relativum, & terminus prædicamentalis, debent esse simùl natura, ut supra diximus ex D. Th. & Philos. ar. 1. §. 4. inter assignandam proprietatem quarto modo relativorum prædicamentalium; sed quidquid absolutum in termino reperitur est prius natura relatione: ergó relatio prędicamentalis non terminatur formaliter ad aliquid absolutum, sed ad aliquid relativũ. Prob. min. ut resultet relatio, necessario requiritur præcedere fundamentum, & terminum secundùm absolutum, quod habent, undè ortum est proverbium, quod posito fundamento, & termino, resultat relatio: ergò quidquid absolutum reperitur in termino est priùs natura relatione. Idcircò enim inter duo alba resultat relatio similitudinis, quia in utroque extremo præcedit albedo: & ideò inter Patrem, & filium, resultat relatio, quia præcedit esse genitum in filio, & esse generantem in Patre.

Tandem probatur conclusio (pro ea parte, qua procedit de relativis non mutuis, & præsertim tertij generis) ex doctrina D. Th. 5. Metaph. lect. 17. non procùl à fine, ubi distinguens relationes tertij generis ab alijs, sic ait: *in hoc differt iste tertius modus à prædictis, quod in præmissis unumquodque dicitur relativè ex hoc, quod ipsum ad aliud refertur, non ex eo, quod aliud referatur ad ipsum. Duplum enim refertur ad dimidium, & è converso, & similiter Pater ad filium, & é converso. Sed hoc tertio modo aliquid dicitur relativè ex eo solum, quod aliquid refertur ad ipsum, sicut patet, quod sensibile, & scibile, vel intelligi-*

bile dicuntur relative, quia alia referuntur ad illa. Et idē asserit Præcep. Ang. de imagine respectu exemplatis, seu de creatura respectu creatoris; sed relationes tertij generis sunt relationes non mutuæ alię verò sunt relationes mutuę: ergò relationes mutuæ terminantur formalitèr ad aliquid intrinsecè, & subiectivè relativum, non mutuæ verò ad aliquid relativum terminativè, & extrinsecè.

§. III.

Solvuntur argumenta.

ARguitur primò contrà secundam rationem probativam conclusionis: Relativa prædicamentalia, nō sunt simul natura: ergò ratio prędicta nititur principio falso. Prob. ant. primò ex Div. Th. 1.p.q.13. art.7. ad 6. asserente: *quod si unum in sui intellectu claudat aliud, & non è converso, non sunt simul natura, & hoc modo se habent scientia, & scibile*; sed scientia, & scibile relativa prędicamentalia sunt, ut suprà diximus art.1. §.3. inter explicandum relationes tertij generis: ergò relativa prædicamentalia nequeunt esse simul natura.

Secundò prob. ant. Relatio prædicamentalis resultat, posito fundamento, & termino; sed fundamentum est priùs relatione: ergò terminus non erit simul natura cùm illa.

Resp. ad argum. neg. ant. & ad probationem dicimus, relativa non mùtua (de quibus loquitur D. Th.) non esse simul natura quoad munus referendi, quia licet scientia realiter referatur ad scibile, & creatùra ad creatorem: ex parte tamen termini non respondet relatio realis, quoad munus referendi, eo quòd obiectum non refertur ad scientiam realitèr, nec Deus ad creaturam: correspondet tamē ex parte termini relatio quoad munus terminandi, quę simul natura est cùm relatione, quam terminat. Et eadem solutio applicanda est authoritati D. Th. ex q.7. de Potent. art.8. ad 1. ubi ait: quod *illa relativa, in quibus non est eadem ratio referendi ex utraque parte, non sunt simul natura, sed alterum est prius naturaliter, &c.* maximè cum ibi sic concludat: *nihilominus autem non est necesse in illis etiam relativis, quæ sunt simul natura, quod subiecta sint naturaliter simul, sed relationes solæ.* Sentit ergò D. Th. etiam illis relativis, in quibus non est eadem ratio referendi ex utraque

que parte, correſpondere ex parte termini relationem quoad munus terminandi, quæ ſit ſimul natura cum relatione, quam terminat. Alioquin quid ſibi vult Præcept. Aug. per coniunctionem *etiam* interpoſitam?

Ad 2. probationem ant. reſp. relationem reſultare ad poſitionem termini fundamentaliter ſumpti, qua ratione eſt aliquid abſolutum, & relationem præcedit; ſed formaliter in ratione terminantis, non eſt prior, ſed ſimul cum relatione.

Inſtabis: terminus formaliter ut talis, eſt cauſa extrinſeca reſpectu relationis, quia relatio ſpecificatur à termino; ſed quæcumque cauſa præcedit effectum: ergò terminus formaliter ut talis erit prior relatione.

Reſp. neg. mai. & ad probationem imbibitam dicimus: verùm eſſe relationem ſpecificari à termino ſumpto formaliter; non tamen indè infertur terminum præcedere relationem prioritate naturę, quia ſpecificatio relationis non eſt in genere cauſæ formalis, ſed eſt ad terminum formaliter, ut purum terminum, qua ratione non eſt cauſa relationis, ſed purè terminat ipſam, & purè reſpicitur.

Dices: Relatio habet eſſe ab aliquo in genere cauſæ formalis extrinſecè, eo quod omne reſpectivum habet eſſe ab aliquo termino extrinſeco, & aliud eſſe non poteſt, quam terminus relationis formaliter ſumptus: ergò terminus ſic acceptus, eſt cauſa formalis extrinſeca relationis.

Reſp. neg. ant. Nam cum relatio prædicamentalis reſpiciat terminum, ut purum terminum, non poteſt reſpicere ipſum tanquam cauſam, etiam extrinſecam; aliàs non reſpiceret ipſum tanquam purè terminantem, ſed etiam ut influentem, & cauſantem: undè non omne reſpectivum habet eſſe ab aliquo extrinſeco, ut à cauſa. Nec etiam omne ſpecificativum eſt cauſa ſpecificati (ut aliqui volunt) licet omne ſpecificativum det eſſe: nàm ſpecificativum relationis prędicamentalis, dat eſſe unicè terminando, ſiquidem huiuſmodi relatio reſpicit terminum, ut purè terminum, ſcilicet, tantùm ut ad aliud, non ut ab alio, vel circà aliud.

Re-

Replicabis : dare esse, & non influere per modum causæ, contradictionem involvit; ergo non tenet solutio. Prob. ant. Quidquid dat esse in creaturis, debet esse causa, nam causare est dare aliquod esse : ergò dare esse, & non influere per modum causæ involvit contradictionem.

Resp. neg. 1. & 2. ant. Si universaliter sumatur. Nam sicùt in Divinis, propter infinitatem, & carentiam dependentiæ, Pater dat esse filio, cuius non est propriè causa : ita in relativis, quia terminus respicitur, ut purus terminus, & consequenter sinè aliqua dependentia, terminus ipse dat esse, quin ob hoc sit vera causa.

Secundò arguitur contrà conclusionem nostram: Relatio dissimilitudinis, quà refertur album ad nigrum, est prædicamentalis ; & tamen terminatur formaliter ad aliquid absolutum : ergò non omnis relatio prædicamentalis terminatur formaliter ad aliquid relativum. Prob. min. Relatio prædicta terminatur ad nigrum, quatenus est dissimile albo ; sed solùm est dissimile ratione nigredinis absolutè, & non ratione relationis dissimilitudinis : ergò relatio prædicta terminatur formaliter ad aliquid absolutum. Prob. min. In relatione dissimilitudinis albo conveniunt, eo quod utrumque relationem dissimilitudinis habet : Ergò nigrum solùm est dissimile albo ratione nigredinis absolutè, non tamen ratione relationis dissimilitudinis.

Resp. neg. min. & ad probationem dist. min. dissimile *fundamentaliter*. conc. min. *formaliter*, neg. min. & conseq. Quia licèt nigrũ sit dissimile fundamentaliter albo ratione nigredinis, formaliter tamen est dissimile ratione ipsius relationis. Nec obstat ambo habere relationem dissimilitudinis, & in ea convenire, quia solùm conveniunt in ea considerata *ut quod*, & quatenùs relatio nigri est eiusdem denominationis cum relatione albi, eo quod per propriam relationem utrumque denominatur dissimile : non tamen conveniunt in relatione dissimilis considetata ut quo, sed per eam, ut sic, nigrum fit dissimile albo formaliter, sicùt duo alba fiunt similia formaliter per relationem in albedine fundatam.

Tertiò arguitur : Relativum diffiniri debet per terminum proprium, nam totùm esse relationis est in ordine

ad

ad terminum ; ſed diffiniri non poteſt per terminum, ut relativum formaliter : ergò terminus formaliter nequit eſſe relativus. Prob. min. primò. Quia diffinitio debet dari per aliquid notiùs diffinito ; ſed unum relativum non eſt altero notius : ergò diffiniri non poteſt per terminum, ut relativum formaliter.

Secundò prob. min. Si unum relativum diffiniretur per alterum relativum, etiam alterum diffiniretur per primum ; ſed hoc eſt circulum in diffinitione committere, quem tamen reprobat D. Th. 1. p. q. 25. art. 3. dicens: *Si autem dicatur, quod Deus ſit omnipotens, quia poteſt omnia, quæ ſunt poſsibilia ſuæ potentiæ, erit circulatio in manifeſtatione omnipotentiæ. Hoc enim non erit aliud, quam dicere quod Deus eſt omnipotens, quia poteſt omnia, quæ poteſt* ; ergò relativum diffiniri non poteſt per terminum ut relativum formaliter. Prob. min. Si unum relativum per alterum diffinitur, idem erit dicere, Pater habet filium, ac dicere, Pater habet eum, qui habet Patrem ; hoc eſt circulum commitere : ergò committitur circulus in diffinitione relativorum.

Reſp. ad argumentum, neg. min. & ad 1. probat. diſt. mai. diffinitio *quantum ad intrinſeca prædicata*, conc. mai. *quantum ad extrinſeca*, neg. mai. & conceſſa min. neg. conſeq. Quia quamvis diffinitio quantum ad intrinſeca prædicata habeat eſſe notior diffinitio, non tamen quantum ad extrinſeca, qualiter ſe habet unum relativum, in ordine ad aliud. Inſtantia eſt in termino diffinito per ordinem ad propoſitionem, & in accidenti per ordinem ad ſubſtantiam, & in creatura per ordinē ad Deum, & tamen propoſitio non eſt notior termino, nec ſubſtantia accidenti, nec Deus notior eſt creatura. Adde etiam, ſi libet, nullum eſſe inconveniens, unum correlativum eſſe notius, & ignotius altero, præſertim ſi diverſimodè inſpiciatur, eo quod unum relativum diffinitur ad alterum, ut terminus ; terminus autem, ut ſic, eſt notior eo quod ad ipſum terminatur ut ſic : quia interminatum, ut ſic, ignotum eſt.

Ad 2. prob. min. reſponderi poteſt, unum relativum diffiniri *per alterum*, quia *ly per* denotat cauſalitatem, quam neutrum correlativorum formaliter ſumptum poteſt habere reſpectu alterius ; ſed ſolùm diffiniri

ad alterum, & *ly ad* ſonat tantummodò habitudinem, & reſpectum ad aliquid ut terminum. Quidquid tamen ſit de hoc, in diffinitione relativorum non committitur circulus, quem reprobat D. Th. Duplex enim eſt circulus, uniformis videlicèt, & diformis, (ut infra dicemus lib. 8. q. 1. art. 2.) circulus uniformis ſemper eſt vitioſus, & à D. Th. reprobatus: circulus autem inter relativa, eſt diformis, quia unum in recto diffinitur per alterum in obliquo, & unum ſecundum conceptū referentis diffinitur per alterū in ratione terminantis, & ideó ùnum per aliud ſecundùm diverſam rationem diffinitur, qui circulus diformis eſt, & propterea non vitioſus, ſicùt non eſt vitioſa circularis demonſtatio, qua creaturas cognoſcimus à priori per creatorem, & ipſum à poſteriori per creaturas probamus tanquam per proprios effectus.

Dices: iuxta Philoſ. 5. Metaph. lect. 17. apud D. Th. viſus non poteſt diffiniri per ordinem ad viſibile, alioquin bis idem diceretur, & conſequentèr circulus committeretur uniformis: & tamen viſus eſt relativum prędicamentale: ergó nullum relativum prædicamentale poteſt per alterum diffiniri, quin circulus committatur uniformis.

Reſp. Ariſt. loco cit. (ut videre eſt, tam in translatione antiqua, quam nova Beſſarionis, quarum utraque habetur in editione tùm Romana, cum Venetiana) non habere huiuſmodi verba, ſed potiùs oppoſita. Nam ut ibidem vertit Præceptor Ang. Viſus non dicitur ad videntem, alióquin bis diceretur ad aliquid, ſed ad obiectum, quod eſt color, vel aliquid aliud tale. Quod dicit) ſubdit D. S.) propter ea, quæ videntur in nocte non per proprium colorem, ut habetur in 2. de Anima. Quamvis & hoc rectè poſsit dici, ſcilicèt, quod viſus ſit videntis. Refertur autem viſus ad videntem, non in quantum, eſt viſus, ſed in quantum eſt accidens, vel potentia videntis. Relatio autem reſpicit aliquid extrà, non autem ſubiectum, niſi in quantum eſt accidens. Quare, ſi alicubi aliter habetúr, non immeritò vitio præli imputari poteſt,

Quartò arguitur: Si omnis relatio terminaretur formaliter ad relativum, relatio

tio in communi, & ut abſtrahit ab omni relatione, etiam terminaretur ad relativum; ſed hoc eſt impoſsibile: ergò non omnis relatio terminatur ad relativum. Prob. min. Relationi in communi nequit correſpondere in ſuo termino aliqua relatio, nec æqualis, nec inferior, alias daretur duplex relatio in communi, aut una cum altera æqualis, vel una alteri inferior, quorum utrumque videtur inconveniens: ergò min. vera eſt.

Reſp. diſt. mai. Relatio in communi terminaretur ad relativum *ſignate, & ut quo* conc. mai. *exercite, ut quod,* neg. mai. Relatio enim abſtracta, & in communi, habet terminum relativum, non quidem exercitè, ſed ſignatè, id eſt, habet reſpicere terminum, non tamen reſpectu exercendo per ipſam relationem in communi, ſed quem exigat in relationibus ſingularibus: eo quod de eſſentia relationis in communi eſt eſſe id, ratione cuius ſingularia referuntur, & terminantur ad relativum. Quapropter relationi in communi non correſpondet relatio æqualis, vel inferior ex parte termini, ſed eadem relatio ſignatè ſe habet ex parte utriuſque. & eſt eadem *ut quod*, diverſa tantum *ut quo* & quatenùs eadem relatio, & eſt ratio, ut ſingularia referantur, & terminent relationem, & partibilis exercitè in relationem referentem, & in relationem terminantem. Ex quò ſolùm ſequitur in conceptu communi relationis includi diſtinctionem unius ab alia ſignatè, & connexivè, ſecundùm quod exigit, ut omnes relationes particulares ſub ea contentæ, realitèr diſtinguantur: non tamen referri exercitè, & aliâ relatione exercitè diſtinctam requirere

Quintò arguitur: Relatio non mutua ſervitutis, qua creatura refertur ad Deum, & relatio, qua Virgo Deipara refertur ad Chriſtum Dominum, ſunt relationes prædicamentales, & tamen non terminantur formalitèr ad aliquid relativum: ergo non omnis relatio prædicamentalis terminatur formalitèr ad relativum. Mai. patet ex dictis Min. verò prob. Quia ex parte termini illis non correſpondet altera relatio eiuſdem ordinis, ſeu entitatis, aliàs eſſent relationes mutuæ; & rurſus, quia nihil reale intrinſecum poteſt Deo in tempore advenire; ergò relationes prædictę non terminantur formalitèr ad relativum. Ant. quantum ad

utrum

utramque partem prob. ex D. Th. tum 1. p. q. 13. art. 7. in calce corporis, ubi ait: *Quod in Deo non eſt aliqua realis relatio eius ad creaturas*, tùm etiam 3. p. q. 35. art. 5. ubi inquit: *Quod filiatio, qua Chriſtus refertur ad matrem, non poteſt eſſe realis relatio*; & paulo poſt ſubdit: *Non poteſt in Chriſto eſſe realiter, niſi filiatio æterna*: ergò prædictis relationibus non correſpondet altera relatio realis ex parte termini.

Reſp. diſt. min. ad aliquid relativum *intrinſece, & ſecundum conceptum referentis*, conc. min. *extrinſece, & ſub munere terminantis*, neg. min. & conſeq. ſub eadem diſt. Quia quamvis non detur aliqua relatio realis intrinſeca, per quam Chriſtus referatur ad ſuam Sanctiſſimam Matrem, & Deus ad Creaturam, datur tamen ex parte utriuſque relatio realis extrinſeca, qua terminent relationem; eo quod à relatione exiſtente in creatura denominatur Deus, quamvis extrinſece, Dominus, & relatione B. Virginis dicitur Chriſtus, quamvis extrinſece filius: Cumque denominatio prædicta proveniat à forma relativa; ipſum terminum conſtituit extrinſecè relativum, & quoad munus terminandi, ac proindè terminus relationem ſpecificat, & terminat ut relativus formaliter.

Quam ſolutionem pluribus in locis tradit Ang. Doct. præſertim 1. p. q. 13. art. 7. ad 4. ubi ait: *Nec eſt inconveniens, quod à relationibus realiter exiſtentibus in re, Deus denominetur Dominus... ut ſic Deus dicatur relative ad creaturam, quià creatura refertur ad ipſum, ſicut Philoſ. dicit* 5. *Metaph. quod ſcibile dicitur relative, quia ſcientia refertur ad ipſum.* Quod idem repetit q. 7. de Potent. art. 11. ad 1. & loc. cit. 1. p. in reſp. ad 5. ait: *Quod cum ea ratione referatur Deus ad creaturam, qua creatura refertur ad ipſum, cum relatio ſubiectionis realiter ſit in creatura, ſequitur, quod Deus non ſecundum rationem tantum, ſed realiter ſit Dominus: eo enim modo dicitur Dominus, quo creatura ei ſubjecta eſt.* Et 3. p. q. 35. a. 5. in calce corp. inquit: *Quod Chriſtus dicitur relative filius ad matrem, relatione, quæ cointelligitur relationi maternitatis ad Chriſtum: ſicut etiam Deus dicitur Dominus relatione, quæ cointelligitur reali relationi, qua creatura ſubiicitur Deo. Et quamvis relatio Dominii non ſit realis in Deo,*

di-

dicitur sumen realiter Dominus ex reali subiectione creaturæ ad ipsum. Et similiter Christus dicitur realiter filius Virginis Matris ex relatione reali maternitatis ad Christum. Quod etiam docet Quolib. 9. art. 4. Sentit ergò Doct. S. ex parte Dei, & Christi correspondere relationem realem, non intrinsecam, & referentem, sed extrinsecam terminantem, vel denominationem extrinsecam relativam, qua terminant relationem.

Instabis contra solutionẽ istam. Implicat Deum denominari extrinsecè Dominum à relatione servitutis existente in creatura, & idem dicendum de Christo respectu Virginis Matris: ergó solutio nititur principio falso. Prob. ant. ex D. Th. 2. cont. Gent. cap. 13. ubi ait: *A relatione non invenitur aliquid denominari quasi exterius existente, sed inhærente, non enim denominatur aliquis pater, nisi à paternitate, quæ ei inest,* Et insuper, quia filius non denominatur extrinsecè filius à relatione existente in Patre, aliàs bis filius diceretur, & à relatione extrinseca, & ab intrinseca relatione filii, quam in se habet: ergò Deus nequit denominari extrinsece Dominus à relatione existente in creatura, nec Christus extrinsece filius à relatione existẽte in Virgine eius Matre.

Secundò instabis: prius est, Deum terminare relationem creaturę, quam ab illa extrinsece denominari: ergo non terminat illam per denominationem extrinsecam provenientem ab eadem relatione. Prob. ant. Priús est parietem terminare visionem, quam extrinsecè á visione denominari: ergo prius etiam erit, Deum terminare relationem, quam denominari

Confirmatur: terminus relationis prædicamentalis formaliter consideratus pertinet ad prædicamentum relationis, sed nihil pertinet ad prędicamentũ: nisi ratione formę intrinsecê: erg. terminus relationis prędictę nequit constitui per extrinsecam denominationem, & per ipsam terminare.

Urgetur; Relativum prædicamentale, & terminus eius debent opponi formaliter relativê; sed terminus ratione denominationis extrinsece nõ potest opponi relativè cum subiecto, quòd refertur: erg. idẽ quod prius. Prob. min. Oppositio relativa est oppositio respectuum, pro indeque salvari nequit, nisi extrema ad invicem referantur; sed terminus per extrinsecam denominationem non refertur ad subiectum: ergò non potest

op

opponi relative cum ſubiecto, quod refertur.

Ad 1. inſtantiam reſp. neg. ant. & ad probationem dicimus: quod in relatione duplex conceptus invenitur, unus videlicet referendi, & alius terminandi; inter quos eſt differentia, quod relatio ſecùndum conceptum referendi, non poteſt denominare ſubiectum in quo non reperitur intrinſecè, ſecundùm conceptum verò terminandi poteſt denominare illud ad quod extrinſecè terminatur; et D. Th. ſolùm intendit à relatione exterius exiſtente non poſſe denominari ſubiectum, ſecundùm conceptum referendi. Ad imbibitam autem probationem dicimus, quod, quando filius terminat relationem Patris, habet in ſe ipſo relationem filii, per quam terminat, & intrinſece conſtituitur, & ita non poteſt denominari extrinſecè filius à relatione Patris, quia in præſentia denominationis intrinſecè ſuperflua eſt extrinſeca denominatio eiuſdem rationis. In Deo autèm, & Chriſto Dómino, ſuperflua non eſt denominatio extrinſeca à relatione, quam terminant, quia nec in Deo, nec in Chriſto relatio realis, aut denominatio intrinſeca reperitur.

Ad 2. inſtantiam neg. ant & ad probationem neg. conſeq. Quia in termino relationis extrinſeca denominatio, nihil aliud eſt, quam denominatio terminantis: & ideò non poteſt priùs terminare, quam denominari à relatione, quam terminat. Inſuper etiam forma relativa totum eſſe habet in ordine ad terminum, ut purum terminum abſque aliqua dependentia. & ita non eſt prior, quàm denominatio terminantis: nec denominatio terminantis ſupponit terminare, alias eſſet prior relatio terminata, quam terminus in ratione terminantis, ac proinde ſimul naturà non eſſent. Forma verò abſoluta, qualis eſt paries, non habet totum eſſe in ordine ad terminum, nec eſt ſimùl cùm illo in ratione terminantis, & ideò priùs eſt terminare viſionem, quam ab ea denominari: undè quamvis hæc cauſalis vera ſit in abſolutis, *ideò denominatur, quia terminat*, non tamen in relativis vera eſt.

Ad confirmationem reſp. terminum relationis non mutuæ, in quo non reperitur intrinſeca relatio, pertinere ſolùm ad prędicamentum relationis terminative, & in obliquo: ut autem hoc modo ad prædicamentum pertineat, ſufficit denominatio extrinſeca

rei-

terminantis, quæ à relatione proveniat.

Ad id, quo urgetur, resp. neg. min. Quia ad oppositionem relativam sufficit relatio unius, & terminatio alterius opposita relativè; non tamen requiritur respectus ex parte utriusque extremi: sicut creatura dicitur servus per relationem ad Deum, & Deus in quantum terminat relationem prædictam, Dominus appellatur. Præterquamquod, ut docet D.Th.2.contrà Gen. cap. 11. *Non potest intelligi aliquid relativè dici ad alterum nisi è converso illud relativè diceretur ad ipsum*; sed creaturæ relativè dicuntur ad Deum: Deus igitur è converso relativè ad creaturas dicetur. Consequenterque inter Deum, & creaturas erit oppositio respectuum, cum Deus, & creatura ad invicem referantur.

Sexto arguitur, & simul contrà dicta replicatur: Ratio formalis terminandi, debet esse distincta à relatione quam terminat; sed extrinseca denominatio non est distincta à relatione, à qua provenit: ergò nequit esse ratio formalis terminandi relationem. Mai. patet, quia ratio formalis terminandi specificat relationem, & opponitur cum illa, nihil autem potest cùm se ipso opponi, & se ipsum specificare. Min. verò prob. Extrinseca denominatio non est aliud, iquam forma intrinseca, ut extrinsecè applicata: ergò non est distincta à relatione, à qua provenit.

Confirmatur: In relativis tertii generis alterum extremum nullam relationem habet, nisi dùm actualiter consideratur: ergò, vel purè terminat ratione alicuius relationis rationis, quod non est asserendum, vel ratione alicuius absoluti; non tamen ratione relationis cointellectæ provenientis ab extrinseca denominatione.

Resp. ad argumentum, dist. min. Extrinseca denomi. natio *in abstracto*, conc. min. *in concreto*, neg min. & conseq. Quia licet denominatio extrinseca, sumpta in abstracto non distinguatur à forma, à qua provenit, in concreto tamen, & quatenús subjectum denominatum includit, realiter ab ea distinguitur, & illam specificare, cum illoque opponi potest.

Instabis: iuxta datam solutionem prædicta oppositio provenit à subiecto, & non à forma relativa: ergò Deus: & creatura formaliter quatenùs relativa sunt, oppositionem non habent.

Resp. neg.ant. Quia prædic

dicta oppositio potius provenit à forma in concreto, & ut denominat subiectum, & idcirco relationem terminari ad relativum, quod quidem nomen est terminus connotativus, & significat relationem, ut subiectum denominantem. Ad hanc etiam denominationem sufficit extrinseca forma: nàm ut docet D. Th. 1. p. q. 6. art. 4. in corp. *nihil prohibet in his, quæ relationem important, aliquid ab extrinseco denominari, sicut locatum à loco, & mensuratum à mensura.*

Ad confirmationem, dist. ant. nullam relationem *intrinsece, & subiective*, conc. ant. *extrinsece, & terminative*, neg. ant. & conseq. Relativa enim tertij generis secundùm se sunt relativa, non secùs ac relativa primi, & secundi generis: nàm D. Th. & Arist. post eorum enumerationem sic concludunt: *& sic patet, quod isti sunt modi, quibus aliqua dicuntur secundum se ad aliquid*, undè debent esse entia realia, & habere terminum realem, sicut relationes primi, & secundi generis, quia relatio rationis nequit esse terminus relationis realis, ut suprà diximus inter assignandas conditiones relationis prædicamentalis. Differunt autem in hoc; quod extrema relativorum primi, & secundi generis ideò sunt entia realia, quia ipsa sunt in rerum natura talia entia, quod ad aliud se habent: alterum verò extremum relativorum tertij generis non ideò est ens reale, quia ipsum in rerum natura sit ad aliud, sed quia aliud reale dicitur ad ipsum. Itaque (ut docet Caietanus 1. p. q. 13. art. 7.) tota differentia consistit in hoc; quod per se relativorum, quædam sunt relativa realia per denominationem intrinsecam, & talia sunt primi, & secundi generis præsertim mutuæ: quædam verò per denominationem extrinsecam, ab alterius enim realitate relativa ipsa quoque inter relativa realia connumerantur, & huiusmodi sunt relativa tertij generis. Quapropter terminus talis relationis non est aliqua relatio rationis, nec aliquid absolutum, sed relatio realis ab extrinseca denominatione proveniens.

§. IV.

Corollaria ex dictis.

EX dictis colligitur, relationem secundùm conceptum propriùm implicare entitatem realem, siquidem est unum ex decem præ-

prædicamentis dividentibus ens reale, non tamen explicare entitatem, aut realitatem, eo quod entitas, & realitas dicuntur per ordinem *ad esse*, & relatio secundùm expressum *ad* solùm est respectus ad terminum: & propterea in genere relationis dantur relationes rationis, quæ non æquivocè, sed verè, & propriè sunt relationes, ad differentiam quantitatis, qualitatis, & aliorum, quæ, si sint tantùm rationis, non sunt verè quantitates, sed æquivocè solùm quantitates, & qualitates dicuntur, sicut amœnitas prati æquivocè dicitur risus. Et hoc intendit D. Th. dùm 1. p. q. 28. art. 1. asserit, in his, quę dicuntur ad aliquid, inveniri aliqua secundùm rationem tantùm, ut indicavimus art. 1. huius quęst. §. 2.

QUÆST. IV.

De prædicamento qualitatis, & in ea.

ART. UNIC.

De natura, divisione, & proprietatibus qualitatis.

§. I.

Diffinitio qualitatis explicatur.

NOn loquimur in præsenti de qualitate accepta pro eo, quod prædicatur in *quale*, in quo sensu differentię essentiales qualitates appellantur, immo & prędicata superiora dicūtur quodammodo qualitates primæ substantię, nec etiam est nobis sermo de *qualitate* sumpta pro quacumque forma determinante, aut modificante subjectum, in quo sensu omnia accidentia modificant substantiam, & possunt qualitates appellari; sed tantum in præsenti disputamús de *qualitate* strictè considerata, & quatenus est modus quidam præstans ornatum substantiæ, & determinans indifferentiam illius, per quam respondetur ad quæstionem *qualis sit*. Sicut inquirenti, *qualis res sit?* respondemus: bona, vel mala, ægra, vel sana, alba, vel nigra. De quo videatur Prędicat. Ang. 5. Metaph. lect. 16.

Et in hac acceptione constituit qualitas speciale prædicamentum, quod quidem jure, ac merito ante sex ultima prædicamenta collocatur. Nàm cum series prædicamentorum sumatùr ex ordine ad substantiam, & qualitas sit accidēs inhęrens substantiæ, ultima vero sex prædicamenta sint res illi extrin-

se-

ſecus adjacentes, ut diximus lib. 6. a. 5. §. 2. manifeſtum ſit, qualitatem ſex últimis prædicamentis præferri debere. Hanc ergò ſic Ariſt. diffinivit juxta Boetij translationem: *Qualitatem eſſe dico, ſecundum quam quales quidem dicimur.* In qua deſcriptione explicatûr effectus primarius qualitatis, videlicet qúalificare ſubjectum, qui quidem effectus, licet ſecundum ſe non ſit notior qualitate, quoad nos tamen notior eſt; eo quod effectus formalis formæ quoad nos notior eſt, quam ipſa forma & ita per *quale* inconcreto bene qualitas diffinitur, & diffinitio prædicta *qualitate* notior eſt.

Nec mirum eſſe debet, qualitatem per aliquid ſui diffiniri: omnes enim in Metaphiſica diffiniunt: *ens* per eſſe id, quod habet *eſſe*, & tamen *eſſe* eſt aliquid entis, nec videtur eſſe notius, quam *ens*. Et rationem aſsignat D. Th. opuſc. 48. tract. de Prædicamento qualitatis, cap. 1. ubi ſic ait: quia cognitio noſtra ortum habet à ſenſu, minus ſenſibilia ſunt nobis minus nota, abſtracta autem ſunt minus ſenſibilia: ergò convenienter notificantur per concreta ſicut per prius nota. Benè ergò (concludit Doct. S.) data fuit notificatio *qualitatis*, quæ eſt abſtracta per *quale*, quod eſt concretum, dicendo: *qualitas eſt, ſecundum quam quales dicimur.* A qua quidem deſcriptione non multum diſtat alia, quam tradit Doct. Ang. 1. 2. q. 49. art. 2. in corp. ubi ipſe videri poteſt.

§. II.

Statuitur diviſio qualitatis.

IN quatuor paria ſpecierum dividit Ariſt. qualitatem videlicet in *habitum*, & *diſpoſitionem potentiam*, & *impotentiam*: *paſsionem*, & *paſsibilem qualitatem, formam*, & *figuram* Sufficientia, & adæquatio huius diviſionis deducitur ex D. Th. loco ſuprà cit. 12. ubi docet, quod *qualitas* importat quamdam determinationem, & modum accidentalem ſubſtantiæ; ſed omnis modus, & determinatio accidentalis in his quatuor ſpeciebus ſalvatur: ergò ſufficiens, & adæquata eſt diviſio *qualitatis* in quatuor ſpecies aſsignatas. Prob. min. ex ipſo Ang. Doct. Modus, ſive determinatio ſecundùm eſſe accidentale, vel accipitur in ordine ad ipſam naturam ſubjecti, vel ſecundum actionem, & paſsionem, quæ conſequûntur principia naturæ, vel ſecun-

cundùm quantitatem: si primum, pertinet ad primam speciem qualitatis, quæ est *habitus*, & dispositio, dicit enim Philos. in 7. Physic. text. 17. ac deinceps, (loquens de habitibus animæ, & corporis) quod sunt *dispositiones quædam perfecti ad optimum.* Dico autem *perfecti* (glossat D. Th.) quod est dispositum *secundum naturam.* Et quia ipsa forma, & natura rei est finis, & cuius causa fit aliquid, ideò in prima specie considerantur, & *bonum*, & *malum*, & etiam *facile*, & *difficile mobile*, secundùm aliqua, natura est finis generationis, & motus. Si secundùm, ex parte principij actionis, vel passionis: pertinet ad secundam speciem qualitatis, quæ est *potentia*, & *impotentia*: ex parte verò termini, ad tertiam speciem, quę est *passio*, & *passibilis qualitas*, & etiam in utraque harum specierum considerantur quod aliquid *facile*, *vel difficile* fiat, vel quod sit *cito transiens*, *aut diuturnum*: non autem aliquid pertinens ad rationem boni, vel mali, quia motus, & passiones non habent rationem finis, & *bonum*, & *malum* dicitur per respectùm ad finem. Si verò secundum quantitatem, pertinet ad quartam speciem, quæ est *forma*, & *figura*, hęc enim resultant ex terminatione quantitatis, & quia quantitas secundùm sui rationem est sine motu, & sine ratione boni, & mali, ideò ad quartam speciem qualitatis non pertinet, quod aliquid sit *bene*, *vel male dispositum*, *neque cito*, *vel tarde transiens*: ergò juxta D. Th. omnis modùs, & determinatio accidentalis in his quatuor speciebus salvatur.

Objicies contrà doctrinam istam: omnis qualitas cuiuscumque speciei est principium actionis, nam aliquis habitus est activus, & similiter calor, qui pertinet ad tertiam speciem, & figura aliqua est apta ad motum, ut figura circularis velociùs movetur, quam angularis: ergò omnis qualitas est potentia, & consequenter non sunt distinguendę quatuor species qualitatis.

Secundò: omnis qualitas est terminus passionis, omnis enim per alterationem producitur: ergò passio, & passibilis qualitas non est peculiaris species qualitatis.

Resp. dist. ant. principium actionis *per se primò*, neg. ant. per accidens transeat ant. Qualitates enim ponuntur in specie determinata ratione illius, quod per se primo in eis consideratur,

non tamen ſecundùm id, quod per accidens, & ab extrinſeco habent. Id autem, quod per ſe primo conſideratur in quolibet habitu, eſt quædam habitudo in ordine ad naturam rei, ſecundùm quod convenit, vel non convenit, ex conſequenti autem dicit ordinem ad operationem, in quãtum eſt finis naturæ, vel perducens ad finem, unde non eſt de ratione habitus, quod reſpiciat potentiam, ſed quod reſpiciat naturam, & quia natura præcedit actionem, quam reſpicit potentia: ideò habitus ponitur in prima ſpecie qualitatis, non autem in ſecunda. Similiter, licet calor, & figura habeant aliquam activitatem, quia tamen non primo in eis conſideratur, non in ſecunda ſpecie, ſed calor in tertia, & figura in quarta ponuntur. Nec etiam omnis qualitas ponitur in tertia ſpecie, cum non in omni per ſe primo conſideretúr eſſe terminum actionis. Quam ſolutionem deducimus ex D. Th. 12.q. 49.art.3.

§. III.

De prima ſpecie qualitatis.

PRima ſpecies qualitatis, prout abſtrahit ab habitu, & diſpoſitione, dicitur qualitas benè, vel malè diſponens ſubiectum in ordine ad ſuam naturam ſicut *habitus virtutis* benè diſponit, *& habitus vitij* diſponit hominem, ut ſecundùm naturam ſuam malè ſe habeat. Dividitur autem qualitas iſta *in habitum, & diſpoſitionem.* Sed nomen *habitus* cum ſit ſumptum ab *habendo* tripliciter accipi poteſt: uno modo, prout eſt idem, quod habitio, qua una res habet aliam, inter quas nihil mediat, niſi ſola relatio, ſicut dicitur aliquis habere ſocium, vel amicum, & habitus hoc modo ſumptus non conſtituit prędicamentum ſpeciale, ſed inter poſtprędicamenta annumeratur. Secundo modo eſt habitio, qua una res habet aliam, inter quas eſt aliquid medium, non quidem actio, vel paſsio, ſed aliquid per modum actionis, vel paſsionis; prout ſcilicet ùnum eſt ornans, vel tegens, & aliud ornatum, aut tectum: undè Philoſ. dicit 5.Metaph. quod *habitus dicitur tanquam actio quædam habentis, & habiti*, ſicut eſt in illis, quę circa nos habemus. Et hoc modo conſtituit *prædicamentum habitus*, de quo dicit Philoſ. loc. cit. quod inter habentem indumentum, & indumentum, quod habetur, eſt *habitus medius.* Tertiò modo

do accipitur *habitus* prout res aliqua dicitur quodammodo ſe habere in ſe ipſa, vel ad aliquid aliud, & cum iſte modus ſe habendi ſit ſecundùm aliquam qualitatem, hoc modo habitus quædam qualitas eſt, ut docet D. Th. 1. 2. q. 49. art. 1. in corp. & in hac tantùm acceptione de eo loquimur in præſenti.

Sic ergò *habitus* diffinitur, quod ſit *qualitas difficile mobilis ab intrinſeco*, ſicùt habitus ſcientiæ eſt difficile mobilis, quatenùs ab intrinſeco habet cauſas firmas veritatis: *diſpoſitio vero eſt qualitas facilè mobilis ab intrinſeco*, ſicut ſanitas, & ægritudo, & alia huiuſmodi, quæ proveniunt ex cauſis, ab intrinſeco non habentibus firmitatem, & permanentiam. Ad *diſpoſitionem* pertinent in ſpiritualibus ſuſpicio, dubium, opinio, quę innituntur levibus, & facile mobilibus fundamentis, & ideo facilè à ſubiecto removeri poſſunt. Idemque dicendum eſt de alijs corporalibus diſpoſitionibus, de habilitate manuum, v. g. ad ſcribendū, pingendum, &c. cum enim ſundentur in corpore facilè alterabili, facile quoqûe poſſunt deperdi. Ad *habitum* vero pertinent omnes virtutes intellectuales, & morales, tùm infuſę, tùm acquiſitę, nec non virtutes Theologicæ; & etiam gratia, licet non ſit virtus, ſed habitudo quędam, quæ præſupponitur virtutibus infuſis ſicut principium, & radix, ut docet D. Th. 1. 2. q. 110. art. 3. ad 3.) ad habitum reduci poteſt: hæc enim omnia, quantum eſt ex ſe, habent cauſas firmas, & immobiles, & firmitèr adhærent ſubiecto, ideoque *habitus* vocantur.

Differunt ergò habitus, & diſpoſitio propriè dicta, non quidem ſecundùm perfectum, & imperfectum in eadem ſpecie, in quo ſenſu ipſamet diſpoſitio poteſt fieri habitus, ſicut puer fit vir; ſed ſicut diverſę ſpecies unius generis ſubalterni, ita ut dicantur *diſpoſitiones* illę qualitates primæ ſpeciei, quibus convenit ſecundùm propriam rationem, ut de facilè amittantur, quia habent cauſas tranſmutabiles, ut ægritudo, & ſanitas: *habitus* verò dicantur illę qualitates, quæ ſecundùm ſuam rationem habent, quod nō de facilè tranſmutentur, quia habent cauſas immobiles, ſicut ſcientiæ, & virtutes, & hoc modo diſpoſitio non fit habitus, ſed potius habitus propriè dictus differt à diſpoſitione propriè dicta, ſicut ſpecies ab ſpecie, ac proindè eſſentialitèr differunt.

Quod quidem videtur magis consonum intentioni Aristotelis, ut resolutivè docet Precept. Ang. 1. 2. q. 49. art. 2. ad 3.

Instabis: habitus propriè dictus aliquando est facilè mobilis, & in aliquibus subjectis facile amittitur, ut constat in pluribus, qui facilè dimoventur à fide: ergo non distinguitur essentialiter à dispositione propriè dicta.

Resp. dist. ant. facilè mobilis, *per accidens*, & *ab extrinseco*, conc. ant. *per se*, & *ab intrinseco*, neg. ant. & conseq. Habitus namque per se, & ab intrinseco, seu ex ratione suæ speciei semper est difficile mobilis, quia ex natura sua vendicat sibi principia ex se immobilia: & si aliquando facilè movetur, hoc per accidens contingit, & ab extrinseco, quatenùs videlicet reperitur in subjecto incapaci ad habitum conservandum. Sic scientiæ, & virtutes habent principia ex natura sua, & ab intrinseco firma, licet in Tyronibus instabiles, & facilè mobiles sint: & è contra, principia ægritudinis, opinionis, & erroris ex natura sua instabilia sunt; & tamen ob diuturnitatem, longum usum, ac pertinaciam subjecti, ità aliquando firmari possunt, ut vix unquam possint dimoveri, sicut videre est in Hecticis confirmatis, & Hæreticis.

§. IV.

De secunda specie qualitatis.

Secunda species qualitatis, prout abstrahit à potentia, vel impotentia, dicitur qualitas disponens subjectum ad agendum, vel resistendum. Dividitur autem istiusmodi qualitas *in naturalem potentiam, & impotentiam*. Nomine potentiæ intelligitur qualitas, quæ est principium immediatum operationis, quo constituitur subjectum, non ad operandum benè, vel malè, sed simpliciter ad operandum substantiam ipsam operationis. Comprehenditur etiam nomine *potentiæ* tam potentia activa, quàm passiva, sicut potentia generativa, vel alicujus habentis modum operationis, sicut potentiâ, quam habet durum ad resistendum, & molle ad aliquam resistentiam. Nomine verò *impotentiæ* non intelligitur potentiæ privatio, sed solum potentia imbecillis, & infirma, ut potentia generativa in frigido, & potentia vitiva in sene: unde potentia, & impotentia solùm differunt penes perfectum, & imper-

perfectum in eadem specie, quæ differentia accidentalis est. Et idcirco impotentia potest fieri potentia, & è contra: sicut facultas progressiva, quæ in pueritia est imbecillis, & languida, postmodum in adolescentia fit fortis, & robusta; & potentia videndi fortis in adolescentia, postea in senectute languescit.

Cæterum quia potentia, & impotentia per se primo comparantur ad operationem, præscindendo a convenientia, vel disconvenientia subiecti, eo quod intellectus æqualiter se habet ad veram, & erroneam intellectionem, & voluntas ad actum pravum, & honestum: propterea potentia, & impotentia essentialiter differunt à prima qualitatis specie, quæ subiectum benè, vel malè disponit.

Ad hanc speciem reducuntur omnes virtutes instrumentales, quæ dantur ad simpliciter agendum, vel adiuvandam potentiam, & non ad disponendam naturam benè, vel malè. Et character, licet non sit propriè in genere, vel in specie, reducitur tamen ad secundam speciem qualitatis, ut docet D. Th. 3. p. q. 63. art. 2. in corp.

§. V.

De tertia specie qualitatis.

TErtia species qualitatis prout abstrahit à passione, & passibili qualitate, dicitur qualitas alterationem sensibilem causans, vel ab alteratione sensibili causata. Dividitur autem in *passionem, & passibilem* qualitatem. Ex quibus *passio* multifariã accipi potest 1. pro proprietate consequente essentiam, sicut risibilitas est passio hominis, & lúx est passio solis. 2. pro receptione effectus producti per actionem transeuntem, ut calefieri, infrigidari &c. & sic passio cõstituit prædicamentum *passionis*. 3. pro alterationibus nocivis ad malum terminatis, quæ sunt lamentabiles, & tristes, & etiam pro his, quæ habent magnitudinem nocumenti, sicut magnitudines lamentationum, & exultationum, nam etiam quandocumque propter excessum lætitiæ aliqui mortui sunt, & infirmati, ut, cum ipsa experientia, docet D. Th. 5. Metaph. lect. 20. 4. pro motibus ex appetitu sensitivo pullulantibus, quibus animal fertur ad bonum, & refugit malum, in quo sensu amor, & odium,

deſiderium, & fuga, gaudiũ, & triſtitia, ſpes, & deſperatio, timor, & audacia, & ira paſsiones dicuntur. 5. pro qualitate alterationem cauſante, vel conſequente, de qua ſola loquimur in præſenti. Et in hoc ſenſu *paſsio* dicitur illa, quę reſultat ex alteratione brevi, & facilè tranſeunte, ſicut rubor cauſatus ex verecundia, & pallor ex metu: *paſsibilis* autem *qualitas* reſultat ex alteratione permanente, ſicut color naturalis candidus, & rubicundus, & ideo qualitates iſtę ſolum accidentaliter adinvicem diſtinguuntur, & penes cauſas extrinſecas durationis, à quibus in ſubiecto producuntur, ratione quarum idem numero color rubicundus, qui ex verecundia cauſatus, eſt paſsio, in paſsibilem qualitatem tranſire poteſt ex humore ſanguineo durabilem alterationem inferente.

Ad hanc ſpeciem pertinent omnes ſenſibiles qualitates, quæ ſenſu percipiuntur, & ipſum afficiunt, vel immutant, ſicut calor, & frigus, ſonus, odor, color, ſapor, lux, ſiccitas, humiditas &c. & demùm tota ſpecies huiuſmodi qualitatum ſenſibilium ſub hac tertia ſpecie continentur, ut clariſsimè docet D. Th. 7. Phyſic. lect. 4.

§. VI.

De quarta ſpecie qualitatis.

QUarta, & ultima ſpecies qualitatis, prout abſtrahit à forma, & figura, dicitur qualitas conveniens ſoli ſubſtantiæ corporeæ ratione quantitatis. Dividitur autem *in formam*, *& figuram*. Forma quandoque accipitur pro forma ſubſtantiali, quæ dat eſſe ſimpliciter, quandoque vero pro quocumque actu ſive ſubſtantiali, ſive accidentali: in præſenti autem ſolùm loquimur de forma accepta pro convenienti diſpoſitione quantitatis, qua aliqui dicuntur benè formati, & ſpecioſi forma. In quo ſenſu *forma* dicitur, quæ terminat quantitatem ſecundum bonam, vel malam diſpoſitionem, & includit alia accidentia, quibus ſubiectum apparet ad extra benè, vel malè diſpoſitum. Figura etiam quãdoque accipitur pro ſigno, & imagine; verum in præſenti ſolum loquimur de ea, prout eſt quidam modus reſultans ex terminatione quantitatis: in quo ſenſu *figura* dicitur terminus quantitatis, prę ſcindendo à bona, vel mala diſpoſitione partium.

Sic ergo forma, & figu-

ra

ra conveniunt in hoc, quod utraque resultat ex terminatione quantitatis; sed differunt ad invicem in hoc, quod figura dicit superficiem certis lineis, & angulis, circulo terminatam, ut abstrahit ab hac, & illa materia, videlicet, ut cadit sub consideratione mathematica; sicut triangulus, circulus, &c. nàm *figura* (secundum D. Th. 7. Physic. lect. 5.) est, *quæ termino, vel terminis comprehenditur*, forma vero est terminus quantitatis cum debita dispositione, nec abstrahit à sensibilibus qualitatibus, sed potius illis modificatur. Et in hoc sensu figura formata, dicitur forma, proprieque invenitur in artificialibus, ut figura domus, vel statuę dicitur forma. Nàm ut loco cit. D. Th. docet, *forma dicitur, quæ dat esse specificum artificiato, formæ autem artificialium sunt figuræ.* In rebus autem naturalibus figura formata, quandoque forma, quãdoque figura dicitur, & utroque nomine indifferenter usurpatur. Et hoc ideo est, quia inter omnes qualitates figuræ maximè consequũtur, & demonstrant speciem rerum, ut maximè in plantis, & animalibus patet, in quibus nullo certiori judicio diversitas specierum dijudicari potest, quàm diversitate figurarum. Undè istę qualitates, juxta communem sententiam, solum accidentaliter differunt.

Ad hanc speciem pertinent infinita ferè genera formarum, & figurarum, de quibus Geometræ, non enim fas est in messe aliena falcem immitere nostram.

§. VII.

De proprietatibus qualitatis.

TRes proprietates qualitatis enumerat Arist.

Quarum *prima* est, quod *qualitas habet contrarium riguroſum, & verum*, quod competit soli qualitati, non tamen omni, quia contraria stricta, & riguroſa sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto mutuo se expellunt: ideoque coloribus medijs, fusco v. g. nihil est contrarium strictum, nam quamvis illi opponatur flavum, non tamen maximè distant, cum non sint extrema coloris.

Secunda proprietas est: qualitatem susciperе magis, & minus, quod tamen non convenit omni nam sanitas, & circulus non susciпinnt magis, & minus.

Tertia proprietas est quod *secundum qualitatem dicantur aliqua similia, vel dissimilia.*

Quæ proprietas convenit ſoli qualitati, ſi ſermo ſit de ſimilitudine, & diſſimilitudine propriè dicta, qualiter in præſenti intelligi debet, ut advertit Caietanus: alia enim genera, quæ qualitates non ſunt, ſolũ tranſumptivè, ſeù metaphoricè ſimilia, vel diſſimilia dicũntur. Verum animadvertendum eſt quod ly ſecundum nõ denotat habitudinem cauſæ formalis, ita ut ſenſus ſit, quod aliqua dicantur ſimilia, & diſſimilia formaliter ſecundum ſolam qualitatem: hoc enim eſt falſum, cum ſolum dicantur ſimilia, & diſſimilia pro ut ſic ſecundum relationem ſimilitudinis, & diſſimilitudinis; ſed denotat habitudinem cauſæ fundamentalis, nam fundamentum, quare aliquid dicatur ſimile, vel diſſimile, eſt ſola qualitas, ſicut fundamentalis ratio, quare aliquid æquale, vel inæquale, eſt ſola quantitas.

QUÆSTIO V.

De Actione, & paſsione, & in ea.

ARTICULUS UNICUS

Quid ſit tam actio, quam paſsio?

§. I.

Explicatur utriuſque natura.

DUO hæc prædicamenta ſumma brevitate percurrit Ariſtoteles, cum duas tantum numeret actionis, & paſsionis proprietatates, videlicet, *habere contrarietatem, & ſuſcipere magis, & minus*; & reliqua quatuor fere ſub ſilentio prætermittit: verum, quæ Philoſ. non dixit, Gilbertus Portetanus ſupplevit in libello, quem de ſex principiis, ſeu prædicamentis inſcripſit. Iuxta eius ergo doctrinam, actio in præſenti accipitur pro forma, qua agens conſtituitur in actu ſecundo cauſans, aut aliquem effectum producens.

Sic ergò dividitur in actionem *immanentem*, & *tranſeuntem*. Actio *immanens* (ut docet D. Th. 1. p. q. 54. art. 2. in corp.) non tranſit in rem exteriorem, ſed manet in ipſo agente, ſicut *ſentire*, *intelligere*, & *velle*; per huiuſmodi enim actionem non immutatur aliquid extrinſecum, ſed totum in ipſo agente agitur: & ita huiuſmodi actionibus non correſpondet paſsio prædicamentalis. Propterea que actiones iſtę vere non

non pertinent ad prædicamentum actionis, sed magis ad prædicamentum *qualitatis*.

Ratio autem hujus doctrinę ea est: quia sicùt substantia prędicamentalis est vera substantia, & idem de aliis prędicamentis, ita actio prædicamentalis est vera actio; quod tamen non habet actio immanens, eo quod veræ actioni vera correspondet passio: actioni autem immanenti vera passio non correspondet, aliàs quando objectum intelligitur, verè mutaretur, verèquè diceretur patiens, quod quidem absurdum est.

Actio verò *transiens* (ut loco cit. 1. p. docet ipse D. Th.) illa est, quæ transit in aliquid exterius, inferens ei passionem, sicut urere, & secare; quę ideò transeuntes dicuntur, quia ad aliud mutandum transeunt, (de quibus fusius in lib. 3. Physic. dum de subiecto actionis transeuntis, deque distinctione ipsius ab immanenti non brevi calamo differitur) & hęc actio sola verè prædicamentalis est, & communiter describitur ex doctrina Gilberti: *Forma, secundum quam agens denominatur agere, vel facere in materiam exteriorem sibi subditam*, sicut ignis mediante calefactione mutat lignum, & in eo calorem introducit. Consultò dictum est, *agere, vel facere*, quia actio transiens non tam nomen actionis, quam factionis nomen assumit, ut inquit Doct. Ang. 2. contra Gent. cap. 1.

Actioni autem transeunti correspondet ex parte termini vera passio, quæ est aliud prędicamentum, & sic describitur: *receptio effectus, qui producitur per actionem transeuntem* ut cum ignis calefacit lignum, actio ignis, quatenus egreditur ab illo, dicitur actio, passio verò dicitur, quatenus in ligno recipitur, & ab ea lignū patiens denominatur.

Ex quo constat, actionem, & passionem prædicamentalem distingui formaliter, quia diversas formalitates important; realiter tamen non distingui; eoquod utraque identificatur cum motu, ut docet D. Th. 3. Physic. lect. 5. & consequenter sunt eadem inter se, unde eadem entitas, ut egreditur ab agente dicitur actio, ut via ad terminum, vel effectum, dicitur motus, & ut in subiecto patiente recipitur, passio nominatur. Quod totum perspicuitate mira docet Præcept. Ang. 11. Metaph. lect. 9. ubi obiiciens sibi hoc argumentum

tum, nempe, quod ſi actio, & paſsio ſunt idem, videtur, quod non ſint diverſa prædicamenta, ſic reſpondet: *ſciendum eſt, quod prædicamenta diverſificantur ſecundum diverſos modos prædicandi.* Undè idem ſecundum quod diverſimodè de diverſis prædicatur, ad diverſa prædicamenta pertinet. Locus enim ſecundum quod prędicatur de locante, pertinet ad genus quantitatis: & ſecundum quod prædicatur denominativè de locato, conſtituit prędicamentum ubi. Similitèr motus ſecundum quod prædicatur de ſubjecto, in quo eſt, conſtituit prędicamentum pàſsionis, ſecundum autem quod prædicatur de eo, a quo eſt, conſtituit prędicamentum actionis. Ex quibus verbis apertiſsimè habetur, actionem, & paſsionem eſſe realiter idem, & ſolum formaliter diſtingui penes diverſos modos prædicandi.

§. II.

Solvuntur argumenta.

ARguitur primo: prędicamenta ſunt primò diverſa; ſed actio, & paſsio non ſunt primò diverſa; ergò nequeunt eſſe diverſa, prædicamenta. Prob. min. Illa ſunt primò diverſa, quę nullam habent convenientiam, ut docet D. Th. 10. Metaph. lect. 4. ſed actio, & paſsio aliquam habent convenientiam: ergò non ſunt primò diverſa. Prob. min. Conveniunt in ratione motus, ſeu viæ: ergò aliquam habent convenientiam.

Reſp. neg. 1. & 2. min. & ad probationem diſt. ant. conveniunt in ratione motus *identice, & phyſice*, conc. ant. *tanquam in aliquo ſuperiori univoco*, neg. ant. & conſ. ſub eadem diſtinctione. Motus enim non eſt aliquid commune actioni, & paſsioni per modum gradus ſuperioris, eo quod non habet aliquā aliam naturam ſeparatam a rebus aliis, ſed ad ſummum per modum poſt prædicamenti, inter quæ ab Ariſt. numeratur, & ita ſolum erit communis per identitatem, & in re. Quod quidem non obſcure docet Præcept. Ang. 11. Metaph. lect. 9. per hęc verba: *Motus non eſt aliquid pręter res, omne enim quod mutatur, mutatur ſecundum prædicamenta entis. Et ſicut non eſt aliquid commune decem prædicamentis, quod ſit genus eorum, ita non eſt aliquid genus commune omnium motuum.*

Inſtabis: iuxta datam ſo-

solutionem actio, & passio conveniunt in ratione motus per identitatem, & in re: ergò non possunt constituere prædicamenta diversa. Prob. conseq. Quæ sunt idem realiter, nequeunt constituere diversa prædicamenta, quia prędicamenta sunt primo diversa: ergò si actio, & passio sunt idem realiter cum motu, non possunt constituere prædicamenta diversa.

Resp. negand. conseq. & ad prob. neg. ant. Nam ut aliqua constituant prędicamēta diversa, non est necessaria distinctio realis entitativa. Et instantia est in modo, qui cum suo subjecto realiter entitativè identificatur, v.g, *Sessio cum sedente, & ubi cum re locata*, & nihilominus modus est in uno prędicamento, res vero in alio: sufficit ergo ad constituenda diversa prædicamenta, quod aliqua formaliter, & quidditativè sint primo diversa, licet idē sint materialitèr, & entitativè.

Secundò arguitur: Actio, de qua in præsenti, est causalitas, qua agens constituitur in actu secundo causans; sed huiusmodi causalitas non constituit speciale prędicamentum: ergò actio non est speciale prædicamentum ab aliis condistinctum. Prob. min. Causalitas materię, & formę non constituit prædicamentum speciale: ergo nec causalitas agentis prædicamentum speciale constituit.

Resp. negand. min. & ad probationem, neg. conseq. Et ratio discriminis est, quia causalitates materiæ, & formæ non sunt veræ actiones; & insuper sunt causalitates subiecti incompleti, proterea que non constituunt speciale prædicamentum: nam prædicamenta distinguuntur secundùm accidentia diversa, quæ diversa subiecta completa afficere possunt. Causalitas autem agentis, seu efficientis, est accidens afficiens subiectum completum, eo quod actiones sunt suppositorum. ideòque constituit prædicamentum speciale, quod nomine actionis appellatur.

Instabis: causalitas finis afficit subiectum completum; & tamen non constituit prædicamentum speciale: ergò ex quo causalitas efficientis sit accidens afficiens subiectum completum, non sequitur, quod speciale prædicamentum constituat.

Resp. conces. mai. & min. negand. conseq. Quia causalitas finis non est propria actio, nec verè physi-

ca

ca, sed metaphorica, & intentionalis tantum, potestq; convenire enti non existenti in re, sed solùm in apprehensione, & propterea non constituit speciale prædicamentum. Causalitas autem efficientis est actio physica, & solum potest convenire enti existenti in re, & idcirco speciale prædicamentum constituit. Præterquam quod (ut suprà diximus ex D. Th. lib. 6. art. 5. §. 2. in fine) causa finalis non causat aliquid seorsum ab efficiente, in tantum enim finis habet rationem causæ in quantum movet agentem: ergò licet causalitas finis non constituat speciale prædicamentum, benè tamen illud constituere poterit causalitas efficientis, maximè cum loco ibi cit. asserat D. Th. quod à sola causa efficiente potest denominari aliquid sicut ab extrinseco, quo modo *actio*, quę est ejus causalitas, constituit speciale prædicamentum, ut ibidem docet Præcept. Arg.

Species prædicamenti actionis sunt actiones transeuntes naturales, & artificiales. Naturales, ut comburere, calefacere, &c. Artificiales, ut scribere pingere, ædificare, &c. quarum quælibet in innumeras species subdividitur. Passionis autem species sunt totidem, quotquot sunt species actionis: cuilibet enim actioni productivę effectus sua passio correspondet.

Proprietates verò actionis, & passionis sunt quatùor, quarum duæ ex earum diffinitione colliguntur. *Prima*, quod ubicumque est actio, & passio, ibi est motus, & è contrà: nam hæc trià realiter identificantur, ut suprà diximus. *Secunda*, quod passio est effectus actionis: nam priùs intelligitur conceptus actionis, quàm passionis. *Tertia*, quod actio, & passio suscipiunt contrarietatem, ut calefactio contrà riatur frigefactioni, eo quòd sunt motus, tendentes in terminos contrarios. Et *quarta* demùm proprietas est, quod suscipiant magis, & minùs magis enim calefacit ferrum ignitum, quam carbo, & lignum siccum magis calefit, quàm viride.

Quæ duæ ultimæ proprietates conveniunt actioni, & passioni ratione termini.

***
***

Quæs-

QUÆSTIO VI.

De quatuor ultimis prædicamentis, & in ea.

ARTICULUS UNIC.

Quid sint, & eorum proprietates.

§. I.

De Prædicamentis, Quando, & Ubi.

QUando prædicamentale non accipitur in præsenti pro durationè intrinseca rei, quæ durat, sed pro mensuratione durationis, eo quod mensuratio illa, qua aliquid dicitur esse in tempore, ponit denominationem huius prædicamenti, & in hoc sensu communiter describitur ex doctrina Gilberti, per *esse id, quod resultat in re temporali ex adiacentia temporis*, sicut ex quo res mensuretur tempore, resultat in ea accidens iuxta insecū, dicens respectum ad tempus, & tale accidens dicitur *Quando*.

Species huius prędicamenti sunt præsens præteritum, & futurum. *Quando* præsens resultat ex quo res tempore præsenti mensuretur & idem de aliis proportionabiliter dicendum; & species istæ rursus dividuntur in horam, diem, mensem, & annum.

Proprietates verò sunt, non habere contrarium, nec suscipere magis, & minùs; quia esse heri, & hodie, aut cras, quamvis incompatibilia sint propter successionem temporis, non tamen sunt verè contradictoria: nec aliquid est magis, & minùs, heri, & hodie. Et tandem est próprietas huius prædicamenti, quod solùm conveniat rei temporali, nam solum ista tempore mensuratur non tamen Deus, & Angelis siquidem Deus mensuratur æternitate, Angeli verò mensurantur ævo. De quo uberius in lib. 4. Physic.

Prædicamentum *ubi* sumitur pro accidenti, quod resultat in corpore ex eò, quod sit in loco modo divisibili, & circunscriptivo, quo corpus dicitur circunscriptum, & contentum à loco; & idcirco *ubi* prędicamentale per circunscriptionē diffinitum est ab Authore sex principiorum, videlicet *circunscriptio passiva corporis à circunscriptione activa loci proveniens*, & tale accidens per motum localem adquiritur, quando corpus de uno loco ad alterum tranſit.

Spe-

Species huius prædicamenti ſunt ſex, ut docet D. Th. 3. Phyſ. lect. 9. ſcilicet, ſurſum, & deorſum, ante, & retrò, dextrorſum, & ſiniſtroſum, quæ quidèm ſunt determinata non ſolum quoad nos, ſed etiam in ipſo toto univerſo, ut ibidem Doct. S. egregiè probat per inductionem.

Proprietates verò ſunt, nòn habere contrarium, nec ſuſcipere magis, & minus: eſſe enim in cœlla, & eſſe in æccleſia non ſunt contraria, eo quod licèt repugnet mihi eſſe hic, & eſſe ibi; hoc non eſt propter contrarietatem locorum, ſed quia rei finitæ repugnat eſſe in duplici loco. Et ſimilitèr ſurſum, & deorſum, non ſunt contraria, ſed relativè oppoſita, quod idem dicendum de reliquis ſpeciebus. Neque eſſe in Gymnaſio, aut in foro ſuſcipit magis, aut minus, quamvis unus in gymnaſio dignior em occupet locum, quam alius. Denique proprietas quarto modo huius prædicamenti eſt, quod ſolum competat corpori quanto, quod tantùm circunſcribitur à loco. Quare ubique Divinum, & Angelicum indubiè ab hoc prædicamento excluduntur, maximè cum 1. p. q. 52. art. 1. & 2. aſſerat D. Th. quod *eſſe in loco diverſimodè convenit corpori, & Angelo, & Deo. Nam corpus eſt in loco circunſcriptivè, quia commenſuratur loco, Angelus autem non circunſcriptive, cum non commenſuretur loco, ſed diffinitive, quia ita eſt in uno loco, quod non in alio: Deus autem neque circunſcriptive, neque diffinitive, quia eſt ubique.* Quid autem dicendum ſit de *ubi* ſacramentali, ad Theologos remittimus, quorum negotiũ eſt huiuſmodi diſcutere: quamvis revera ſentiamus, eſſe alterius rationis ab *ubi* prædicamentali, non enim per motum localem adquiri poteſt immediate, & per ſe, ſicut *ubi* prædicamentale.

§. II.

De prædicamentis ſitus, & habitus.

PRædicamentum *ſitus* ſumitur pro accidenti, quod reſultat ex eo, quod partes corporis ſint in loco cum ſpeciali diſpoſitione, v. g. ex quo homo ſit ſedens, vel jacens, curvus, aut rectus, & ita deſcribitur ex doctrina Gilberti, & D. Th. 1. 2. q. 49. art. 1. ad 3. ſcilicet, quod *ſit diſpoſitio partium in ordine ad locum.* Eſt tamen duplex, naturale, videlicet & voluntarium. Naturale eſt, quod corpus habet

bet ex natura ſua, ſicut homo habet pedes in parte inferiori, & caput in ſuperiori loco. Voluntarium verò eſt, quod quilibet habet ex voluntate propria, ſicut ſedere, vel jacere, aut pedes ponere ſupra caput.

Species huius prædicamenti ſunt diſpoſitio naturalis, & præternaturalis, aut voluntaria in ordine ad locum. Diſpoſitio naturalis eſt, quam natura præfixit cuilibet corpori, ſicut homini, ut habeat caput ſurſum, arbori, quod habeat radicem deorſum, ut ex terra alimentum ſumat: & brutis, quod habeant caput ad terram inclinatum. Præternaturalis autem, aut voluntaria eſt, quę convenit ex appetitu animalis, ſicut jacere, vel ſtare, &c. Aſperum ſimiliter, & lenè ad hoc prædicamentum pertinent, quatenus aliquid eſt aſperum ex inæquali diſpoſitione partium in ordine ad locum, lenè verò ex æquali partium diſpoſitione,

Proprietates verò ſunt non habere contrarium, nec ſuſcipere magis, aut minus. Quamvis enim idem non poſſit ſimùl jacere, & ſtare naturaliter, hoc non eſt propter contrarietatem, quia jacere, & ſtare non ſunt qualitates activę, nec fluunt ex activis. Nec etiam unus magis aut minùs ſedet, aut jacet, quam alius, licet poſsit eſſe quod aliquis ſedeat magis quiete, quam alius; & alius non perfectè jaceat, ſed accumbat. Aſperum vero & lene, licet videantur magis & minus ſuſcipere: hoc non habent ex æquali, vel inęquali diſpoſitione, ſed ratione qualitatum. Et denique proprium eſt *ſitus*, quod ſolum conveniat corpori quanto.

Prædicamentum *habitus* eſt quoddam accidens reſultans in corpore, ex quo habeat aliquid, aut veſtem, aut arma, & alia huiuſmodi; quod quidem accidens non conſiſtit in corpore veſtito, nec in ipſa veſte, nec in actione, qua veſtitur, ſed reſultat ex conjunctione corporis ad veſtem; & ita deſcribitur à Gilberto, *quod ſit corporum, vel eorum quæ circa corpus ſunt adiacentia*, ut eſſe veſtitum, armatum, &c.

Species huius prædicamenti ſunt iuxta diverſa genera veſtimentorum, ut eſſe armatum, eſſe loricatum, eſſe trabeatum, eſſe paliatum, eſſe togatum, & alia huiuſmodi, quæ rurſus in varias ſpecies veſtium, & armorum ſubdividuntur.

Proprietates verò ſunt non habere contrarium, &

ma

magis, & minus suscipere: unus enim, & idem homo à pluribus vestimētis potest denominari magis vestitus, & à paucioribus minus. Et tandem est proprium habitus, quod solum conveniat corporibus, & præsertim animalibus. In quo tamen est differentia; nam animalibus brutis ipsa natura providit de vestimentis, & armis; aliquibus enim pilos, aliis cutium grossum, pro vestimento contulit, & pro armis, aliquibus dentes, aliis cornua, aliis ungues, & aliis rostrum dedit: homo verò nudus egressus est de utero matris suæ, & nihil horum à natura accepit, verumtamen habet intellectum, & manus, quibus de rebus exteriobus potest sibi facere vestimenta, & arma. Quare aliqui asserunt hoc prædicamentum non competere brutis animalibus, sed solis hominibus. Nihilominus tamen certissimum est, quod etiam quædam animalia vestimus, & armamus vestimentis, & armis exterioribus. Phalerantur enim equi & simię vestimentis exteriobus induuntur.

Ex dictis in hoc prædicamentorū libro manifestè constat, omnia prædicamenta, etiam sex ultima esse quid intrinsecum; nam si solum essent denominationes extrinsecæ, non constituerent tot, & tanta prædicamenta: eo quod extrinseca denominatio pertinet ad idem prædicamentum, ad quod pertinet intrinseca forma. Sunt insuper sex ultima prædicamenta intrinseca respectiva, non quidem prædicamentalia, sed solum transcendentalia, quatenus important relationem transcendentalem ad terminum, cęterum à termino omninò absoluta sunt.

QUÆSTIO VII.

De Post-prædicamentis, & in ea.

ARTIC. UNIC.

Quot sint, & quæ eorum natura.

IAM quasi magni æquoris sręta transgressi categoriarum, seu prædicamentorum numerum terminavimus, sed quædam restant, quę calcem libri hnius merito debent occupare. Sicut enim in limine necesse fuit quædam prælibare de anteprædicamentis, quę sunt præambula illa, ad notitiam prædicamentorum prævia, ita & in calce agere necesse est de post prædicamentis, quę ideò ta-

lia

lia dicuntur, quia consequuntur prædicamentorum naturam, ut modi quidam incompleti, qui ad nullum prædicamentum pertinent determinatè, sed ferè per omnia divagantur. Quinque autem ab Arist. numerantur videlicet, *oppositio*, *prioritas*, *simultas*, *motus*, & *modus habendi*.

Oppositio, (non propositionum, de qua in Dialectica disseritur,) sed ipsarum rerum diffinitur: *repugnantia rerum inter se*: quæ quidem est quadruplex, scilicet *relativa*, *contraria*, *privativa*, & *contradictoria*. Oppositio, *relativa* est repugnantia inter duo ex eo, quod sese mutuò respiciant; & hæc est omnium minima, in ea enim unum extremum non destruit, sed potius exigit aliud. Oppositio *contraria* est repugnantia inter duas formas, quę sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto mutuo se expellunt, In qua tamen est latitudo, quędam enim contraria sunt, quæ aut non habent medium ut *sanitas*, & *ægritudo*, aut si medium habent, eius vocabulum non apperet, nisi huic oppositorum negatione formetur, ut *justus*, & *injustus* habent quidem medium, sed nomen eius non apparet, atque ideò utriusque oppositi negatio ei vocabulum creat, ut nec iustum, nec injustum dicamus id, quod est medium: & hæc sunt contraria immediata. Quædam verò sunt, quę medium admittunt, *ut album*, & *nigrum*, inter quæ quandoque mediare potest *pallidum*, *vel fuscum*, & hæc dicuntur opposita mediata. Quæ mediata sunt, non est necesse unum de duobus oppositis in corpore reperiri, si enim nigrum non fuerit, potest esse *fuscum*, *vel pallidum*: quę verò immediata sunt, unum necesse est accidere de duobus, *ut sanitas*, & *ægritudo*, &c.

Oppositio *privativa* est repugnantia inter formam, & eius privationem pro eodem loco, & opportuno tempore, *ut viso*, *cęcitas*; utrique namque, & cæcitati, & visioni in oculis locus est. Maximè tamen in his opportunitas temporis quęritur, nam ut inquit D. Aug. in lib. Categoriarum, cap. 18. *Nemo recte calvus dicitur*, *nisi eo tempore*, *quo capillos habere debuerit*, *non habebit*: *nec privatum dentibus infantem quisquam poterit dicere*, *cui dentes adhuc ætas parva denegavit*. Oppositio denique *contradictoria* est repugnantia inter ens, & non ens. Et hęc

eſt omnium maxima : contradictoria enim ita ſe perimunt, ut nihil commune admittant.

Secundum poſtprædicamentum eſt *prioritas*, quę eſt modus quidam, quo una res aliam præcedit: & quinque modis contingit. *Prima*, quę ab Ariſt. recenſetur, eſt prioritas *temporis*, ſicut ſenex eſt prior tempore juvene. *Secunda* eſt prioritas ſecundum ſubſiſtendi conſequentiam, ut quando unum alterum infert non tamen e contra, quomodo animal eſt prius homine: quia ex homine infertur animal, benè namque valet, *eſt homo*: ergò *eſt animal*, ſed non è contra, *eſt animal* ergo *eſt homo*. *Tertia* eſt prioritas *ordinis*, ſicut quando unum præcedit ordine aliud, ut primus inter ſedentes, Logica cæteras ſcientias, & in Rethorica prius dicitur proœmium, dehinc narratio, tùm confirmatio, & poſtremò epilogus ponitur. *Quarta* eſt prioritas *dignitatis*, ſicut Epiſcopus præcedit ſacerdotes, & Rex præcedit Principes. *Quinta* denique eſt prioritas *naturæ* inter ea videlicet, quæ ſunt ſimul tempore, ſed unum eſt cauſa alterius, ſicut ſol præcedit illuminationem, & materia, & forma ſe invicem præcedunt in diverſo genere cauſæ cum hoc tamen diſcrimine, quod ſol dat *eſſe* illuminationi, à qua tamen non dependet in *eſſe*, cum abſolutè poſſit exiſtere ſine illa, & ita ſolùm præcedit illuminationem prioritate *in quo*; forma vero, præſertim corruptibilis, & materia adinvicem dependent in ſuo *eſſe*, & ita ſe invicem præcedunt prioritate *à quo*.

Tertium poſt prædicamentum eſt *ſimultas*. Et alia eſt *temporis*, ſicut ſol, & illuminatio ſimul, exiſtunt in eodem inſtanti. Alia *naturæ*, ſicut inter relativa, quæ *ſunt ſimul natura*, ut ſupra diximus inter explicandas proprietates relativorum prædicamentalium. Alia eſt *diviſionis*, ſicut inter ea, quæ ſimul dividunt genus, ſicut terreſtre, & volatile ſimul dividunt genus animalis. Alia eſt ſimultas *dignitatis*, quæ eſt inter pares ſecundum dignitatem, ſicut inter Regem Hiſpaniæ, & Regem Galliæ. Alia *conſequentiæ*, quæ eſt inter ea, quæ ſe mutuo inferunt, ut inter relativa; vel etiam invicem connexa, ut inter riſibile, & rationale.

Quartum poſtprædicamentum eſt *motus*, qui eſt via, & tendentia ad terminum, & contrariè opponitur cum alijs poſitivis, privativè ve-

ero cùm quiete. Sex autem ſpecies motus ab Ariſt. ennumerantur, ſcilicet generatio, corruptio, accretio, decretio alteratio & ea mutatio, quæ loco accommodatur. De quibus latè Philoſophi in lib, Phiſic. & de Generatione.

Quintùm poſtprædicamentum eſt habitus, vel modus habendi, non quidem habitus, qui eſt prima ſpecies qualitatis, nec accidens reſultans ex adiacentia corporis ad rem habitam: ſed modus quidam incompletus, quo una res dicitur ab alia haberi, aut per inhærentiam, ut anima habet gratiam, aut per continentiam, ſicut corpus continet ſanguinem, aut per poſſeſsionem, ſicut homo habet pecunias, aut per relationem, ſicut Pater habet filium, aut per juxtapoſitionem, ſicut dicitur unum locùm habere alterum locum.

LIBER OCTAVUS

DE POSTERIORIBUS, ET IN EO QUÆSTIO prima de Demonſtratione, & neceſſarijs ad illam.

ARTICULUS I.

Quidnam ad demonſtrationem ſit neceſſarium?

§. I.

Exordium Ariſtotelis explicatur.

POſt ea, quæ ad primam, & ſecundam intellectus pertinent operationem, de illis, quæ ad tertiam dirigendam ſpectant, Ariſt. diſputavit, & ad effectum prædictum duplicem librum inſtituit, alium, quem de priori *analyſi*, vel de priori reſolutione appellavit, in quo examinatur reſolutio ex parte formę, an videlicet ſyllogiſmus rectè ſit diſpoſitus in modo, & figura, ipſum reducendo oſtenſivè, vel per impoſsibile ad ſyllogiſmum perfectum: alium verò librum perfecit, quem de *Poſteriori analyſi*, vel de poſteriori reſolutione nominavit, in quo traditur reſolutio ex parte materię, probando præmiſſas per alia priora principia, uſquequo deveniatur ad primum principium indemonſtrabile, quod eſt cauſa veritatis.

In principio tamen huius libri celebre axioma pronunciavit, quod videlicet: *omnis doctrina, & omnis disciplina intellectiva ex præexistente fit cognitione*: quæ duo in eo differunt, quod doctrina est cognitio, vel notitia, propria industria comparata, disciplina vero est cognitio, vel notitia ab aliquo accepta Præceptore, quę ut à præceptore procedit, dicitur *doctrina*, quatenùs tamen in discipulo recipitur, disciplina nominatur.

Determinat ergò Philosophus, ad omnem cognitionem præexistentem cognitionem, requiri. Addit autem particulam *intellectiva* (ut inquit D. Th. 1. Post. lect. 1.) ad excludendum acceptionem cognitionis sensitivæ, vel imaginativæ, nâm procedere ex uno in aliud, rationis est solùm. Intelligitur tamen de cognitione discursiva inadæquatè accepta, de illa scilicet, quæ ad conclusionem terminatur; sive sit cognitio scientifica, hęc enim ex cognitione præmissarum causatur: sive sit opinativa, vel probabilis, nàm hæc etiam ex cognitione præmissarum procedit. Et hoc patet ex eo, quod Philosophus prædictam propositionem manifestat etiam in disputativis, & Rethoricis disputationibus, per quas non adquiritur scientia.

Quod insuper ex eo suadetur, quod Arist. (texte D. Th. loco cit.) in præsenti procedebat contra Platonem Præceptorem suum, qui, ut evitaret delirium Heraclìti, & Cratili asserentium non dari scientias, in aliud incidit, asserens scientiam non adquiri per demonstrationem, & discursum, & affirmans cognitionem scientificam conclusionis non causari ex cognitione præmissarum; & ut Platonem (cuius amicus erat, sed tamen magis sibi amica veritas) impugnaret, prędictum axioma instituit: intelligitur ergò de cognitione discursiva sumpta inadæquate, ut ad conclusionem terminata, non pręcisè scientifica, (hoc enim esset assumere pro medio id ipsum, quod vertebatur in dubium) sed de omni cognitione discursiva inadæquatè accepta, sive probabili, vel opinativa, sive Rethorica, sive scientifica.

Dictum autem Platonis erat, scientiam de novo non adquiri, sed eam esse nobis à natura inditam ex impressione formarum idealium in animas nostras; impeditam tamen à sensibus, studio, & exercitio indigere, ut se explicaret in actu: unde asserebat

bat ſcire noſtrum non eſſe niſi quodam reminiſci. Et rationem aſsignabat, quia videlicet ſi ea, quæ ſcientificè cognoſcimus, etiam antecedenter non eſſent cognita, non poſſemus deſiderare illa cognoſcere, vel ſcire, nàm deſiderare non poſſumus cognoſcere ea, quorum nullam notitiam habemus.

Sed prædictum effatum chimera eſt, ut conſtat ex pluribus, quæ dicta manent in lib. 3. univerſalium, art. 1. Nec ratio inducta aliquid valet, quia in primis principijs, quæ lumine naturali cognoſcimus, continentur implicitè, & confuſè concluſiones ſcientię, & dum talia principia cognoſcimus, implicitè, & in confuſo concluſiones attingimus: & indè oritur in nobis deſiderium illas explicitè, & in particulari cognoſcendi, quod labore, & ſtudio conſequimur.

§. II.

Præcognita declarantur.

AD diſcurſum autem, & veram demonſtrationem aliqua præcognoſci debent, quę propterea præcognita, ideſt prius cognita nominantur. Et tria ſunt, *principium* videlicet, aut præmiſſę, *ſubiectum*, & *paſsio* quæ quidem prius debere cognoſci, præter teſtimonium D. Th. & Philoſ. hic lect. 2. etiã ratio ipſa ſuadet: nam ad cognoſcendam ſcientificè cõcluſionem, debent cognoſci præmiſſę, quæ ſunt concluſionis principia, per quę concluſio cognoſcitur; ſed præmiſſæ cognoſci non poſſunt, niſi cognoſcantur ſubiectum, & paſsio, quæ ſunt extremitates præmiſſarum: ergó tria aſsignata, videlicet *principium*, aut præmiſſæ *ſubiectum*, & paſsio debent eſſe præcognita, aut prius cognita ante ſcientificum concluſionis aſſenſum.

Obijcies: præter aſsignata præcognita, debet etiam præcognoſci bonitas conſequentię, quia non poteſt quis cognoſcere ſcientificè concluſionem, niſi cognoſcat præmiſſas benè concluſionem inferre; ſimiliter etiam ante concluſionem debet præcognoſci medium, cum virtute medij concluſio inferatur: ergó inſufficienter aſsignantur præcognita.

Reſp. bonitatem conſequentiæ pertinere ad formam demõſtrationis, & eſſe præcognitum prioriſticum ideoque illam in præſenti non ponimus, ubi ſolum præcognita poſterioriſtica aſsignamus.

Quod vero attinet ad medium, dicimus illud quidem esse prę cognitum, sed non distinctum à præmissis: quia ex medio formari debent præmissæ, ut inferant conclusionem.

Instabis: sicut prę missæ includunt medium, ita etiam includunt subiectum, & passionem; sed subiectum, & passio sunt præcognita distincta à prę missis: ergò etiam medium debet esse præcognitum à præmissis distinctum.

Resp. neg. conseq. & ratio discriminis est, quia subjectum, & passio se habent ut materia comparativè ad præmissas, & conclusionem, medium vero se habet ut forma præmissarum, ratione cujus inferunt conclusionem: & ideo licet subjectum, & passio sint prę cognita à præmissis distincta, non tamen medium.

Dices: sicut forma rei non ponit in numero cum materia, ita materia non ponit in numero cum forma, sed subiectum & passio, sunt materia præmissarum, sicut medium est forma: ergò sicut medium non ponit in numero cum præmissis, ita etiam subiectum, & passio, vel è contra, si subiectum, & passio ponunt in numero, etiam medium.

Resp. dist. conseq. cum præmissis *in esse rei, & absolute*, conc. conseq. *in ratione prægogniti*, neg. conseq. Sicut enim forma non ponit in numero cum re absolutè, & in esse rei, ita etiam non ponit in numero cum re illius materia; ex quo solùm sequitur, nec medium, nec subiectum, & passionem absolutè, & in esse rei ponere in numero cũ præmissis: cæterum in ratione prę cogniti subiectum, & passio necessario ponunt in numero cum præmissis, quia de *præmissis* solùm præcognoscitur, an sint veræ, de *subiecto* vero debet præcognosci, quid sit, & an sit possibile, de *passione* vero debet præcognosci quid significet, *de medio* vero solùm prę cognoscitur an sit verum, sicut de præmissis cognoscitur, & ideò solùm medium in ratione præcogniti non ponit in numero cum præmissis.

§. III.

De præcognitionibus.

DE his ergo præcognitis debent etiam aliqua prę cognosci, quæ propterea *præcognitiones* appellantur: & hæc sum *an sit*, & quid sit, quarum quælibet in alias duas subdividitur, scilicet in *an sit rei*, & *in an sit veritatis*, & *in quid sit rei*, & *quid*

quid ſit nominis. Quæ omnia iuxta diſtributionẽ accomodã de præcognitis aſsignatis debent præcognoſci. De *præmiſſis* namque debet præcognoſci, *an ſint veræ*, eo quod cognitio veritatis concluſionis cauſatur ex cognitione veritatis præmiſſarum. Non tamen debet præcognoſci de præmiſsis *quid ſint*: quia ut inquit D. Th. 1. Poſt. lect. 2. *complexa non diffiniuntur, hominis enim albi non eſt aliqua diffinitio, & multo minus enuntiationis alicuius. Unde cum principium ſit enunciatio quædam, non poteſt præcognoſci de ipſo quid eſt, ſed ſolum quia verum eſt.*

Dices: de aliquo principio demonſtratur, quod ſit verùm: ergó de præmiſsis non debet præcognoſci, an ſint veræ, quia omnium eadem ratio eſt. Prob. ant. Propoſitio, quæ eſt principium unius concluſionis, poteſt eſſe concluſio reſpectu alterius, ſicut tertia paſsio eſt principium quartæ, & concluſio reſpectu ſecundę: ergò de aliquo principio demonſtratur, quod ſit verum.

Reſp. quod aliquando demonſtratur de principio, quod ſit verum, ſed non de illo formaliter ut eſt principium, ſed ſolum de illo quatenus concluſio eſt, ut conſtat in exemplo in replica facto: & ideò de principio formaliter ut tali, debet præcognoſci, an verum ſit.

De alio vero præcognito, videlicet de *ſubiecto* debet præcognoſci an ſit, non tamen an ſit exiſtens, quia ſcientia abſtrahit ab exiſtentia, ſed ſolum *an ſit poſsibile.* Similiter debet præcognoſci de illo *quid ſit*, aut quam habeat eſſentiam, eo quod eſſentia ſubjecti non probatur a priori, ſed potius ex illa procedit intellectus ad paſsiones demonſtrandas. Quod totum loco ſupra cit. docet Præcept. Ang. per hæc verba: *ſubiectum diffinitionem habet, & eius eſſe à paſsione non dependet, ſed ſuum eſſe proprium præintelligitur ipſi eſſe paſsionis in eo: & ideo de ſubiecto oportet præcognoſci, & quid eſt, & quia eſt, præſertim cum ex diffinitione ſubiecti, & paſsionis ſumatur medium demonſtrationis.*

Dices: Theologia probat exiſtentiam ſui obiecti. ergó *an eſt* obiecti, vel ſubiecti non debet præcognoſci. Prob. ant. Theologia probat Deum exiſtere; ſed Deus eſt objectum illius: ergò probat exiſtentiam ſui obiecti.

Reſp. Theologiam probare exiſtentiam ſui objecti, non tamen ex proprijs, ſed ex principijs Metaphiſicæ, ut videri eſt in D. Th. 1. p. q. 2.

art. 3. Ideóque prædicta demonſtratio procedit à Theologia imperativè, ſed electivè tantùm â Metaphiſica procedit: undè ad demonſtrationem propriam Theologię ſupponitur præcognita exiſtentia ſui objecti.

De tertio tandem præcognito, videlicet de *paſsione* debet præcognoſci, non quidem *an ſit*, vel conveniat ſubjecto, hoc enim per demonſtrationem concluditur, ſed ſolùm debet præcognoſci *quid ſit nominis*, id eſt, quid ſignificet nomen paſsionis, quia ſi intellectus ignorat, quid ſignificat nomen, non poterit rem per nomen ſignificatam attribuere ſubiecto, proindeque concluſionem, vel paſsionem convenire probare non poterit.

§. IV.

Quid, & quotuplex ſit propoſitio immediata, & per ſe nota.

CUm demonſtratio conſtare debeat ex propoſitionibus immediatis, & notioribus, cauſiſque concluſionis, ex earum notitia pendet etiam notitia demonſtrationis, & ideo præoculis habendum eſt, aliquas eſſe propoſitiones, in quibus prædicatum convenit ſubiecto abſque aliquo medio, ut in hac: *homo eſt animal rationale, &c.* alias etiam eſſe, in quibus inter prædicatum, & ſubiectum mediat aliquid realiter ab utroque diſtinctum, ut in hac: *homo eſt riſibilis*, in qua inter prædicatum, & ſubiectum mediat admirativum realiter diſtinctum ab utroque: & in his propoſitionibus ſecundi generis poteſt prędicatum verè de ſubiecto demonſtrari.

Propoſitio tamen, in qua prędicatum convenit immediatè ſubjecto, appellatur immediata, & diffinitur ab Ariſt. in 1. Poſt. lect. 5. apud D. Th. *eſſe illam, qua non eſt altera prior.* Hæc autem eſt duplex *univerſalis* videlicet, *& particularis*. *Univerſalis* ea eſt, quę ad omnem ſcientiam ſupponitur, & conſtat terminis communiſsimis, ſicut *quodlibet eſt, vel non eſt, quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, quorum contrarium nullus credere mente poteſt, etſi ore proferat. Et hęc etiam propter huiuſmodi principiorum certitudinem ad manifeſtandum alia appellatur *maxima propoſitio*, & etiam *dignitas*, eo quod propter ſui claritatem digna eſt, ut ſine diſcurſu illi præſtetur aſſenſus. *Particularis* verò ea eſt, quæ

in

in scientia particulari se habent ut primum principium indemonstrabile; ut in quacumque scientia talis est propositio, in qua diffinitio de subiecto proprio scientię prædicatur: & hæc solet appellari *positio*, & quandoque in ipsa scientia explicatur, sed verè non probatur intra illam, quin potius ut vera ponitur, & supponitur ut talis, & propter hoc fortasse *positio* nominatur, ut loc. cit. indicat D. Th.

Ex his constat, propositionem *per se notam* esse illam, quę non per aliud medium cognoscitur, sed cognita significatione terminorum statim innotescit, ut hæc: *homo est animal rationale*. Undè idem est propositionem esse immediatam, & esse per se notam, solumque differunt ex modo significandi, quatenùs esse immediatam est quasi causa essendi per se notam, & ideò propositio est per se nota, quia est immediata, consequenterque una per aliam potest benè quoad explicitum probari.

Notandum tamen est, cum D. Th. 1. p. q. 2. art. 1. propositionem *per se notam*, aliam esse per se notam *secundum se*, & *non quoad nos*, aliâ verò esse per se notam *secundum se*, & *quoad nos*. Prima est, in qua prædicatum includitur in ratione subiecti, nos autem non benè percipimus naturam subiecti; sicut hæc propositio *Deus est*, quantùm in se est, per se nota est, quia prędicatum est idem cum subiecto, Deus enim est suum esse: sed quia nos non scimus de Deo, *quid est*, non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari per ea, quæ sunt magis nota quoad nos, & minus nota quoad naturam, videlicet per effectus. Secunda verò est, in qua omnibus notum est de prædicato, & subiecto *quid sit*, sicut prima principia demonstrationum, quorum termini sunt quædam communia, quæ nullus ignorat: v. g. *omne totum est maius sua parte, homo est animal rationale*. Undè contingere potest, quod aliqua propositio sit communis animi conceptio, & per se nota apud sapientes tantùm, v. g. *incorporalia non esse in loco*, quę tamen per se nota non sit apud illos, qui prædicatum, & subiectum huius propositionis ignorant.

Obijcies 1. hęc propositio *nix est alba* est per se nota, & tamen probari potest per aliquod medium; videlicet per temperamentum nivis: ergò non omnis propositio per se nota immediata est.

Resp. prædictam propositionem esse per se notam quoad

quoad sensum, non tamen quoad intellectum, & ideò mirum non est, intellectum habere medium per quod illã probare possit. Verùm sensus, qui purè sistit in exterioribus accidentibus, ignorat rationem eorum, quorum intellectus, qui ad interiora velaminis transit, rationem, & causam demonstrat. Et idcircò dixit Arist. 2. Topic. cap. 2. quòd is, qui negaverit nivem esse albam, sensu indiget, non medio.

Objicies 2. hæc propositio *homo est admirativus* est per se nota, & tamen habet medium, per quod probari possit: ergò non omnis propositio per se nota immediata est. Prob. min. inter admirativum, & hominem mediat hominis diffinitio, quę est vera causa respectu primæ passionis, & ex natura rei est notior, quam ipsa passio: ergò prædicta propositio habet medium per quod probari possit.

Ad hoc argumentum (omissa sententiarum varietate) resp. neg. mai. Nàm propositio secundùm se demonstrabilis nequit esse immediata, & per se nota; talis autem est hæc propositio *homo est admirativus*, est enim secundùm se scibilis, eo quod illud est per scibile, quod est cognoscibile per causam, nàm scire est rem per causam cognoscere, prædicta autem propositio per causam cognoscibilis est, siquidem diffinitio subiecti est vera causa, à qua *esse admirativum*, quod est prima eius passio, verè dimanat. Nec valet dicere, primam passionem esse immediatè connexam cum diffinitione subiecti, proindeque non posse per ipsam diffinitionem demonstrari: nam etiam prima passio immediatè connectitur cum secunda, ut intellectus cum voluntate, & intelligibilitas cum immaterialitate, & tamen secunda passio verè demonstratur per primam, & voluntas per intellectùm, & intelligibilitas per immaterialitatem. Non ergò immediata connexio primæ passionis cum diffinitione tollit, quod per illam demonstretur.

Addimus, quod propositio immediata, ut docet D. Th. 1. Post. lect. 5. ea est, *cujus prædicatum est in ratione subiecti*; prima autem passio non est in ratione subiecti, cũ non sit illi essentialis: igitur propositio in argumento relata immediata non est.

Instabis: D. Th. 1. Post. lect. 36. affirmat propositionem illam, in qua prima passio prędicatur de subiecto, esse indemonstrabilem, sicut & aliam,

aliam, in qua genus prædicatur de proxima ſpecie: ergò doctrina noſtra contra D. Th. procedit.

Reſp. D. Th. loco cit. ſolùm affirmare eſſe indemõſtrabilem propoſitionem illam, in qua prima paſsio prædicatur de ſubiecto proximo, quòd eſt diffinitio ſubiecti, ut manifeſtè patet ex verbis ipſius loco cit. in lit. f. quæ ſic ſe habent: *ſunt quædam principia indemonſtrabilia affirmativa, in quibus unum de alio prædicatur ſignificando, quod hoc eſt eſſentialiter illud, ſicut cum genus prædicatur de proxima ſpecie, vel hoc, ſit in illo, ſicut cum paſsio prædicatur de proprio, & immediate ſubiecto.* Et hoc autem ſolùm ſequitur primam paſsionem non poſſe demonſtrari de diffinitione ſubiecti, non tamen demonſtrari non poſſe de ſubiecto per eius diffinitionem, quod nos tantum affirmamus.

Dices: inter primam paſsionem, & ſubiectum non mediat aliquid, quod ſit mediũ ſecundùm ſe, nàm diffinitio ſolùm eſt medium quoad nos, & ſolùm quoad nos à ſubiecto diſtincta: ergò prædicta propoſitio eſt immediata ſecundùm ſe.

Reſp. quod licet diffinitio tantùm penes implicitum, & explicitum diſtinguatur à ſubiecto, eſt tamen vera cauſa reſpectu primæ paſsionis; & ideo non ſolùm quoad nos, ſed etiam ſecundùm ſe eſt medium reſpectu illius, ſicut una paſsio entis eſt medium ſecundùm ſe reſpectù alterius, & tamen paſsiones entis identificantur inter ſe, & cum ente, & ſola ratione differunt.

§. V.

De *propoſitione de omni, de modis per ſe, & de prædicato univerſali.*

VLtra omnia ſupradicta (ut docet D. Th. 1. lect. 9.) neceſſarium eſt ad plenam demonſtrationis notitiam, ſcire ea, quæ in titulo huius §. numerantur. Et in primis notandum eſt, eſſe diſcrimen inter *dici de omni prioriſticum*, hoc eſt, ex parte formæ, & *dici de omni poſterioriſticũ*, ex parte videlicet materiæ: nàm dici de *omni prioriſticũ eſt*, quod nihil ſit quod ſit ſubſumere ſub ſubiecto, ſive verè, ſivè falsò, ſive contingenter, ſive neceſſario, de quo non dicatur prædicatum, unde propoſitio de omni prioriſtico eſt propoſitio de termino communi diſtributivo, ſive vera, ſive falſa, in qua quidquid dicitur de ſubiecto prædicatur de omni, quòd ſub-

ſubiecto continetur.

Dici vero de omni poſterioriſtico conſiſtit in eo, quod nihil ſit ſubſumere ſub ſubiecto, de quo vere, & neceſſariò nõ dicatur prędicatũ, ſive ſubjectum diſtributum, vel non diſtributum ſit; ſicut in his propoſitionibus *homo eſt rationalis*, *homo eſt riſibilis*: in quibus propter connexionem neceſſariam ſemper, & in omni tempore convenit ſubiecto prędicatum, & ideo propoſitio neceſſaria ſemper eſt de omni poſterioriſtico, & omnis propoſitio de omni poſterioriſtico ſemper neceſſaria eſt.

Inſtabis: iſtæ propoſitiones in omni vere ſunt tonitrua, in omni hyeme ſunt pluvię, ſol oritur, ſunt de omni poſterioriſtico, quia de illis datur ſcientia, quæ ſolùm eſt de neceſſarijs; & tamen prædicatum non ſemper convenit ſubiecto, nam ſol veſpere non oritur, & aliquando in vere, non ſunt tonitrua, nec in hyeme ſunt pluviæ: ergò non in omni propoſitione de omni poſterioriſtico prædicatum convenit ſubiecto ſemper, & in omni tempore.

Reſp. propoſitiones illas non eſſe neceſſarias abſolutè in re, ſed ſolùm regulariter, & eo modo, quo intelliguntur à nobis, nàm in omni vere eſſe regulariter tonitrua, & in omni hyeme eſſe regulariter pluvias, propoſitiones neceſſariæ ſunt. Alia etiam neceſſaria eſt ſumpta pro determinato tempore, pro diluculo videlicet, in quo ſemper oritur ſol, & in hoc ſenſu per ſcientiam demonſtratur.

Circa ſecundam propoſiti partem, videlicet de *modis per ſe* animadvertendum eſt, quod prædicatum *per ſe*, in communi loquendo, illud eſt, quod opponitur prędicato *per accidens*. Quatuor autem modos *per ſe* Ariſtoteles aſſignavit, qui quidem in 1. Poſt. lect. 10. diſtinguuntur à D. Th. ex diverſa acceptione illius prępoſitionis *per*. Nàm hæc propoſitio *per* interdum deſignat ſitum, ſicut dicitur *eſſe aliquis per ſe*, *quando eſt ſolitarius*. Interdum autem deſignat habitudinem cauſæ; aliquando quidem formalis, ſicut dicitur, *quod corpus vivit per animam*: aliquando autem cauſæ materialis, ſicut dicitur, quod corpus eſt coloratum per ſuperficiem; & quandoque cauſę extrinſicæ, & prępiuè efficientis, ſicut cum dicitur, *quod aqua calefacit per ignem*.

Primus ergò modus dicendi *per ſe* eſt, quando id, quod attribuitur alicui pertinet

per

ſiet ad formam ejus. Et quia diffinitio ſignificat formam, & eſſentiam rei, primus modus ejus, quod eſt per ſe, eſt quando prædicatur de aliquo diffinitio, vel aliquid in diffinitione poſitum, ſicut *homo eſt animal rationale*, *homo eſt animal*, *vel homo eſt rationalis*. *Secundus* modus dicendi *per ſe* eſt, quando hęc præpoſitio *per* deſignat habitudinem cauſæ materialis, quare ſecundus modus ejus, quod eſt per ſe, eſt, quando propria paſsio prędicatur de ſubjecto, vel ſubjectum ponitur in diffinitione prędicati, quòd eſt proprium accidens ejus, ut in hac *homo eſt riſibilis*, & quándo ſubiectum prædicatur de paſsione propria, ſicut in hac *riſibile eſt homo*, quia ſubjectum eſt pars diffinitionis, & prędicatum eſſentiale reſpectu propriæ paſsionis conſideratæ in concreto.

Dices: propoſitio, in qua accidens commune prædicatur de ſubjecto, eſt accidentalis; & tamen ſubjectum eſt de diffinitione prędicati, ſiquidem omne accidens diffinitur per ordinem ad ſubjectum: ergò non omnis propoſitio, in qua ſubjectum eſt de diffinitione prædicati, eſt in ſecundo modo dicendi per ſe.

Reſp. ad ſecundùm modum dicendi per ſe pertinere propoſitionem, in qua ſubjectum eſt de diffinitione prędicati, & inſuper prædicatum dimanat ab eſſentia ſubjecti, quod tamen accidens commune non habet.

Tertius modus dicendi *per ſe* eſt quando præpoſitio *per* ſignificat aliquid ſolitarium, & ita tertius modus *per ſe* eſt, quando aliquid exiſtit per ſe, & non in alio: ſicut *ſubſtantia*. *Quartus* denique modus dicendi *per ſe* eſt, ſecundùm quod præpoſitio *per* deſignat habitudinem cauſæ efficientis, & ita quartus modus perfectatis eſt, quando de cauſa per ſe prędicatur eius effectus, ut in his: *calidum calefacit*, *ædificator ædificat*. Ex quibus duo modi priores ſunt modi per ſe prędicandi, propoſitioneſque in illis conſtitutę ſunt neceſſariæ, & ideò demonſtrationi deſerviunt. Tertius verò modus eſt modus per ſe eſſendi, & quartus per ſe cauſandi: propoſitioneſque in illis conſtitutæ abſolutè ſunt accidentales, *ut ſubſtantia exiſtit*, *ædificator ædificat*, & ideircò ſic acceptæ non ſerviunt demonſtrationi. Et tandem hi duo modi poſſunt aliquando coincidere cum aliquo ex primis modis, quia etiam ſubjectum eſt cauſa primæ paſsionis, ſed ut

c-

terialiter coincidunt ; quia prima passio naturaliter connectitur cum subjecto, & subjectum est de illius diffinitione: propterea que semper in secundo modo dicendi *per se*, de subjecto prædicatur.

De ultimo tamen, quod in titulo §. propositum est, scilicet *de prædicato universali*, asserimus cum D. Th. 1. Post. lect. 11. quod universale non hoc modo accipitur, prout omne, quod prædicatur de pluribus, dicitur universale; sed dicitur universale secundùm quamdam adaptationem, vel adæquationem prædicati ad subjectum, cum scilicet neque prædicatum invenitur extra subjectum, neque subjectum sine prædicato. In quo sensu propositio de prædicato universali illa est, *in qua prædicatum universaliter convenit subiecto per se, & secundum quod ipsum*, id est, secundum qnod tale: sicut in his *homo est rationalis*, *vel homo est risibilis*, in quibus prædicatum convenit homini secundùm quod homo est. Hæc tamen propositio homo est sensibilis, quamvis sit *de omni*, *& per se*, non tamen est *de prædicato universali*, quia sensibile non convenit homini, secundùm quod homo, sed secundùm quod animal est. Quare, ut aliqua propositio sit *de prædicato universali*, tres conditiones requiruntur. 1. ut sit de omni, id est, ùniversaliter dicatur de quocumqne subsumpto sub subjecto. 2. ut sit *per se*, id est necessariò conveniens in primo, vel secundo modo dicendi per se. 3. ut prædicatum, & subjectum dicantur ad convertentiam. Quæ omnes manifestè apparent, tùm ex text. Philos. qui ait: *universale autem dico, quod, cum de omni sit, & per se, & secundum quod ipsum est*, cum ex glossa D. Th. ibidem loco supra cit.

Præoculis tamen habendum est, quod ad scientiam non requiritur necessariò demonstrationem constare propositionibus *de prædicato universali*, sed satis est, quod ex propositionibus *de omni*, *& per se*, sive necessarijs fiat: ut videre poterit studiosus apud Cajetanum hic cap. 4. & 5. ubi mira perspicuitate doctrinam à nobis in hoc §. datam longè, latèque edisserit.

)(o)(

*** ***
*** ***
***
***

AR-

ART. II.

Quid & quotuplex ſit demonſtratio?

§. I.

Diffinitio demonſtrationis traditur.

EXplicatis jam omnibus illis, quæ ad demonſtrationem requiruntur, neceſſarium eſt ipſam demonſtrationem exponere, quæ quidem eſt artefactum quoddam compoſitum ex propoſitionibus, ut materia, & ex diſpoſitione ſyllogiſtica tanquam forma.

Demonſtrationem autem dupliciter Ariſtoteles diffinivit primò quidem in ordine ad effectum, dicendo: *demonſtratio eſt ſyllogiſmus ſcientialis, ideſt faciens ſcire*, ut eum eo docet D. Th. 1. Poſt. lect. 4. lit. g. Quod ſi intelligitur de ſcientia actuali, aut aſſenſu ſcientifico, convenit demonſtrationi inadæquate ſumptæ ſecundùm ſolas præmiſſas. Si verò accipiatur *ſcire* pro ſcientia habituali, ſic demonſtratio ſumpta adæquatè, & quatenùs etiam concluſionem includit, cauſat ſcientiam, nam habitus ſcientiæ per aſſenſum concluſionis generatur. Benè tamen diffinitur demonſtratio in ordine ad talem effectum proprium, quia quodlibet artefactum benè diffinitur in ordine ad proprium finem, ſicut domus diffinitur benè per ordinem ad finem defendendi nos à temporis tempeſtate.

Secundo, demonſtrationem diffinivit, Ariſt. ex parte materiæ proximè per hæc verba: *demonſtratio eſt ſyllogiſmus procedens ex primis, veris, & immediatis, notioribus, prioribus, cauſiſque concluſionis.* In qua diffinitione (ſicut etiã in præcedenti) *ſyllogiſmus* ponitur loco generis, in hoc enim convenit demonſtratio cum ſyllogiſmis opinativis, & fallacibûs. Aliæ verò particulæ loco differentiæ ponuntur.

Inſuper etiam particulas huius diffinitionis explicamus. Particula *primis* denotat principia, ex quibus fit demonſtratio eſſe indemonſtrabilia, & quibus non ſint alia priora, vel ſi alia priora ſint, in ea utique reſolvantur principia demonſtrationis, & in eodem ſenſu intelligitur eſſe *immediata*, vel quia carent medio, vel reducuntur ad alia, quæ medio carent: unde ſunt immediata virtualitèr, quatenùs continentur in principijs immediatis, & ad ea reducuntur,

tur, & nullus per principia mediata ſcientiam adquirit, niſi ſciat illa ad principia immediata reſolvere.

Alia particula *veris* intelligitur de propoſitionibus veris, non veritate contingente, ſed neceſſaria, nam præmiſſæ debent eſſe, propoſitiones *de omni*, & *per ſe*, eo quod ſcientia attingit concluſiones infallibiliter veras, quæ non ſequuntur ex principio contingenti. Quę quidem intelligentia eſt valdè conſona doctrinę Ang. Præc. 1. poſt. lect. 4. lit. i. ubi docens, qualiter demonſtratio procedat ex propoſitionibus primis, & immediatis, ſic explicat verba Ariſt. id eſt quæ non per aliquod medium demonſtrantur, ſed per ſe ipſas ſunt manifeſtæ: *quæ quidem immediatæ dicuntur, in quantum carent medio demonſtrante, primæ autem inordine ad alias propoſitiones, quæ per ea probantur.* Et rurſus in lit. n. ſic ait: demonſtratio oportet, quod procedat ex immediatis, vel ſtatim, vel per aliqua media. De particula autem *veris* ſic loquitur Doct. Ang. in eadem lect. lit. m. *oportet id, quod ſcitur, eſſe verum & ſic concluſionem demonſtrationis, quæ facit ſcire, oportet eſſe veram, & per conſequens eius propoſitiones. Non enim contingit verum ſcire ex falſis.* In quibus verbis doctrina data clariſsimè continetur.

Dices bené valet, *homo ridet*: ergò *eſt riſibilis*, & tamen antecedens eſt contingens: ergò ex principio contingenti poteſt ſequi infallibilis concluſio.

Reſp. concluſionem prædictam ex vi principij ſolùm eſſe infallibiliter veram veritate conſequentię, quatenùs infertur infallibiliter, non tamen eſſe infallibiliter verâ veram veritate conſequentis, quia ſicut antecedens poteſt aliter ſe habere, ita & conſequens abſolutè aliter ſe habere poteſt: concluſio verò in demonſtratione non poteſt etiam abſolute aliter ſe habere.

Aliæ verò particulæ *prioribus cauſiſque concluſionis* facilè intelliguntur: præmiſſæ namque relative ad concluſionem priores ſunt, & ſimiliter concluſionem cauſant, & inferunt.

Dices: ſi præmiſſæ ſunt cauſæ concluſionis erunt etiã priores, quia cauſa in quantum cauſa prior eſt: ergo particula *prioribus* redundanter in deffinitione ponitur.

Reſp. particulam prędictam poni ad majorem explicationem, quia prioritas, & antecedentia reſpectu concluſio-

ſionis expreſsiùs per iſtam particulam *prioribus*, quam per alteram explicatur.

Dices 2.: Unum attributum Dei per alterum demonſtratur, ſicut voluntas per intellectum; & tamen unum attributum alterius cauſa non eſt: ergò demonſtratio non debet conſtare ex *cauſis*.

Reſp. particulam illam non intelligi de cauſa rigoroſa præciſè, ſed de cauſa rigoroſa, vel de ratione à priori, & unum attributum divinum, quamvis non ſit cauſa alterius, eſt tamen ratio illius à priori: ſicut una paſsio entis verè per alteram demonſtratur, & tamen una non eſt alterius cauſa, ſed ſolùm ratio à priori, cum ſint realiter idem.

Alia tandem particula *notioribus* rectè ponitur, quia propter præmiſſas eſt nobis nota concluſio: ergò præmiſſæ debent eſſe notiones, & certiores concluſione, nam *propter quod unumquodque tale, & illud magis*, ſicut 1. poſt. lect. 6. apud Div. Thom. Ariſt. affirmat, ut ſi amamus diſcipulum propter Magiſtrum, Magiſtrum amamus magis. Sed concluſiones ſcimus, & eis credimus propter principia: ergò multòmagis ſcimus principia, & magis eis credimus, quam concluſioni, ut ibidem docet D. Th.

Dices contra veritatem principij: ſanguis minuitur propter ſanitatem, & tamen ſanitas non magis minuitur, quia ſanitas in indiviſibili conſiſtit. Terra eſt calida propter ſolem; & tamen ſol non eſt magis calidus, concluſio etiam ſcitur propter principia, & tamen principia non magis ſciuntur, quia principia non cognoſcuntur per ſcientiam, ſed lumine naturali. Paries ſimiliter eſt alba propter albedinem, & tamen albedo non eſt magis alba. Animal eſt riſibile propter hominem, & tamen homo non eſt magis riſibilis. Filius eſt homo propter patrem generantem, & Pater non eſt magis homo: ergò principium, in quo fundatur veritas explicationis, verum non eſt.

Verumtamen quia principium veriſsimum eſt cum conditionibus, quę in eo ſub intelligi debent; quarum *prima* eſt, quod cauſa, & effectus conveniant in eodem nomine, ſeu denominatione, & prędicatum con-

veniat utrique formaliter, & unum ſit tale, quia alterum eſt tale, ſicut ignis eſt magis calidus, quam ea, quæ per ignem calefiunt, ut loco ſup. cit. docet Div. Thom. defectu huius conditionis primę inſtantiæ non verificantur, quia ſol non dicitur formaliter calidus, ſicut terra, licet ſit in eo aliquid dignius, ſcilicet, virtus quædam, quę eſt principium caloris. Nec principia dicuntur ſciri, nec albedo dicitur alba, nec ſanguis ideo minuitur, quia ſanitas minuatur.

Secunda conditio eſt, quod forma denominans utrumque, ſuſcipiat magis,& minus, & ideó quamvis filius ſit homo propter patrem,non ideò Pater eſt magis homo,quia ratio hominis non ſuſcipit magis, & minus; & idem de ſanguine, & de ſanitate dicendum, nàm etiam ſanitas magis, & minus non ſuſcipit.

Tertia conditio eſt, quod non ſit eadem forma in utroque, ratione cúius non valet, animal eſt riſibile propter hominem: ergo homo eſt magis riſibilis, quia in homine, & animali eadem riſibilitas eſt. Nec etiam valet, ſi dicatur Filius ſpirat ſpiritum ſanctum propter Patrem: ergò Pater magis ſpirat, quia uterque ſpirat per eandem formam ſpirativam. Cæterum eſſe notum, & certum convenit formaliter præmiſsis, & concluſioni, & præmiſſæ ſunt concluſionis cauſa, & non eſt eadem certitudo in utroque; & tandem certitudo ſuſcipit magis, & minus: ac proinde nihil deficit, ut proverbium in præmiſsis, & concluſione verum ſit. Haenim, & non alias condis tiones ad veritatem huius proverbij exigit Doct. Ang. ut videri eſt 1. poſt. lect. 6. 1. part. quæſt. 87. art. 2. ad 3. & 1. diſt. 12. quæſt. 1. art. 2. ad 2. & 2. Metaph. lect. 2. & quęſt. 10. de verit. art. 9. ad 3. ex quibus locis conditiones iſtę deducuntur.

Obijcies contra veritatem explicationis traditę. Præmiſſæ non poſſunt excedere in certitudine concluſionem, nec in ratione magis noti: ergó non poſſunt eſſe certiores, & notiores concluſione. Prob. ant. primo: cauſa naturalis influit ſecundùm totam virtutem, & ultimum poſſe; ſed præmiſſæ ſunt cauſa naturalis concluſionis: ergò

quid


quidquid habent communicant conclusioni, consequenterque non possunt illam excedere in certitudine, & ratione magis noti.

Secundo prob. ant. Intellectus æqualiter adheret præmissis, & conclusioni, & in vi eiusdem principij, scilicet ratione illius, *quæ sunt eadem uni tertio*, sunt eadem inter se; sed in adhesione intellectus ad rem consistit certitudo: ergó præmissę non excedunt in certitudine conclusionem.

Resp. ad argumentum negando ant. & ad probationem dicimus, præmissas esse causas naturales conclusionis, æquivocas tamen; ideoque non influere totam perfectionem, & certitudinem in conclusionem ipsam: quia causa æquivoca non communicat omnem perfectionem, quam habet.

Ad 2. probationem ant. resp. connexionem extremitatum cum medio esse motivum formale assentiendi per se primo præmissis, & ex consequenti movere ad assensum conclusionis, quapropter certitudo præmissarum debet esse maior. Et licet quandoque ex parte rei cognitæ, & quantum ad entitatem, conclusio identificetur cum præmissis, & prout sic, sit eiusdem certitudinis; in ratione tamen veritatis diversa est, quia veritas conclusionis se habet ut illata, & illuminata, veritas verò præmissarum se habet ut illuminans: illuminans autem saltim quoad nos debet esse notior, & certior illuminato.

)(o)(



§. II.

§. II.

Divisio demonstrationis explicatur.

CUm omne medium infallibiliter cum veritate connexum probet infallibiliter veritatem, sive medium sit causa, sive effectus veritatis, sive causa proxima, sive remota sit per quodcumque ex his poterit intellectus demonstrare veritatem: & qnamvis effectus in esse rei non sit causa veritatis, si tamen veritatem infallibiliter ostendit, in ordine ad intellectum erit causa in cognoscendo, eo quod intellectus eo utitur tanquam medio cognoscendi veritatem.

Propter istam tamen diversitatem medij ad veritatem cognoscendam, dividitur demonstratio in demonstrationem *propter quid*, & demonstrationem *quia*, ut docet D. Tho. 1. part. q. 2. art. 2. Demonstratio *propter quia* ea est, quę est per priora simpliciter, & veritatem probat per causam proximam, & immediatam illius: ut cum quis voluntatem probat per intellectum, & risibile per rationale, unde talis demonstratio diversa est juxta causæ diversitatem. Alia namque est per causam virtualem, vel rationem à priori, ut cum quis probat Deum esse æternùm, quia immutabilis est. Alia per causam materialem, ut cùm quis probat omne corpus esse quartum, quia materiale est. Alia per causam formalem, ut cum quis probat risibile per rationale. Alia verò per efficientem, ut si dicas omnem creaturam esse bonam, quia fit à Deo.

Demonstratio autem *quia* est per ea, quæ sunt priora quoad nos, & veritatem probat per causam remotam, vel effectum, vel à signo, aut per extremum

ali-

aliquod cum veritate connexum : sicut probamus invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, vel lapidem non respirare, quia non est animal, quamvis namque non omne animal respiret, ut patet in piscibus, nihil tamen respirat, quod animal non sit. Aut quando probamus unum relativum per alterum, ut cum dicimus est Pater : ergò Filius, & è contra, quamvis unum relativum non sit causa, vel effectus alterius.

Ex quo habetur omnem demonstrationem *propter quid esse à priori*, non tamen è contra ; eo quod demonstratio per causam remotam est â priori, & non est *propter quid* : & similiter omnem demonstrationem à posteriori esse demonstrationem *quia*, sed non è contrà, nam demonstratio per causam remotam est *quia*, & tamen à posteriori non est. Eodem etiam modo in negativis discurrendum est, quia si negatio effectus probatur per negationem causæ proximæ, & immediatæ erit demonstratio propter quid, quia si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, ut docet Div. Thom. 1. post. lect. 24. & talis etiam erit, quando impossibilitas effectus probatur per impossibilitatem causæ proximę, ut si probes implicare equm risibilem, quia equs rationalis implicat. Omnis autem alia demonstratio erit demonstratio *quia*.

Quapropter divisio demonstrationis *in quia*, & *propter quid* est adæquata divisio, liquidem datur per extrema contradictoria ; quia si probatio sit per causam immediatam, & proximam, erit demonstratio *propter quid*, & si ita non fiat, erit demonstratio *quia* : nulla autem est assignabilis demonstratio, de qua non sit verum affirmare esse per causam proximam, vel non esse. Insuper etiam prædicta divisio est univoca ; quia habitus scientiæ productus per demonstrationem *quia*, est simpliciter scientia, sicut habitus, quia producitur per demonstrationem *propter quid* : Utraque ergò demonstratio in faciendo scire habet univocam convenientiam, & simpliciter talis est. Quod totum non obscurè indicat Præcept. Aug. 1. post. lect. 23. ubi sic ait: differt scire *quia ita est*, & propter quid ita est. *Et cum demonstratio sit syllogismus*

faciens ſcire, oportet etiam, quod demonſtratio, quæ facit ſcire qúia differat à demonſtratione, quæ facit ſcire propter quid. Et hæc quidem differentia conſideranda eſt in eadem ſcientia, & etiam in diverſis, ut faſo calamo probat D. Thom. lect. citata, & 25.

Obijcies contra doctrinã datam. Demonſtratio *quia* non producit verã ſcientiam, ſed imperfectè tantùm ad intelligentiam veritatis intellectum perducit: ergò habitus productus per demonſtrationem *quia* non eſt ſimpliciter ſcientia, ac proinde non convenit univoce cum demonſtratione propter quid.

Reſp. neg. ant. Siquidem demonſtratio *quia* verè convincit intellectum, procedit enim per cauſam remotam infallibiliter cum effectu connexam, vel per ſignum, vel per effectum, vel aliud extremum connexum infallibiliter cum veritate probata; medium autem infallibiliter cum veritate connexum, ſemel evidenter cognitum, intellectum convincit in ordine ad veritatem, nec ipſum liberum relinquit, ut poſsit veritati diſſentire.

Inſtabis: demonſtratio *quia* non quietat intellectum: ergò ſolùm imperfectè perducit intellectum ad intelligentiam veritatis. Prob. ant. demonſtratio *quia* non oſtendit propriam cauſam, & radicem veritatis: ſed hoc deficiente, manet intellectus inquietus: ergò demonſtratio *quia* non quietat intellectum, ſed adhuc ſuſpenſum relinquit, donec cauſam ſciat, & radicem veritatis.

Reſp. diſt. ant. non quietat quantum *ad quid eſt*, conc. ant. quantum *ad an eſt*, neg. ant. & conſequentiam. Licet enim demonſtratio *quia* non quietet intellectum quantum ad quid eſt, eo quod non oſtendit cauſam propriam, & radicem veritatis, ut rectè probat argumentum: quietat tamen intellectum quantum *ad an eſt*, vel exiſtentiam veritatis, nam veritatem exiſtere evidenter convincit, oſtendendo medium infallibiliter connexum cum exiſtentia veritatis.

)(o)(

§. III.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in articuli diſcurſu colligitur, diviſionem in demonſtrationem *quiâ*, & propter *quid* eſſe generis in ſpecies; quia omnis diviſio eſſentialis, vel analoga eſt, vel generis in ſpecies; ſed diviſio prædicta non eſt analoga, ſed univoca, ut probatum relinquimus, & aliunde eſſentialis eſt ergò generis in ſpecies. Prob. min. demonſtratio *quia*, & demonſtratio *propter quid*, procedunt per media diverſa, ut vidimus §. precedenti: ergò diviſio in utramque, eſſentialis eſt.

Quod inſuper conſtat ex eo, quod differentia propria utriuſque demonſtrationis eſt intranea diviſo, aut intra lineam demonſtrationis, ſed differentia propria unius non eſt differentia propria alteriùs: ergò diviſio eſſentialis eſt. Nam quando diviſio datur per intraneas differentias, quarum una non eſt alia, ſemper eſt eſſentialis diviſio.

Secundò colligitur: demonſtrationem circularem contingere, quando principia probantur per concluſiones, & concluſiones per ipſa principia: circulus autem aliquando eſt difformis, aut diverſus, aliquando verò uniformis. Circulus *difformis* tunc invenitur, quando unus per alterum probatur, & è contra, ſed ſub ratione, aut formalitate diverſa; ſicut quando concluſiones per principia probantur, & principia per concluſionem ſub diverſa cauſalitate, aut alio modò cognitam, & probatam à medio, quo probantur ipſa principia: quem circulum nunquam eſſe defectuoſum conſtat ex doct. Ariſt. diverſis in locis aſſerentis, pluviam eſſe ex abundantia vaporum, & abundantiam vaporum ex pluvia; cœlum habere partes anteriores, & poſteriores, quia motus eius incipit ab una parte, & non ab alia, & incipere ab una parte, & non ab alia, quia habet partes anteriores, & poſteriores: & ſimiliter ſtellas eſſe immobiles per ſe, quia habent figuram ſphericam, & habere talem figuram quia ſunt immobiles per ſe. Et nos paſſim per effectus, quos experimur demonſtramus cauſam, per quã etiam à priori probamus effectus. Et in diverſo genere cauſæ duo adinvicem probamus, ſicut ſanitatem per laborem, tamquam cauſam efficientem, & laborem per ſanitatem, ut veram cauſam finalem. Quæ omnes demonſtrationes ſunt per diverſa genera cauſę, & ſub ratione diverſa.

Circulus autem *uniformis* invenitur, quando ex duobus unum per alterum probatur in eodem genere causæ, vel sub eadem ratione, & circulus iste semper est vitiosus, eo quod principium probativum, semper est prius, & notiùs: consequenterque, si idem per idem probatur sub eadem ratione, & in eodem genere causę, idem respectus sui ipsius, est notius, & ignotius, nec non prius, & posterius.

ART. III.

Utrum assensus præmissarum concurrat efficienter ad assensum conclusionis.

§. I.

Difficultas apperitur, & statuitur affirmativa conclusio.

IN præsenti sermo non est de præmissis *obiective* consideratis, sic enim sunt causa materialis conclusionis, ut docet Div. Tho. 2. Physic. lect. 5. quatenùs materia præmissarum illo modò disposita est materia conclusionis: aut sunt causa formalis, quatenùs se habent ut radix, à qua conclusio dimanat. Quapropter solùm loquimur in præsenti de præmissis formalibus, de illo videlicet actu, quo intellectus assentitur præmissis: de quo quærimus, an simul cum intellectu concurrat efficienter ad conclusionis assensum? Pro cuius intelligentia.

Præmittendum est primò, assensum præmissarum in aliquo genere causæ ad assensum conclusionis concurrere, nam (ut vidimus art. 1. §. 1.) omnis cognitio discursiva, per quam attingitur conclusio, ex præexistente cognitione procedit, sed ly *ex* aliquã dependentiam causalitatis importat: ergò assensus præmissarum in aliquo genere causæ concurrit ad assensum conclusionis.

Deindè probatur assumptum: quia discursus secundùm causalitatem, de quo solùm est nobis sermo, non consistit in eo, quod unum post alterum successione temporis, vel naturæ cognoscatur, hoc enim etiam reperitur in Angelis, in quibus talis discursus non datur: sed consistit in eo, quod primus actus, videlicet assensus præmissarum, causet conclusionis assensum, ut indicat D. Tho. 1. p. q. 14. art. 7. Quod utique verum esse constat similiter ex eo, quod intellectus propter præmissas assentitur conclusioni, & ex illarũ

assensu movetur ut conclusioni assentiatur : quod totum diffinitio demonstrationis ostendit, in qua *dicitur præmissas esse causas conclusionis.*

Secundò prę̃mittendum est, assensum prę̃missarum nõ concurrere in genere causæ materialis, eo quod assensus conclusionis non componitur, ut ex materia, ex assensu præmissarum : nec etiam concurrere posse in genere causę finalis, quia licet assensus prę̃missarum ordinetur ad assensum conclusionis, hic tamen non ordinatur ad assensum præmissarum.

Et ideò solùm remanet difficultas de causalitate formali, aut de causalitate efficiente. Primum plerique Authores Societatis tuentur, è quibus alij cum P. Lossada, malunt, ut præmissæ solùm directivè, seu moraliter concurrant ad conclusionem, quatenùs ostendendo identitatem extremorum cum medio determinant intellectum ad affirmandum identitatem eorum inter se, quod genus concursus, causalitas moralis ab eis appellatur. Secundùm verò, unanimi consensu propugnant Thomistæ cum Ang. Doct. cum quibus hæc erit.

§. II.

Nostra conclusio.

Assensus præmissarum concurrit efficienter ad assensum conclusionis.

CConclusionem istam pluribus in locis docet Prę̃cept. Ang. præsertim 1. post. lect. 8. ubi sic ait : *principia se habent ad conclusiones in demonstrativis, sicut causæ activæ in naturalibus ad suos effectus, unde in secundo Phisic. propositiones syllogismi ponuntur in genere causæ efficientis.* Et in 5. Metaph. lect. 3. hæc habet D. Ang. *propositiones secundum quod sub tali forma existunt, vel secundum virtutem earum, se habent in ratione causæ efficientis.* Ac denique 1. p. q. 14. art. 7. in corp. docet, quod discursus, quo per principia pervenimus in cognitionem conclusionum, est discursus secundùm causalitatem. Sentit ergò Præcep. Ang. assensum præmissarum efficienter concurrere ad conclusionis assensum.

Ratione verò probatur conclusio nostra. Assensus prę̃missarum determinat intellectum ad assensum conclusionis : ergò simul cum intellectu cõcurrit efficienter ad ipsum, sicut voluntas efficienter cõcurrit ad actus aliarum potentiarum, quia determinat alias

po-

potentias ad agendam, & applicat ad suos actus, ut docet D. Th. 1. 2. q. 9. art. 1. & species efficienter concurrit ad intellectionem, applicando intellectum ad illam, & causa prima per concursum prævium determinando causam secundam ad effectum efficienter etiam concurrit ad ipsum.

Ulteriùs probatur conclusio nostra ratione: quidquid constituit potentiam in actu primò ad productionem effectus, concurrit efficienter ad effectum producendum, qua ratione habitus scientificus concurrit efficienter ad cognitionem scientificam; sed assensus præmissarum constituit intellectum in actu primò potentem ad assensum conclusionis: ergò concurrit efficienter ad conclusionis assensum. Prob. min. Assensus scientificus conclusionis terminatur ad eam, ut illatam ex præmissis; sed intellectus independenter ab assensu præmissarum, non est potens attingere conclusionem, ut illatam ex præmissis: ergò per assensum prędictum constituitur in actu primo potens ad assensum conclusionis. Prob. min. Intellectus non est potēs ad attingendam conclusionē, ut illatam ex præmissis, nisi per actum illum, quo cognoscit præmissas continere conclusionem, sicut non est potens ad cognoscendum effectum, ut talem, â priori, nisi per illum actum, quo cognoscit causam continere talem effectum; sed actus, quo intellectus cognoscit præmissas continere conclusionem, est assensus præmissarum: ergò independenter ab assensu prędictarum, non est potens ad attingendam conclusionē, ut illatam ex prędictis.

Instabit contrà rationes prędictas: assensus præmissarum non constituit intellectū in actu primo potentem ad assensum conclusionis: ergò secunda ratio conclusionis nititur principio falso. Prob. ant. Intellectus per habitum scientię constituitur in actu primò potens ad assensum conclusionis, nam per habitum scientiæ habet intellectus virtutē, ut assentiatur scientificè conclusioni: ergò assensus præmissarum non constituit intellectum in actu primò potentem ad conclusionis assensum.

Resp. neg. ant. & ad prob. dicimus, habitum scientificum præstare virtutem ad cognoscendam conclusionem, ut illatam ex præmissis, non tamen darè virtutem ultimā, & completam, sed hanc haberi per assensum prędictarū, & propterea quamvis intel-

lec-

lectus constituatur in actu primò per habitum scientiæ incompletè, ultimò tamen per assensum præmissarum constituitur.

Dices 1: habitus præstat facilitatem ad omnes conclusiones scientiæ ut illatas est præmissis, nàm facilitare est effectus formalis habitus: ergò dat completam virtutem ad assensum conclusionis, nam intellectus non potest esse facilis ad actum sine completa virtute.

Resp. habitum scientiæ præstare facilitatem non ultimam, & incompletam, completam vero facilitatem haberi per assensum præmissarū, sicut intellectus per secundam demonstrationem maiorem facilitatem adquirit, quam per primam haberet, & habitum productum per illam, & benè potest diversa facilitas per habitum, & assensum præstari.

Instabis 2. Apprehensio, qua bonum voluntati proponitur determinat voluntatem ad amandum; & tamen non concurrit efficienter ad amorem: ergò ex quo assensus præmissarum determinet intellectum ad assensum conclusionis, non benè infertur efficienter concurrere ad conclusionis assensum.

Resp. dist. mai. determinat *extrinsecè*, & *ostensivè*, conc. mai. intrinsecè, & subiectivè, neg. mai. & concess. min. neg. conseq. Apprehensio namque intellectus solùm extrinsecè determinat voluntatem ad actum, præsentando ei objectum suum, ut docet D. Th. 1.2. q.9. art. 1. in corpore, aut solùm determinat ostensivè, & per modum causæ formalis regulantis, & dirigentis. Assensus vero præmissarum determinat intellectum ad assensum conclusionis intrinsecè, & subjectivè cõplendo activitatem illius, & ipsum quasi impellendo, sicut intentio finis ad electionẽ mediorum quasi impellit voluntatem: & propterea efficienter concurrit ad assensum conclusionis.

Dices: sicut assensus conclusionis supponit assensum præmissarum, ita actus voluntatis supponit apprehensionem intellectus, quia nihil volitum, quin præcognitum: ergò si aprehensio non concurrit efficienter, nec etiam præmissarum assensus.

Resp. dist. ant. ita, sed *diverso modo*, conc. ant. ita, & *eodem modo*, neg. ant. & conseq. Apprehensio namqùe præcisè supponitur ad actum voluntatis in genere causę formalis per modum proponentis, regulantis, & dirigentis.

tis. Assensus verò præmissarum supponitur per modum determinantis, & complentis virtutem intellectivam ad assensum conclusionis, & ideò debet efficienter concurrere ad conclusionis assensum. Et instantia est in existentia, quæ quidem præsupponitur ad agendum, & tamen non concurrit efficienter ad actum, quia nullam dat virtutem operativam ad ipsum.

§. III.

Solvuntur argumenta.

ARguitur primò. Si assensus præmissarum efficienter concurreret ad assensum conclusionis, esset causa univoca, vel æquivoca assensus conclusionis; sed nequit esse causa univoca, nec æquivoca assensus conclusionis: ergò non concurrit efficienter ad ipsum. Prob. min. In primis nequit esse causa æquivoca assensus conclusionis; aliundè nec univoca, eo quòd non est eiusdem speciei cum illo, & causa univoca debet esse eiusdem speciei cum effectu: ergò assensus præmissarum nequit esse causa univoca, nec æquivoca assensus conclusionis. Prob. mai. causa æquivoca debet esse universalis; sed assensus præmissarum universalis non est; ergò nequit esse causa æquivoca assensus conclusionis.

Confirmatur: nullus actus est principium effectivum alterius actus, nam principium effectivum est de linea actus primi, non autem de linea actus secundi; sed assensus præmissarum est verè actus secundus respectu intellectus: ergò non potest concurrere efficienter ad assensum conclusionis.

Resp. ad argumentum, neg. min. & ad probationem neg. mai. ad cuius probationem dicimus, sufficere ad rationem causæ æquivocæ, quod specie distinguatur ab effectu; quod tamen sit universalis, & per alias determinabilis necessarium non est: ut constat in calore animalis, qui est causa æquivoca respectu sanguinis, & tamen causa universalis non est.

Ad Confirmationem, resp. dist. mai. nullus actus, &c. *si virtute non contineat alium actum*, conc mai. *Si alium virtute continet*, neg. mai. & concess. min. neg. cons. Actus enim ille, qui virtute continet alium, potest ipsum efficere, complendo virtutem potentię, & illam determinando, ut se moveat de uno ad alterum actum, com-

pa-

parative ad quem habebit rationem actus Primi, quamvis in ordine ad potentiam sit actus secundus: & hoc modo se habet assensus præmissarum in ordine ad assensum conclusionis. Instãtia est in intentione finis, quæ propter eandem rationem concurrit efficienter ad electionem mediorum, & tamen respectu voluntatis est verè actus secundus: idemque dicendum de actu charitatis inter cuius effectus ponuntur à D. Th. 2.2. q. 28. & 29. pax, & gaudium, & de actu devotionis, cuius effectus est lætitia mentis, ut docet Doct. S. 2. 2. q. 82. art. 4.

Instabis: si unus actus efficienter ad alium concurret, illi subordinaretur; sed una ultima actualitas alteri subordinari non potest: ergò quamvis unus actus virtute contineat alium actum, non potest efficienter ad ipsum concurrere.

Resp. omis. mai. dist. min. una ultima actualitas *de linea entis*, conc. min. de *linea operativa*, neg. min. & conseq. ultimæ namque actualitates de linea operativa, quales sunt intellectiones, respiciunt, objecta extrinseca, & ordinantur ad illa, cumque objecta possint esse subordinata inter se, sicut inter se subordinantur objectum conclusionis, & objectum præmissarum: consequens sit etiam posse operationes inter se subordinari. Ultima verò actualitas de linea entis habet pro effectu formali constituere rem extra causas, & posita quacumque re extrà causas non potest ulterius extra causas poni, ideòq; alteri subordinari non potest.

Dices: sicut actus respicit objectum, ita existentia respicit essentiam: & tamen quamvis possint dari essentiæ subordinatæ, sicut essentia materiæ, & formæ, adhuc tamen una existentia non potest ad alterã ordinari: ergò idem de operatione dicendum.

Resp. disparem esse rationem: materia namque ordinatur ad formam tanquam ad compartem, ex qua simul cum materia resultet unum per se; quod esse non posset, si in materia daretur existentia ad existentiam formæ ordinata, quia ex duobus entibus in actu non potest unum per se resultare, & ideo impossibilis est existentia materiæ ad existentiam formæ ordinata: una autem operatio non sic ordinatur ad aliam. Sed de hoc úberius in lib. 1. physic. q. 3. art. 2. in

resp. ad 6. argumentum.

Secundò arguitur: in causa efficiente, ut agat, necessaria est existentia, nam unumquodque operatur, in quantum est in actu; sed quando intellectus assentitur conclusioni; iam non existit præmissarum assensus, sed transivit, cum discursus involvat successionem actuum: ergò assensus præmissarum non concurrit efficienter ad assensum conclusionis.

Confirmatur: si assensus præmissarum efficienter concurreret ad conclusionis assensum, poterit Deus supplere illarum efficientiam in cõclusionem; sed hoc est impossibile, nam absque prævio assensu præmissarum assensus conclusionis non esset scientificus: ergò assensus præmissarum non concurrit ad assensum conclusionis in genere causę efficientis, sed in genere causæ formalis, vel in alio genere causę insupplebilis à Deo.

Resp. ad argument. dist. min. non existit *formaliter in se ipso*: transeat, min. *virtualiter*, neg. min. & conseq. licet namque assensus præmissarum non existat formaliter in se ipso, quando intellectus assentitur conclusioni, existit tamen virtualiter in effectu, videlicet in determinatione, qua intellectum determinat ad inferendam conclusionem, quam quidem intellectus adquisivit per assensum præmissarum; & hæc determinatio adhuc etiam perseverat in illo instanti naturæ, quo intellectus assentitur conclusioni: quæ quidem virtualis perseverantia sufficit, ut assensus præmissarum possit efficienter producere conclusionis assensum. Adest exemplum in intentione finis quæ licèt non existat in se ipsa, & formaliter, quàndo elicitur electio, quia tamen virtualiter existit in determinatione voluntatis antecedenter causata per intentionem, & modo perseverante, concurrit efficienter intentio ad electionem mediorum, ut indicat D. Th. 1.2. q. 1. art. 6. ad 3.

Ad confirmationem resp. neg. sequelam, & ratio est, quia non omnis efficientia potest sub omni modo suppleri à Deo, præsertim quando dicit aliquem specialem modum, seu dependentiam, sub qua Deus efficire non potest; sicut Deus potest producere hominem sine generante, non tamen potest producere illum, ut genitum, quia, ut sic dicit ordinem essentialem ad Patrem

trem generantem corporaliter, & propter eandem rationem potest Deus ad discursum concurrere, & tamen Deus discorrere non potest. Pariter ergò, quia assensus scientificus conclusionis dicit essentialem ordinem, & dependentiam ab assensu præmissarum, etiam si Deus ad assensum, præmissarum concurrat efficienter non potest conclusionis assensum formaliter ut scientificum, & illatum ex principiis, sine præmissis producere.

ARTICULUS IV.

Utrum assensus præmissarum necessitet intellectum ad assensum conclusionis.

§. I.

Quibusdam præsuppositis, statuitur conclusio.

AD intelligentiam huius articuli supponenda est vulgaris illa distinctio necessitatis quoad speciem, & quoad exercitium. Necessitas *quoad speciem*, tunc contingit, quando potentia ad speciem determinatam actus necessitata est, ut intellectus ad *assensum*, vel *dissensum* determinatè, & voluntas ad *amorem*, aut *odium*. Et huic necessitati correspondet libertas quoad specificationem, quę etiam dicitur libertas contrarietatis, eo quod circà actus specie contrarios versari potest, v.g. assensum, & dissensum, odium, & amorem. Necessitas verò *quoad exercitium* tunc contingit, quando potentia ità est determinata ad elicientiam alicúius actus, ut non possit actùm suspendere, vel ab exercitio cessare. sicùt Beati semper sunt, & non possunt non esse in ipso exercitio amandi Deum. Et hùic necessitati correspondet libertas quoad exercitium, quæ etiam dicitur libertas contradictionis, & solum versatur circa elicientiam, vel non elicientiam actus. De utroque autem modo necessitatis potest difficultas procedere.

Ulterius animadvertendum est, nos in presenti non loqui de assensu virtuali conclusionis, sed de assensu formali. Assensus enim virtualis conclusionis habetur in assensu præmissarum rectè in modo & figura dispositarum, in quibus virtualiter continetur conclusio. Et id circó idem est virtualitèr assentiri conclusioni, & formaliter assentiri præmissis, ut disponẽtibus ad conclusionem, similiter præmone-

mus

mus, non esse nobis sermonem de assensu præmissarum probabilium, hæc enim licet necessitent intellectum in vi consequentiæ, non tamen in vi veritatis inferentis, & ideo simpliciter non necessitant; sed solùm loquimur de præmissis in syllogismo demonstrativo convincente intellectum, & respectu intellectus cognoscentis nedùm veritatem, & necessitatem præmissarum, verùmetiam bonitatem consequentiæ. In quo sensu inquirimus, an assensus præmissarum necessitet intellectum ad assensum conclusionis?

Et quidem extra controversiam est, intellectum ex assensu præmissarùm necessitari quantum ad speciem ad assensum conclusionis, ita ut, suppositio præmissarũ assensu, non possit intellectus dissentire conclusioni. Et ratio est, quia intellectus, qui cognoscit præmissas esse veras, & rectè dispositas, cognoscit etiam evidenter conclusionem ex illis illatam esse necessariam, & veram, nam ex præmissis veris, & rectè dispositis non potest sequi evidenter conclusio, quæ vera, & necessaria non sit, eo quod ex vero non potest sequi nisi verum; sed intellectus circa verum necessitatur quo ad speciem; ita ut illi assentiatur, si semel eliciat actum, & illi dissentire non potest, sicut voluntas circa bonum propositum ut tale, si eliciat actum, non potest non elicere amorem, & odium elicere nequit: ergò intellectus ex assensu præmissarum necessitatur quoad speciem ad assensum conclusionis, ita ut conclusioni dissentire non possit.

Objicies: posito assensu præmissarum, intellectus manet indifferens ad inferendam conclusionem directam, vel indirectam, nam utraque ex præmissis infertur: ergò non est necessitatus ad assensum conclusionis determinatæ.

Confirmatur: intellectus, cognitis præmissis, potest non cognoscere in præmissis conclusionem: ergò posito assensu præmissarum, potest non assentire conclusioni, ac proinde non necessitari quare speciem. Prob. ant. Cognitis præmissis, potest negare conclusionem, & propterea ad probandam cõclusionem, quam aliquis negat in syllogismo perfecto, inventa est ars syllogistica reducendi bonitatem consequẽtiæ, syllogismi perfecti ad universalia principia, v. g. *dici de omni &c. & quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter*

ter ſe : ergò cognitis præmiſsis, poteſt non cognoſcere in præmiſsis concluſionem.

Reſp. ad argumentum neg. ant. quia ſola concluſio directa per ſe primo, & immediate ex præmiſsis infertur, & ideo intellectus neceſsitatur ex aſſenſu præmiſſarum ad inferendum concluſionem prædictam, quamvis poſtea per liberam applicationem poſsit inferre concluſionem indirectam. Præterquamquod, in præſenti non aſſerimus intellectum neceſsitari ad unam, vel alteram concluſionem, ſed ſolùm neceſsitari ad aſſenſum alicuius concluſionis, quæ inferatur evidenter ex præmiſsis.

Ad confirmationem neg. ant. Nec eius probatio oppoſitum ſuadet : nam intellectus benè diſpoſitus, (& qui cognoſcit concluſionem contineri in præmiſsis (de quo ſolùm loquimur in præſenti) poteſt concluſionem ad extra pertinaciter negare, ſed apud ſe, & adintra illam negare non poteſt, ſed illi debet aſſenturi neceſſariò.

Inſtabis : quia intellectus benè diſpoſitus neceſsitatur quod ſpeciem ad prima principia, non indiget medio ad illa probanda, ſed intellectus indiget medio ad probandam concluſionem ; eamque probat per præmiſſas : ergo non eſt neceſsitatus ad aſſenſum concluſionis.

Reſp. prima principia eſſe lumine naturali nota, & ſtatim cognoſci explicatis terminis eorum, & propterea intellectum non indigere medio ad illa probanda : concluſionem verò explicatis terminis non ſtatim cognoſci. Præterquamquod intellectus non indiget medio ad prima principia probanda, quia ad illa neceſsitatur abſolutè, ad concluſionem autem non neceſsitatur abſolutè, ſed ſolum conditionatè, ideſt, ſuppoſito præmiſſarum aſſenſu.

His

His ergò prælibatis, solùm remanet difficultas circa necessitatem quoad exercitium. In qua parte, aliqui existimant, intellectum ex assensu præmissarum non necessitari quoad exercitium, sed posse à voluntate impediri, directè, vel indirectè. Alij censent, intellectum media applicatione ad præmissas non esse sufficienter applicatum ad assensum conclusionis eliciendum, & idcircó non necessitari quoad exercitium ad assensum conclusionis. Ita ex Domesticis Collegium S. Thom. Complutensis, & Mag. Prado. Alij verò simpliciter, & sine aliqua limitatione affirmant, assensum præmissarum necessitare intellectum quoad exercitium ad assensum conclusionis, cum quibus hæc erit.

§. II.

Nostra conclusio.

Intellectus ex assensu præmissarum necessitatur quoad exercitium ad assensum conclusionis.

COnclusionem nostram pluribus in locis docet Præcept. Angel. ipse namque 2. 2. q. 2. art. 9. ad 2. sic ait: *assensus scientiæ non subijcitur libero arbitrio, quia sciens cogitur ad assentiendum per efficatiam demonstrationis, & ideo assensus scientiæ non est meritorius.* Et rursus in 1. p. q. 82. art. 2. in corp. inquit: *quædam propositiones sunt necessariæ, quæ habent connexionem necessariam* cum primis principijs, sicut conclusiones demonstrabiles, ad quarum remotionem sequitúr remotio primorum principiorum. Et his intellectus ex necessitate assentit cognita connexione necessaria conclusionum ad principia per demonstrationis deductionem. Ac denique id ipsum docet S. Doct. 1. 2. q. 17. art. 6. ergo iuxta Div. Thom. stante assensu præmissarum in syllogismo demonstrativo convincente intellectum, intellectus non potest non elicere conclusionis assensum.

Resp. Collegium Sanct. Thom. Complutensis, Div. Thom. in 2. testimonio loqui de necessitate quantum ad speciem actus, non tamen de necessitate quoad exercitium: & oppositum asserere valde alienum esse à veritate.

Con-

Contra tamen eſt, quia D. Thom. loco cit. 1. part. comparat neceſsitatem intellectus in ordine ad concluſionem cum neceſsitate, quam habet voluntas beati ad amorem beatificum, ut videri eſt artic. citato; ſed neceſsitas voluntatis beati ad amorem beatificum eſt neceſsitas quoad exercitium, ut pluries docet Præcept. Ang. ergò ibi de neceſsitate quoad exercitium loquitur D. Tho.

Ratione verò probatur concluſio noſtra. Intellectus, ſuppoſito præmiſſarum aſſenſu, non poteſt aſſenſum concluſionis ſuſpendere; ſed in hoc conſiſtit neceſsitas quoad exercitium: ergo neceſsitatur quoad exercitium ad aſſenſum concluſionis. Prob. mai. Potentia naturalis debitè applicata ad obiectum proportionatum, non poteſt exercitium ſuſpendere circa ipſum, & ideo potentia viſiva debite applicata ad obiectum, non poteſt ipſum non videre; ſed intellectus per aſſenſum præmiſſarum debite applicatur ad concluſionem formaliter cognoſcendam, & aliunde eſt potentia naturalis: ergò non poteſt aſſenſum concluſionis ſuſpendere. Prob. min. Per aſſenſum præmiſſarum cognoſcit intellectus præmiſſas eſſe rectè diſpoſitas, & evidenter concluſionem inferre: ergo per aſſenſum prędictum debite applicatur ad concluſionem formaliter cognoſcendam.

Confirmatur: ſuppoſito aſſenſu præmiſſarum, cognoſcit intellectus concluſionem aliter ſe habere non poſſe, ſiquidem cognoſcit neceſſario eſſe connexam cum præmiſsis, & ipſas præmiſſas non poſſe aliter ſe habere: ergò neceſsitatur ad eliciendum concluſionis aſſenſum. Ex quo conſtat, quam immeritò dicunt adverſarij, nos non probare, ſed potius ſupponere, & in fundamentis conculcare ſufficientiam applicationis intellectus ad cognoſcendum formaliter concluſionem eſſe veram, media applicatione ad præmiſſas. Quid enim aliud facimus in toto diſcurſu rationis probativę, niſi ſufficientiam huiuſmodi applicationis probare?

)(o)(

*** ***
*** ***

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntrà conclusionem nostram argnitùr primò: intellectus quoad exercitium dependet à motione voluntatis, ut docet Div. Thom. 1. 2. quæst. 9. art. 1. ad 8. sed supposito præmissarum assensu potest voluntas non movere intellectum ad assensum conclusionis: ergò supposito præmissarum assensu intellectus non est necessitatus quoad exercitium ad assensum conclusionis. Mai. patet ex ipso Div. Thom. dicente: *quod voluntas movet intellectum quantum ad exercitium actus, quia & ipsum verum, quod est perfectio intellectus continetur sub universali bono, & quoddam bonum particulare.* Nam verò prole motio prædicta, & bonum particulare; sed voluntas non potest necessitarè quoad exercitium à bono particulari, ut docet Præcept. Ang. 1. 2. quæst. 10. art. 2. & alibi sæpius: ergò supposito præmissarum assensu, potest voluntas non movere intellectum ad assensum conclusionis.

Confirmatur: supposito assensu præmissarum potest voluntas divertere intellectum ad alia obiecta diversa ab obiecto conclusionis: ergò potest intellectus non elicere conclusionis assensum.

Urgetur: assensus præmissarum iuxta dicta artic. præcedenti præstat intellectus virtutem ad assensum conclusionis, & se tenet ex parte actus primi in ordine ad conclusionis assensum; sed quod se tenet ex parte actus primi, non necessitat potentiam quoad exercitium; ergò idem quod prius.

Resp. ad argumentum negand. min. & ad probationem dist. min. non potest necessitari *absolutè*, conc. min. *ex suppositione libera sibi*, neg. min. & con-

conſeq. licet enim voluntas abſolute neceſsitari non poſſit ab aliquo bono particulari propter rationem, quam loco cit. tradit Præcept. Ang. poteſt tamen neceſsitari ex ſuppoſitione libera ſibi, qualiter ipſa voluntas divina ex ſuppoſitione quod producat materiam, debet producere formam, & ſi ſemel dat concurſum prævium, debet dare ſimultaneum concurſum: eodem ergò modò proportionaliter creata voluntas, ex ſuppoſitione quod moveat ad aſſenſum præmiſſarum convincentium intellectum, debet etiam movere ad concluſionis aſſenſum. Et hoc ideo eſt, quia concluſio ſufficienter illuminatur, & manifeſtatur à præmiſsis evidentibus, & rectè diſpoſitis, non ſecus, ac colores manifeſtantur à luce, & ſicut non eſt in poteſtate voluntatis impedire viſionem obiecti poſito lumine naturaliter illud illuſtrante, & oculis apertis, ita non eſt in eius poteſtate, quod intellectus, qui in cognoſcendo naturaliter operatur reſpectu obiecti ſufficienter propoſiti, non videat obiectum ſufficienter illuminatum: ſtante ergò illuminatione præmiſſarum convincentium intellectum, & ipſo intellectu vigilante, & attendente, non eſt in poteſtate noſtra aſſenſum concluſionis ſuſpendere, ſed talis aſſenſus manet in ordine naturæ, ut docet D. Tho. 1. 2. q. 17. art. 2. in corp. ac proinde intellectus vigilans, & attendens lumini præmiſſarum, quibus naturaliter aſſentit, eſt neceſsitatus quoad exercitium ad concluſionis aſſenſum, quin poſsit impediri à voluntate.

Ad confirmationem ex eadem doctrina reſp. voluntatem abſolutè poſſe divertere intellectum, ipſum non applicando ad aſſenſum præmiſſarum, in hoc enim libera eſt, ſicut etiam poteſt claudere, vel avertere oculos, ne videant viſibile manifeſtatum: ex ſuppoſitione tamen quod intellectum applicet ad aſſenſum præmiſſarum, non poteſt intellectum divertere ab aſſenſu concluſionis propter connexionem neceſſariam utriuſque.

Ad id, quo urgetur argumentum, reſp. diſt. min. ex parte actus primi, *per modum præciſé dantis virtutem*, conc. min. *per modum determinantis, & applicantis ad actum*, neg. minor. & conſeq. quia aſſenſus præmiſſarum non

ſe tenet unice ex parte actus primi per modum dantis virtutem; ſed etiam per modum applicantis, & quaſi impellentis, vereque determinantis, ut dictum eſt art. præcedenti §. 2. quod autem ita ſe habet poteſt quantum ad exercitium potentiam neceſſitare.

Secundo arguitur: aſſenſus præmiſſarum probabilium non neceſsitat intellectum ad aſſenſum concluſionis: ergò etiam aſſenſus præmiſſarum evidentium neceſsitare non debet, quia ſicut præmiſſæ evidentes continent evidenter concluſionem evidentem, ita probabiles continent probabiliter.

Reſp. negand. conſeq. Quia in præmiſsis evidentibus, & cognitis evidenter, etiam evidenter apparet veritas concluſionis; & ideò ex aſſenſu harum præmiſſarum neceſsitatur intellectus ad aſſenſum concluſionis; in præmiſsis verò probabilibus non repræſentatur evidenter veritas concluſionis, nec connexio neceſſaria concluſionis cũ præmiſsis, ſed ſola probabilis, & contingens, quæ poteſt ita non eſſe, propterea que ex aſſenſu illarum non neceſsitatur intellectus. Quod totum noſtra obſcurè docet Præcept. Ang. 1.p.q.82. art.2. in corp. ubi ait: *ſunt quædam intelligibilia, quæ non habent neceſſariam connexionem ad prima principia, ſicut contingentes propoſitiones, ad quarum remotionem non ſequitur remotio primorum principiorum, & talibus non ex neceſsitate aſſentit intellectus*: poſt quę ſubdit illa verba, quæ inter probandam concluſionem retulimus. Et rurſus 12. q. 10. ar. 2. ad 2. ſic inquit: *intellectus ex neceſsitate movetur à tali obiecto, quod eſt ſemper, & ex neceſsitate verum, non autem ab eo, quod poteſt eſſe verum, & falſum, ſcilicet à contingenti.* Ac denique q.13. art.6. ad 1. hæc dicit Doct.Ang. *non ſemper ex principijs ex neceſsitate procedit concluſio, ſed tunc ſolum, quando principia non poſſunt eſſe vera, ſi concluſio non ſit vera*, quę teſtimonia apprimè doctrinam noſtram confirmant.

Inſtabis: veritas concluſionis non repræſentatur evidenter, & clarè, niſi quando repręſentatur formaliter, & expreſsè; ſed in præmiſsis evidentibus, & cognitis evidenter non repræſentatur formaliter, & explicitè veritas cõcluſionis, ſed ſolùm virtualiter, & implicitè, eo quod concluſio ſolùm implicitè in præmiſsis continetur: ergó in præmiſsis evidentibus, & cog-

cognitis evidenter non repræsentatur veritas conclusionis evidenter, & clarè.

Respond. dist. mai. evidenter, & clarè, immediatè, & in se ipsa, nisi &c. conc. mai. mediatè, & in alio, neg. mai. & sub eadem distinctione min. neg. conseq. quia licet veritas conclusionis solùm repræsentetur evidenter, & clarè, immediatè, & in se ipsa, quando repræsentatur formaliter, & expressè; mediatè tamen, & in alio potest repræsentari evidenter, & clarè, quamvis non repræsentetur explicitè, & ita repræsentatur in præmissis evidentibus, & infallibiliter cum illa connexis, quod satis est ut ex assensu præmissarum habentium connexionem prædictam, necessitetur intellectus cognita connexione, qualiter illam cognoscit, dum præmissas cognoscit evidenter, & illis, ut evidenter inferentibus, evidenter assentitur.

Dices cum Collegio S. Thomæ Complutensis: ex prædicta solutione sequitur, intellectum non indigere alia cognitione, qua cognoscat conclusionem in se ipsa, & consequenter non indigere discursu: hoc non audebimus asserere: ergò nec quod veritas conclusionis repræsentetur evidenter, & clarè, mediatè, & in præmissis. Prob. mai juxta datam solutionem, intellectus in præmissis evidentibus cognoscit clarè, & evidenter veritatem conclusionis: ergò non indiget alia cognitione, qua cognoscat conclusionem in se ipsa, ac proinde nec discursu. Prob. conseq. Ideó Deus, & Angeli non indigent illa distincta cognitione, & consequenter non discurrunt, quia in principio ipso cognoscunt clarè, & evidenter veritatè, quæ continetur in illo: ergò pariter, si intellectus noster in præmissis cognoscit clarè, & evidenter conclusionem, non indigebit alia cognitione, & consequenter nec discursu. Deindè si vera est doctrina nostra, verificari non possunt propositiones: illæ D. Thom. scilicet, quod dum intellectus noster discurrit, *non simul utrumque considerat, quod procedit de noto ad ignotum, quod non cognoscit secundum in primo, sed ex primo.*

Resp. neg. mai. & ad probationem neg. conseq. ad cuius probationem dicimus, ad verum, & proprium discursum duas necessariò requiri conditiones. *Prima* est distinctio actuum, quæ realis sit, si discursus sit formalis. *Secunda*, quod sit illatio, & ve-

rà causalitas inter actus, ita ut prior causet, & inferat posteriorem. Quod accidit, quãdo intellectus intelligit hoc ex hoc, seù quando ex uno priùs cognito devenit incognitionem alterius posterius cogniti: quæ tamen prioritas, & posterioritas non semper est durationis, sed sæpe est prioritas naturę, & rationis, defectu harum conditionum Deus, & Angeli non discurrunt; Deus quidem, quia non habet aliam, & aliam cognitionem, sed omnia cognoscit in se ipso, non tamen unum post aliud, aùt ex alio: Angeli etiam, quia licet in his, quæ cognoscunt per species innatas, non omnia simul cognoscant, sed unum post aliud, una tamen cognitio est absque causalitate, & dependentia alterius, intellectus vero noster nedum cognoscit unum post aliud, sed etiam ex alio, nam cognitio unius est causa cognitionis alterius: ideoque etiam dum in præmissis cognoscit clare, & evidenter conclusionem, indiget alia cognitione ad cognoscendam conclusionem in se ipsa, & immediatè, & cognitione præmissarum habentium connexionem necessariam cum conclusione devenire in cognitionem explicitam illius. Propositiones autem D. Tho. sic verificandæ sunt, videlicet, quod dum intellectus noster discurrit, non considerat utrumque simul simultate naturæ; & quod procedit de præmissis notis immediatè, & in se ipsis ad conclusionem ignotam prout sic: & similiter, quod non cognoscit explicitè conclusionem in præmissis, sed ex præmissis devenit ad conclusionem explicitè cognoscendam.

Tertio arguitur: supposto assensu præmissarum, indiget intellectus habitu scientiæ ad assensum conclusionis: ergò non necessitatur ad illam, alias habitu non indigeret, sicut sensus externi non indigent habitu ad attingenda propria obiecta, quia necessariò feruntur ad illa.

Resp. quod ex quo intellectus indigeat habitu ad assensum conclusionis, solùm infertur habitum esse in intellectu necessarium, supposito præmissarum assensu; sed reverà habitus scientię non requiritur post assensum præmissarum, sed potius ante præmissarum assensum, & ut intellectus per talem habitum possit cognoscere præmissas: benè inferre conclusionem, & ipsam conclusionem tanquam

veritatem mediatam, & illatam ex præmissis.

Instabis: habitos scientię non est necessarius ad præmissas: ergò nulla est solutio. Prob. ant. Præmissæ, vel principia sunt veritates immediatæ; sed hæc non pertinent ad scientiam, sed ad lumen principiorum: ergò habitus scientiæ non est necessarius ad præmissas.

Resp. neg. ant. & ad probationem dist. min. veritates immediatè *ut quod*, cõc. min. *ut quo*, neg. min. & conseq. licet namque veritates immediatę absolutè, & ut *quod* non pertineant ad scientiam, sed ad lumen principiorum, ut *quo* tamen, & quatenùs inferentes veritates mediatas, non ad lumen principiorum, sed ad scientiam pertinent: quia ita consideratæ sunt causę veritatis, & causam veritatis, ut causam cognoscere, verè pertinet ad scientiam, quę rem per causam demonstrat: adest exemplum in quiddítate rei, quæ absolutè pertinet ad primam operationem, & tamen ut est radix proprietatum, quę ab illa dimanant ad tertiam attinet operationem.

§. IV.

Corollarium ex dictis.

EX dictis in articuli discursu colligitur, quomodo intelligendum sit dictum illud Arist. 1. post. lect: 2. apud D. Th. videlicet: *est actum cognoscere, alia quidem prius cognoscente, quorumdam autem simul accipere notitiam*. ibi enim loquitur Philosoph. de præmissis, quorum maior cognoscitur prius tempore, quam conclusio, minor verò quandoque prius tempore, quandoque verò simul tempore cum conclusione cognoscitur cum sola prioritate naturæ. Nàm (ut ibidem asseritur à D. Th. lit. b.) ad conclusionem inferendam duę propositiones requiruntur, scilicet maior, & minor, & scita propositione maiori, nõdum habetur conclusionis cognitio: maior ergo propositio (inquit Angelicus) præcognoscitur conclusioni non solùm natura, sed tempore. Rursus autem si in minori propositione inducatur, sive assumatur aliquod contentum, sub universali propositione, quę est maior, de quo manifestúm non sit, quod sub hoc universali contineatur, nondum habetur conclusionis cognitio, quia nondum est certa veritas minoris propositionis. Si autem in minori propositione assumatur terminus, & de quo manifestum sit,

sit, quod continetur sub universali in maiori propositione, patet veritas minoris propositionis, quia id, quod accipitur sub universali, habet eius cognitionem, & sic in eodē instanti temporis cum sola prioritate naturæ habetur conclusionis cognitio. Nam hoc ipso ponitur lumen sufficiens ad manifestandam conclusionem, cumque illuminatio fiat in instanti tàm â corporali, quàm spirituali lumine, quod est efficatius, & perfectius: inde est, quod in eodem instanti temporis, quo cognoscitur veritas minoris subsumptę, sub universali maiori, cognoscatur etiam veritas conclusionis cum sola præcedentia naturę illuminantis respectu illuminati. Et hæc sufficiant pro explicatione textus Philosophi, quod enim a D. Tho. expositum est, glossam non exposcit nostram.

QUÆST. II.

De scientia, & in ea.

ART I.

Quid sit scientia, & qualiter dividatur?

§. I.

Diffinitio scientiæ explicatur.

SCientiam *actualem.* Aristoteles in 1. Post. lect. 4. apud D. Tho. diffinivit dicens: *scire est rem per causam cognoscere, & quoniam illius est causa, & quod aliter se habere non potest,* quod idem est ac dicere, quod *scire* est cognoscere conclusionem per principia, & principia esse causas conclusionis, & conclusionem ipsam aliter se habere non posse: quia scientia est de incorruptibilibus, perpetuis, & necessarijs, quæ non possunt aliter se habere. Et in diffinitione prædicta nomine *causæ* intelligitur tàm causa in essendo, quam illa, quę solùm est causa in cognoscendo, ut scire à posteriori, & per effectum, & scire à priori comprehendat.

Scientiam *habitualem* diffinire possumus per esse habitum facilitantem, & *proximè inclinantem ad assensum scientificum.* Aut per causam efficientem, dicendo: est habitus certus, & *evidens per demonstrationem adquisitus.* Ad huius autem diffinitionis intelligentiam animadvertendum est cum D. Tho. 1. post. lect. ultima tit. 1. discrimen quod

quod versatur inter habitus intellectuales, qui omnes loco cit. breviter a D. Tho. numerantur: *sciendum est* (inquit Angelicus) *quod Arist. in 6. & hic, ponit quinque, quæ se habent semper ad verum, scilicet, artem, scientiam, sapientiam, prudentiam, & intellectum, subiungens duo, quæ se habent ad verum, & falsum, scilicet suspicionem, & opinionem.* Prima autem quinque se habent solùm ad verum, quia important rectitudinem rationis circa necessaria, scientia quidem circa conclusiones, intellectus circa principia, sapientia autem, circa ultimas causas, quæ sunt causę divinæ alia verò scilicet, ars & prudentia important rectitudinem rationis circa contingentia, prudentia quidem circa agibilia, ars autem circa factibilia: ita Præc. Ang. qui uberius materiam istam discutit 1.2. q.57. per totam, ubi ipse videri potest.

Rursus habitus intellectualis usitatiori nomine alius dicitur *perfusus*, alius vero *imperfectus. Perfectus* ille est, qui infallibiliter determinat ad verum, ac proinde est virtus intellectualis, cui nequit subesse falsum. Imperfectus vero, qui nō determinat infallibiliter ad verum: sub quo scomprehenduntur *fides humana, opinio, error, dubitatio, suspitio, & solertia.* Habitus autem perfecti, qui infallibiliter ad verum determinant, alij sunt speculativi, & alij practici speculativi sunt, qui inclinant ad cognitionem veritatis propter se ipsam, sicut habitus principiorum, sapientia & scientia practici vero sunt, qui inclinant ad verum propter operationem, sicut *prudentia*, & ars.

Sic ergó in prędicta diffinitione illa particula *habitus* ponitur loco generis, quia in ratione habitus convenit scientia cum omnibus alijs habitibus tàm perfectis, quàm imperfectis. Alia verò particula *certus* distinguit habitum scientiæ, à fide humana, opinione, & errore; quia certitudo est firma adhesio intellectus ad rem, quam adhesionem firmam non habet intellectus per fidem humanam, aut habitum opinionis, & erroris: eo quod fides humana nititur hominum testimonio, quod falsibile est, & habitus opinativus inclinat ad probabilia, quæ possunt non esse vera, habitus autem erroris determinate ad falsum inclinat. Per eandem etiam particulam excluditur *suspicio*, quæ est determinatio ad unam partem propter levia fundamenta; & etiam *dubi-*

ta-

tatio, quæ eſt cogitatio ſine aſſenſu: & ſimiliter *ſolertia*, quę (ut docet D. Tho. 1. poſt. lect. ultima in fine) eſt quædam ſubtilis, & facilis conjecturatio medij propter quod aliquid evenit, & hoc quandò non habet maximum tempus ad perſpiciendum, vel deliberandum.

Per aliam denique particulam *evidens* diſtingitur ſcientia à fide divina, quæ licet ſit infallibilis, non tamen evidens, ſed obſcura eſt, cum ſit argumentum: non apparentium, ut inquit Apoſtolus.

Inſtabis: Theologia eſt vere ſcientia, ut probat Div. Thom. 1. p. q. 1. art. 2. & tamen non eſt accidens, quia innititur principijs fidei, quę quidem non cognoſcit evidenter: ergò ſcientia non eſt habitus evidens.

Reſp. indiffinitione ſupradicta tantum diffiniri ſcientiam naturalem; non verò ſcientiam ſupernaturalem entitativè, vel connexivè, qualis debet eſſe Theologia: eo quod Ariſt. ſupernaturalia non cognovit.

Dices: non eſt aſſignabilis ratio, quarè ſcientiæ naturales debeant eſſe evidētes: ergò non omni ſcientiæ etiam naturali debet evidenter convenire.

Reſp. neg. ant. & rationem aſſignamus, quia ſcientiæ naturales non poſſunt cognoſcere concluſionem aliter ſe habere non poſſe, niſi habeant evidentiam principiorum, eo quod ſi principia non cognoſcunt evidenter, ſolùm ea cognoſcunt, vel per medium fidei humanę, vel aliud medium probabile, & conſequenter non cognoſcunt ea certò, & infallibiliter, ac proinde non certò cognoſcunt concluſionem aliter ſe habere non poſſe: cumque hæc certitudo requiratur ad ſcientiā, conſequens fit, quod ad ſciētiam naturalem evidentia requiratur.

Per ultimam denique particulam diſtinguitur à prudentia, & arte, quę ſunt de ſingularibus, quę demonſtrari non poſſunt, proindeque prudentia, & ars per demonſtrationem non adquiruntur. Unde ars *eſt recta ratio factibilium*, & prudentia *eſt recta ratio agibilium*. Per eandem etiam particulam diſtinguitur à lumine principiorum, nam habitus principiorum eſt quaſi proprietas conſequens rationalem naturam, dependens tamen ab extrinſeco, videlicet ab abſtractione ſpecierum, & cognitione terminorum, quibus poſitis reſultat pradictus habitus: & in

alio-

aliorum ſententia, & ipſa potentia naturalis, quæ actuata ſpeciebus, & notitia terminorum, lumen principiorum appellatur. Verum hæc ſententia, (quidquid dicant venerandi carmelitæ) non conſonat cum doctrina Præcep. Ang. qui in 3. ethic. lect. 5. ait: *quod intellectus accipitur, non pro ipſa potentia intellectiva, ſed pro habitu quodam, quo homo ex virtute luminis intellectus agentis naturaliter cognoſcit principia indemonſtrabilia*: & id ipſum tamquam certum ſupponit in 1. 2. q. 57. art. 3. De hoc tamen nobis non licet diſputare, quia logici negotij non eſt.

Diſtinguitur etiam ſcientia per particulam iſtam à ſententia Dei, & Angelorum, in quibus unus actus non eſt alterius cauſa, nec ſcientia per demonſtrationem adquiritur, ſed eam habent Angeli à principio conditionis.

§. II.

Scientiæ diviſæ.

SCientia habitualis (quantum ad præſens attinet) in ſubalternantem, & ſubalternatam dividitur. *Subalternans* ea eſt, quæ habet evidentiam ſuorum principiorum, ſeu, quæ alteri præbet principia ad ſuas concluſiones demonſtrandas. Subalternata autem eſt illa, quæ accipit à ſuperiori ſcientia principia quantum ad certitudinem, & illarum evidentiam: ipſa namque ſolùm evidenter probantur in ſcientia ſubalternante. Et propterea ſcientia prædicta dicitur ſubalternata, id eſt ſubaltera contenta, aut nata.

Ad ſubalternationem verò hæ conditiones requiruntur. *Prima* eſt, quod obiectum utriuſque ſcientiæ ſit diſtinctum formaliter, alias non erit duplex, ſed unica ſcientia.

Secunda conditio eſt, quod obiectum ſcientiæ ſubalternatæ ſuperaddit differentiam accidentalem ad obiectum ſubalternantis, ratione cuius radicet ſpeciales proprietates demonſtrabiles in ſcientia ſubalternata, ſicut numerus ſonorus ſuperaddit rationem ſonori ad numerum, qui eſt obiectum Ariſmeticæ, & propterea

Muſica Ariſmeticę ſubalternatur. Et è contrâ ſcientia de ente naturali particulari, v. g. de *cœlo* non ſubalternatur ſcientię, quæ agit de ente naturali in communi, quia differentia, quam cœlum ſuperaddit, non eſt extranea, & accidentalis, ſed intranea, & eſſentialis. Et eadem ratione nulla ſcientia ſubalternatur Metaphiſicæ, quia eius obiecto, videlicet *enti*, nihil extraneum, & accidentale advenire poteſt.

Tertia conditio eſt, quod principia ſcientiæ ſubalternatæ non poſsint evidenter ab illa cognoſci, ſed ſolùm â ſcientia ſubalternante, in qua evidenter probantur.

ART. II.

Utrum ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis ſit verè ſcientia?

§. I.

Quibuſdam prælibatis, ſtatuitur concluſio.

AD articuli præſentis intelligentiam breviter præmittendum eſt, nō poſſe aliquam concluſionem evidenter cognoſci per ſcientiam naturalem abſque evidente cognitione principiorum, nàm intellectus cognoſcere nequit concluſionem aliter ſe habere non poſſe, niſi cognoſcat principia aliter ſe habere non poſſe: eo quod propter principia aſſentitur concluſioni.

Secundò notandum eſt, principia ſcientiæ ſubalternatæ eſſe concluſiones demonſtratas in ſcientia ſubalternante, & propterea ſcientiam ſubalternatam in abſentia ſubalternantis non poſſe habere evidentiam principiorum.

Tertio præmittendum eſt, quod ſi ſcientia ſubalternata coniuncta ſit cum ſcientia ſubalternante, ipſa ſubalternata erit verè ſcientia. Undè difficultas ſolùm eſt, an in eo, qui caret ſcientia ſubalternante, ſcientia ſubalternata ſit verè ſcientia, quantam ad ſubſtantiam, & ſpeciem, quamvis non habeat ſtatum, & accidentalem perfectionem, quę quidem eſſe non valet abſque cognitione evidenti principiorum.

In qua parte affirmant plures Thomiſtæ, & alij plurimi negant, cum quibus hæc erit.

§. II.

Noſtra concluſio.

Scien-

Scientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis non eſt verè ſcientia.

RAtione efficaci probatur concluſio noſtra : ad ſcientiam neceſſario requiritur certitudo metaphiſica principiorum ; ſed certitudo principiorum ſcientiæ ſubalternatæ in abſentia, ſubalternantis non metaphiſica, ſed moralis eſt, ſiquidem fundatur inhumano teſtimonio, quod ſolùm poteſt eſſe certum, & infallibile moraliter: ergò ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis vera ſcientia non eſt, etiam quantum ad ſubſtantiam. Prob. mai. Ad ſcientiam neceſſariò requiritur maior certitudo principiorum, quam ſit certitudo concluſionis, quia præmiſſę, ſunt certiores concluſione, iuxta illud : *propter quod unumquodque tale, & illud magis* ; ſed certitudo concluſionis in quacumque ſcientia eſt metaphiſica certitudo : ergò ad ſcientiam requiritur etiam certitudo metaphiſica principiorum, alias concluſio erit certior, quam pręmiſſę.

Reſpondent contrarij: certitudinem moralem principiorum ſcientiæ ſubalternatæ formaliter eſſe minorem certitudine concluſionis, æquivalenter tamen eſſe maiorem.

Sed contra eſt : quia certitudo fallibilis æquivalere non poteſt infallibili certitudini, quæ deficere non poteſt; ſed certitudo moralis eſt ab intrinſeco defectibilis, & poteſt admitere falſum, certitudo verò metaphiſica eſt infallibilis, & deficere non poteſt: ergò certitudo moralis principiorum nedum excedere, verum nec adæquare poteſt certitudinem metaphiſicam concluſionis.

Secundo probatur concluſio noſtra ratione : ad ſciẽtiam neceſſaria eſt certitudo principiorum, ita firma, ut omnem formidinem, & hęſitationem excludat, quia ſi hęc certitudo deficiat, aſſenſus concluſionis erit opinionis, & non ſcientiæ ; ſed certitudo principiorum ſcientiæ ſubalternatę in abſentia, ſubalternantis non omnem formidinem, & hęſitationem excludit : ergò ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis vera ſcientia eſſe non poteſt. Prob. min. Principia ſcientiæ ſubalternatæ in abſentia ſubalternantis ſolùm cognoſcuntur per fidem humanam, & propter teſtimonium plurimorum ſapientium aſſerentium talia principia eſſe verè demonſtrata in ſcientia

tia ſubalternante ; ſed fides humana non omnem formidinem , & hæſitationem excludit , cum ſit fallibilis , iuxta illud Pſalmi 115. *omnis homo mendax* : ergò certitudo principiorum ſcientiæ ſubalternatę in abſentia ſubalternantis non omnem formidinem , & hęſitationem excludit.

Reſpondent contrarij: certitudinem principiorum, habitam in abſentia ſcientiæ ſubalternantis non inveniri in teſtimonio particulari hùius, vel alterius hominis , ſed in univerſali teſtimonio ſapientum in ſcientia ſubalternante unanimiter afferentium, principia ſcientiæ ſubalternatæ eſſe verè demonſtrata , & certitudo in tali teſtimonio fundata excludit omnem formidinem : quia impoſsibile eſt omnes illos homines doctos poſſe fallere , aut falli.

Contra tamen eſt : quia ut certitudo principiorum omnem formidinem , & hæſitationem excludat , neceſſarium eſt , quod principia , vel immediatè in ſe ipſis , vel mediatè in cauſa aliqua , vel in aliquo effectu videantur, propter quod plurimorum veritatum infallibilium , quas nec in ſe , nec in alio videmus, non habemus certitudinem, excludentem omnem formidinem ; ſed intellectus in abſentia ſcientię ſubalternantis non videt principia ſubalternatę in ſe ipſis , cum non ſint per ſe nòta , nec in aliquo alio, eo quòd talia principia ſolùm probantur per aliud in ſcientia ſubalternante: ergò certitudo talium principiorum non poterit in abſentia ſcientiæ ſubalternantis omnem formidinem , & hæſitationem excludere.

§. III.

Solvuntur argumenta.

ARguitur primò contra concluſionem noſtram: ex D. Thom. 1.p. q.1. art. 2. afferente , quod *ſicut Muſica credit principia tradita ſibi ab Ariſmetico , ita doctrina ſacra credit principia revelata ſibi à Deo* , qua doctrina probat D. Tho. Theologiam eſſe verè ſcientiam, etiam in abſentia ſcientię Dei, & beatorum : ergò ſenſit D. Tho. ſcientiam ſubalternatam, etiam naturalem , eſſe verè ſcientiam per hoc, quod credat principia à Deo revelata, ſicut Muſica credit principia tradita ſibi ab Ariſmetica , ſi ſemel Muſica , quamvis talia principia credat , vera ſcientia non eſt.

Reſp. D. Tho. in loco cit. loqui de ſcientia ſubalterna

ta accepta ſecundum ſe, & idem eſt, ac ſi diceret, quod ſicut non obſtante, quod Muſica ſecundum ſe, aut ſecundum proprium conceptum conſiderata accipiat principia ab Ariſmetica, eſt verè ſcientia, ita etiam Theologia ſecundum ſe erit verè ſcientia, quamvis principia credat, aut accipiat illa a ſcientia clara Dei, & beatorum, ut ſcientia ſubalternante. Ex quo ſolùm concluditur, ſcientiam ſubalternatam ſecundum ſe, quod ſubſtantiam eſſe verè ſcientiam, quamvis accipiat principia, quod quidem eſt de illius eſſentia; non tamen eſſe verè ſcientiam ſemper, & in omni eventu, & quando ſola invenitur in abſentia ſubalternantis.

Inſtabis: D. Tho. loquitur de ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis: ergò nulla eſt data ſolutio. Prob. ant. D. Tho. loquitur de eo, qui credit principia; ſed ſolùm credit principia, quia ſcientiam ſubalternantem non habet, nàm qui illam habet, principia non credit: ergò loquitur S. Doct. de ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis.

Reſp. negand. ant. & ad probationem diſt. mai. qui credit *credulitate late accepta*, conc. mai. *rigurosè ſumpta*, neg. mai. & ſub eadem diſtinctione min. neg. conſeq. quia D. Tho. loquitur de eo qui credit credulitate latè ſumpta pro eodem, quod eſt accipere ab alio principio, quod quidem eſt de eſſentia ſcientiæ ſubalternatæ. In quo ſenſu lib. 6. ethic. lect. 3. lit. c. hęc erit Doct. Ang.: *oportet ad hoc, quod aliquis ſcit, quod principia, ex quibus ſcit, per aliquem modum ſint credita, & cognita etiam magis, quam concluſiones, quæ ſciuntur, attingunt non per ſe, ſed per accidens habebit ſcientiam.* In quibus verbis loquitur de ſcientia abſtraente à quacumque ſcientia particulari, & manifeſte conſtat ex antecedentibus, & ſubſequentibus propterea que verba prædicta non poſſunt intelligi de rigurosa credulitate.

Secundò arguitur: ſine ſcientia ſubalternante poteſt haberi certitudo principiorum in ſcientia ſubalternata: ergò abſente ſubalternante poteſt ſubalternata ea eſſe verè ſcientia. Prob. ant. ſine ſciētia ſubalternante poſſunt principia ſubalternatæ cognoſci, vel per demonſtrationem à poſteriori, aut per experientiam ipſam, ſicut experientia cognoſcimus hoc principium perſpectivæ *corpora à longè viſa apparent minora*: ergò

ſine ſcientia ſubalternante poteſt haberi certitudo principiorum in ſcientia ſubalternata.

Reſp. concluſionem noſtram ſolùm afirmare ſcientiam ſubalternatam non habere ſubſtantiam, & eſſentiam ſcientiæ in abſentia ſubalternantis, per hoc quod principia alterius credit per fidem humanam, & teſtimonium plurimorum aſſerentium unanimiter, talia principia eſſe verè demonſtrata in ſcientia ſubalternante, nàm in tali eventu ſolùm datur moralis certitudo principiorum, quæ poteſt ſubinduere falſum: non tamen negare ſcientiam ſubalternatam eſſe verè ſcientiam, quando principia per experientiam, aut â poſteriori cognoſcit evidenter, non certitudo hęc, vel cognitio ipſi ſcientię ſubalternanti æquivalet.

Tertiò arguitur: qui caret ſcientia ſubalternante poteſt ſcientificè cognoſcere, & evidenter inferre concluſiones in ſcientia ſubalternata: ergò ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis erit verè ſcientia. Prob. ant. qui evidenter cognoſcit ſe aliquando demonſtraſſe principia ſcientiæ ſubalternatę, & modò oblitus eſt medij per quod illa demonſtravit, poteſt ex prædictis principijs inferre concluſiones ſcientificas, ſiquidem evidenter cognoſcit talia principia eſſe vera, & aliter ſe habere non poſſe: ergò.

Reſp. negand. ant. & ad probationem, omiſſa ant. neg. conſeq. Quia ille, de quo argumentum procedit, evidenter recordatur ſe demonſtraſſe talia principia ſcientię ſubalternatæ, & evidenter cognoſcit talia principia eſſe vera, & non per ſe aliter ſe habere, & ideo ex illis ita cognitis poteſt evidenter deducere concluſiones ſcientificas, & quæ non poſſunt aliter ſe habere: ſicut Apoſtolus de ſe aiebat 2. ad cor. cap. 12. *Scio huiuſmodi hominem (ſive in corpore ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit) quoniam raptus eſt in paradyſum.* Ille vero, qui ſcientia ſubalternantem non habet, ſolùm habet de principijs certitudinem moralem, quæ poteſt aliter ſe habere, & ideò diſpar eſt ratio.

Quarto arguitur: ſcientiæ naturales ſubalternantur Metaphiſicæ, & tamen ſine illa adquiruntur vere quantum ad ſubſtantiam: ergò ſcientia ſubalternata, abſente ſubalternante, eſt verè ſcientia. Prob. mai. ſcientię naturales accipiunt ſua prin-

cipia

cipia à Metaphiſica : ergó illi ſubalternantur.

Reſp. negand. mai. & ad probationem dicimus, quod ſcientiæ naturales ſolùm accipiunt à Metaphiſica principia remota, videlicet *quodlibet eſt vel non eſt*, & alia principia entis, non tamen principia propria, & proxima cuiuſcumque ſcientię, & propterea illi non ſubalternantur.

Inſtabis : Metaphiſica demonſtrat principia proxima, & propria cuinſcumque ſcientiæ, & ea infert pro concluſione : ergò omnes aliæ ſcientię accipiunt à Metaphiſica principia propria, & illi ſubalternantur.

Reſp. Metaphiſicam non demonſtrare à priori principia proxima aliarùm ſcientiarum, ſed tantum ea probare, quaſi à poſteriori illa explicando, & reducendo ad impoſsibile : ex quibus primum erat neceſſarium, ut aliæ ſcientiæ illi ſubalternarentur.

Quinto arguitur : poteſt quis aſſentire concluſioni ſcientię ſubalternatę ſine habitu talis ſcientiæ : ergó poterit etiam quis aſſentire concluſionis ſcientiæ ſubalternatæ abſque habitu ſubalternantis. Ant. patet in prima demonſtratione, in qua ſine habitu aſſentitur concluſioni, eo quod habitus per illum aſſenſum producitur. Conſeq. verò prob. aſſenſus concluſionis ſcientiæ ſubalternatæ maiorem dependentiam habet ab habitu proprio ſcientiæ, cuius attingit rationem formalem ſpecificativum, quam ab habitu ſcientiæ ſubalternantis, cuius rationem formalem non attingit : ergò ſi ſine habitu proprio ſcientiæ ſubalternatæ poteſt aſſentire quis concluſioni, multomelius abſque habitu ſcientiæ ſubalternantis.

Reſp. negand. conſeq. & ad probationem neg. ant. Quia primus aſſenſus ſcientię ſubalternatæ eſt cauſa ipſius habitus, & ita non dependet ab habitu præcedente, ſed potius habitus dependet ab aſſenſu prædicto: eſt tamen prędictus aſſenſus effectus ipſius habitus ſcientię ſubalternantis, & idcircó ab habitu ſubalternantis neceſſario dependet.

Inſtabis : habitus ſcientię ſubalternantis non cauſat primum aſſenſum in ſcientia ſubalternata : ergò nulla eſt ſolutio. Prob. ant. habitus ſcientiæ ſubalternantis non attingit rationem formalem ſcientiæ ſubalternatæ : ergò non cauſat primum aſſenſum in ſcientia ſubalternata, ſicut habitus Phiſicę non cauſat

habitum Metaphiſicę, quia rationem formalem illius non attingit.

Reſp. diſt. ant. non cauſat *immediate*, conc. ant. *mediate*, neg. ant. & conſeq. Quia habitus ſcientiæ ſubalternantis cauſat primùm aſſenſum in ſcientia ſubalternata, probando evidenter principia ſubalternantis, & ad primum aſſenſum in ſcientia ſubalternata talis probatio neceſſaria eſt: nam, ut aſſenſus in ſcientia ſubalternata ſit evidens præ haberi debet cognitio evidens principiorum, quæ ſolùm habetur per habitum ſubalternantis, ad eum modum, quo habitus ſcientiæ pendet ab habitu luminis principiorum, quatenùs pendet à principijs per ſe notis, quæ per lumen principiorum evidenter attinguntur.

Sexto arguitur: ſcientia ſubalternata æqualiter dependet à logica, & à ſcientia ſubalternata, & tamen poteſt haberi ſine logica, ſicut, & quælibet alia ſcientia: ergò etiam habere poteſt ſine ſcientia ſubalternante. Prob. mai. ſcientia ſubalternata æqualiter dependet à bonitate conſequentiæ, quę per logicam cognoſcitur, ſicut à principijs, quę cognoſcuntur per ſcientiam ſubalternantem: ergò æqualiter dependet à logica, & à ſcientia ſubalternante.

Reſp. neg. mai. & ad probationem dicimus, quod licet ſcientia ſubalternata eſſentialiter dependeat à bonitate conſequentiæ, prædicta tamen bonitas poteſt ſine logica cognoſci ſolo lumine naturali, & quod bonitas conſequentię eſt de eſſentia conſequentiæ: principia verò ſcientiæ ſubalternaræ non poſſunt evidenter ſine ſubalternante cognoſci, aut altera cognitione illi æquivalente, ut diximus in reſp. ad 2. argumentum.

Inſtabis: bonitas conſequentiæ eſt demonſtrabilis in logica, ſicut principia ſubalternatæ demonſtrantur in ſcientia ſubalternante: ergo ſi bonitas conſequentiæ poteſt cognoſci ſine logica modo ſufficienti ad ſcientiam, poterunt etiam principia ſubalternatę ſine ſubalternante cognoſci modo ſufficienti ad ſcientiam ſubalternatam.

Reſp. diſt. ant. bonitas conſequentiæ *ſignate*, & *ut quod*, conc. ant. *exercite*, neg. ant. & conſeq. Quia bonitas conſequentiæ *ſignate*, & formaliter *ut quod* eſt demonſtrabilis per logicam, omiſſo quod ſit paſsio conſequentiæ, & ideo prout ſic ſine logica cog-

cognoſcit non poteſt, *exercite* tamen, aut virtualiter poteſt benè ſine logica cognoſci, nam eo ipſo quod lumen naturale videat principia continere aliquam, ſaltim immediatam concluſionem, virtualiter etiam, & exercitè cognoſcit concluſionem, bene inferri, & conſequentiam eſſe bonam, quod ſufficit ad ſcientiam: principia verò ad aſſenſum concluſionis debent cognoſci *ſignate*, quia diſcurſus importat ſucceſſionem actuum, quorum unus eſt cauſa alterius, & terminatur ad principia, vel ad cauſam. Signatè, alter vero ad concluſionem terminatur, & principia ſcientiæ ſubalternatæ non poſſunt evidenter cognoſci *ſignate*, & *ut quod* ſine ſcientia ſubalternante, ſiquidem prout ſic in ſubalternante probantur.

Tandem arguitur: ſecluſa ſcientia ſubalternante, datur certitudo principiorum ſcientiæ ſubalternatę, quæ omnem formidinem, & hæſitationem excludit; ergò ſcientia ſubalternata, abſente ſubalternante, eſt verè ſcientia. Prob. ant. certitudo, qua fere omnes docti in ſcientia ſubalternante affirmant principia ſubalternantæ eſſe verè demonſtrata, eſt certitudo moralis, quæ omnem formidinem, & hæſitationem excludit, ſiquidem ſcientia moralis docet, omnes illos homines non poſſe fallere, nec falli; ſed prædicta certitudo reperitur ſine ſcientia ſubalternante: ergò ſecluſa ſcientia ſubalternante, datur certitudo principiorum, quę omnem formidinem, & hæſitationem excludit.

Reſpond. negand. ant. & ad probationem neg. mai. quia certitudo moralis eſt fallibilis Metaphiſicè, & id ea, Metaphiſicè non excludit omnem formidinem, quod neceſſario ad veram ſcientiam requiritur, nam concluſio ſcientifica etiam Metaphiſicè aliter ſe habere non poteſt, cuius oppoſitum contingeret, ſi certitudo principiorum metaphiſicè poſſet deficere: & quamvis ſcientia moralis dictet omnes illos homines doctos non poſſe fallere, aut falli moraliter, quod ſemper eſt verum, ſicut ſemper verum eſt in omni verè eſſe tonitrua regulariter, non tamen dictat ſcientia moralis non poſſe omnes illos homines fallere, aut falli Metaphiſica loquendo, & hoc erat neceſſarium, ut in vi teſtimonij eorum haberetur certitudo principiorum, quę ad ſcientiam ſufficeret. Et inſtantia eſt in uno, & altet homine, de quibus mo-

ra-

aliter certum est esse baptismata, & tamen certitudo ista moralis Metaphisice loquendo non excludit omnem formidinem, nec ad scientiam generandam sufficit.

Instabis: certitudo moralis principiorum omnem formidinem, & hæsitationem excludit: ergò nulla est solutio. Prob. ant. De hac propositione *Roma est* tantum habetur certitudo moralis; & tamen certitudo ista omnem dubitationem, & formidinem excludit, quia nullus dubitat an Roma sit: ergò etiam certitudo moralis principiorum omnem formidinem, & hæsitationem excludit.

Resp. negand. ant. & ad probationem neg. min. Quia licet certitudo moralis de hac propositione *Roma est* excludat moraliter omnem formidinem, Metaphisicè tamen omnem formidinem non excludit, sed aliter se habere potest, & *Romam esse* potest Metaphisicè aliter se habere. Quę omnia cedant in laudem Patris Æterni, rerum cui summa potestas; Nati quoque, nostræ quem credimus Alpha salutis, necnon spiritus almi, qui quodam laxus ab aunumine complevit sacratum Virginis alvum: in gloriam Virginis, quam Pater Æternus natam detexit amantem, cuius factus homo voluit mirabile verbum virgineos habitare sinus, & corporis artus. In obsequium Apostoli Pauli, Dominici Patris, magni Gregorij, Angelici Thomę, omniumque Civium Cœlestium.

)(o)(

FINIS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL PALENCIA

INDEX

QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM, quę in hoc opere continentur.

LIBER I.

QUÆSTIO I.

Proœmialis.

ARtic. 1. Utrum in homine detur appetitus naturalis ad Logicam? Pag. 1.
Artic. 2. Utrum Logica, ſit ad allias ſcientias, ſimpliciter neceſſaria? pag. 18.

QUÆSTIO II.

De natura Logicæ, & illius quidditate.

Artic. 1. Utrum Logica, ſit ſimpliciter ſcientia? pag. 33.
Artic. 2. Utrum Logica ſit ſimpliciter ſpeculativa, vel Practica? pag. 42.
Artic. 3. Utrum habitus Logicæ docentis, & utentis, realiter diſtinguãtur? pag. 58.
Artic. 4. Utrum Logica ſit una ſcientia ſpecie Athoma? pag. 71.
Artic. 5. Utrum Logica ſit ſimplex qualitas? pag. 77.
Artic. 6. Utrum objectum Logicæ, ſit ens rationis? pag. 89.

LIBER II.

De ente rationis, in tota ſua latitudine.

QUÆSTIO I.

Artic. 1. An dentur entia rationis? pag. 109.
Artic. 2. Utrum ens rationis dividatur adæquate, in negationem, privationem, & relationem? pag. 118.
Artic. 3. Utrum ens ratio[nis] conſiſtat in denomina[tione] extrinſeca? pag. 127.
Artic. 4. Utrum ens r[ationis] conſiſtat in aggrega[tione] extremis realibus, &

tione intellectus, ea falsò adumante? pag. 132.
Artic. 5. Utrum ens rationis consistat in aliquo ficto, réaliter impossibili, & ab omni possibili condistincto? pag. 138.
Artic. 6. Utrum ens rationis, possit esse extra existentia fundamenti? 148.

QUÆSTIO II.

De causa efficiente entis rationis.

Artic. 1. Utrum solus intellectus, possit facere entia rationis? pag. 157.
Artic. 2. Utrum intellectus Divinus possit facere entia rationis? pag. 170.

LIBER III.

De universali.

QUÆSTIO I.

Artic. 1. Utrum dentur universalia in rebus? pag. 188.
Artic. 2. Utrum à parte rei detur unitas formalis, minor unitate numerica? pag. 204.
Artic. 3. Utrum detur distintio realis formalis, aut ex natura rei, inter gradus metaphysicos? pag. 211.
Artic. 4. Utrum inter prædicata supradicta, detur præcisio objectiva? pag. 228.
Artic. 5. Utrum à parte rei, detur natura universalis formaliter? pag. 246.

QUÆSTIO II.

De Causa Universalis.

Artic. Unic. Per quam actionem intellectus, fiat universale formaliter? pag. 264.

LIBER IV.

De Prædicabilibus.

QUÆSTIO I.

Artic. 1. Utrum universale, dividatur adæquatè in quinque Prædicabilia? pag. 290.
Artic. 2. Utrum universale, sit genus ad quinque prædicabilia? pag. 297.

QUÆSTIO II.

De genere primo prædicabili.

Artic. 1. Utrum bona sit diffinitio generis, à Porphyrio traddita? pag. 305.
Artic. 2. Quodnam sit diffinitum in diffinitione generis? pag. 313.

QUÆSTIO III.

De specie.

Artic. 1. Utrum diffinitiones spe-

Speciei prædicabilis, & subijcibilis à Porphyrio traditę, bonę sint? pag. 331.
Arbor Prędicabilium. p. 333.
Artic. 2. Utrum natura Angelica, sit species prędicabilis? pag. 343.

QUÆSTIO IV.
De individuo.

Artic. Unic. de individui quidditate pag. 359.

QUÆSTIO V.
De differentia.

Artic. 1. De diffinitione differentię, & illius divisione. pag. 365.
Art. 2. Utrum differentia constituatur in ratione universalis per ordinem ad speciem? pag. 377.

QUÆSTIO VI.
De duobus ultimis prędicabilibus.

Artic. 1. Explicatur natura proprij ejusque divisiones expenduntur. pag. 383.
Artic. 2. Utrum diffinitio accidentis, ejusque divisiones, sint rectè traditę à Porphyrio? pag. 390.

LIBER V.

De Cathegorijs, seù Prędicationibus pag. 398.

LIBER VI.
De Anteprędicamentis.

QUÆSTIO I.

Artic. 1. Utrum univoca, æquivoca, & denominativa rectè diffiniantur? pag. 411.
Artic. 2. Utrum regulæ anteprædicamentales sint veræ, & divisiones bonæ? p. 419.

QUÆSTIO II.
De Analogis.

Artic. 1. Quid, & quotuplex sit Analogia? pag. 427.
Artic. 2. Quęnam sint causę analogiæ? Et an sola transcendentia, illam causare sufficiat? pag. 440.
Artic. 3. Utrum ens sit Analogum ad inferiora suà? p. 445.
Artic. 4. Utrum detur conceptus entis, perfectè pręcisus ab inferioribus suis? p. 456.
Artic. 5. Utrum ens adequatè dividatur in decem Prędicamenta? 470.

LIBER VII.
De Prædicamentis.

QUÆSTIO I.

Artic. 1. Quid sit constituti subsistentię? pag. 475.
Artic. 2. An benè dix subsistentia in primam eundem, & qualis divisio? p. 482.
Artic. 3. Utrum Deus

tur in prędicamento ſubſtantię ? Pag. 489.

QUÆSTIO II.

De Prædicamento quantitatis.

Artic. 1. Quodnam ſit conſtitutivum quantitatis ? pag. 499.

Artic. 2. De diviſionibus quantitatis ? pag. 506.

Artic. 3. Utrum ſubſtantia corporea, pro priori ad quantitatem, habeat partes actualiter diſtinctas ? pag. 521.

QUÆSTIO III.

De Prędicamento relationis.

Artic. 1. Quid ſit relatio, Prędicamentalis, & quas habeat proprietates? pag. 534.

Artic. 2. Utrum relatio prędicamentalis, realiter à fundamento diſtinguatur? pag. 547.

Artic. 3. Utrum omnis relatio, terminetur formaliter ad relativum? pag. 561.

QUÆSTIO IV.

De Prædidamento qualitatis.

Artic. unic. De natura, diviſione, & proprietatibus qualitatis. pag. 575.

QUÆSTIO V.

De actione, & Paſsione.

Artic. unic. Quid ſit tam actio, quam paſſio? pag. 584.

QUÆSTIO VI.

De quatuor ultimis prædicamentis.

Artic. unic. Quid ſint, & eorum proprietates? pag. 589.

QUÆSTIO VII.

De Poſt-predicamentis.

Artic. unic. Quot ſint, & quæ eorum naturę ? pag. 592.

LIBER VIII.

De Poſterioribus.

QUÆSTIO I.

Artic. 1. Quidnam ad demonſtrationem ſit neceſſarium ? pag. 595.

Artic. 2. Quid, & quotuplex ſit demonſtratio? pag. 609.

Artic. 3. Utrum aſſenſus premiſſarum, concurrat efficienter ad aſſenſum concluſionis ? pag. 618.

Artic. 4. Utrum aſſenſus præmiſſarum, neceſsitet intellectum, ad aſſenſum concluſionis ? pag. 625.

QUÆSTIO II.

De ſcientia.

Artic. 1. Quid ſit ſcientia, & qualiter dividatur ? pag. 636.

Artic. 2. Utrum ſcientia ſubalternata, in abſentia ſubalternantis, ſit verè ſcientia ? pag. 640.

LAUS DEO.

1.451